
HIPPOCRATIS
COI
APHORISMI
NOTATIONIBUS VARIORUM ILLUSTRATI.


DIGESSIT ET INDICES NECESSARIOS
ADDIDIT

JO. CHR. RIEGER,
RIESENBURGO-PRUSSUS.

VOLUMEN II.



HAGÆ COMITUM,
Apud PETRUM VAN CLEEF,
M. DCC. LXVII.



HIPPOCRATIS
APHORISMORUM
SECTIO QUINTA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM SECTIO QUINTA.

APHOR. I.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.

Convulſio ex veratro, letale.

Extat hæc ſententia in *Coac. ſect.* 4. *n.* 24. nec non in *lib. de verat. uſ.* & apud Celſum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55.

Elleborum (intellige album) ſanis eſſe periculoſum, eo quod convulſiones inducat, dictum eſt 4 *aph.* 16. Nunc convulſio ab elleboro letalis pronunciatur. Attamen evenire quandoque caſus, ubi convulſiones ab hoc pharmaco non ſint letales, legere eſt in *Eph. N. C. D.* 3. *a.* 1. *obſ.* 65. & *Act. Haſn. vol.* 5. *obſ.* 55. De natura convulſionum dictum eſt ad 2 *aph.* 26.



APHOR. 2.

Ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγενόμενος, θανάσιμον.

Convulsio vulneri superveniens, letale.

Legitur totidem verbis hic aphorismus in *Coac. sect.* 3. *n.* 81. & 382.

Duplici ex causa vulneribus (comprehendendo sub iis etiam ulcera) convulsio succedere potest; vel ab oborta inflammatione in nervosas partes incidente: vel cum nullus tumor circa ulcus apparet, aut, qui fuit, evanuit; nam quibus tumores in ulceribus apparent raro convelluntur, &c. juxta 5 *aph.* 65. Quanquam autem raro tunc convellantur, quandocunque tamen etiam cum tumore oboritur convulsio, letalis erit: ob nervos affectos. *Vallesf.* Non semper tamen vulneratis obvenientes convulsiones letales sunt; sed qui ex vulnere moriuntur, cum convulsione mori solent: ita ut sæpe convulsio non tam causa, quam potius signum appropinquantis existat mortis. Vid. *Cardan. p.* 479. *Listerus* intelligit aphorismum de vulneribus per tela venenata factis. Ab inanitione seu hæmorrhagia magna vulneribus supervenire convulsionem docet aphorismus sequens.

APHOR.

APHOR. 3.

Αἵματ@ πολλȣ̃ ῥυέντ@, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμεν@, κακόν.

Ex copioſo ſanguinis fluxu convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum.

In *Coac. ſect.* 3. *n.* 57. hic aphoriſmus ita ſcribitur: *In copioſa ſanguinis fluxione, aut ſingultus, aut convulſio, malum denunciant.*

A ſanguinis jactura, undecunque facta, vaſa inanita contrahunt ſe vi ſibi innata exercendo motum ſyſtolicum, qui non contralibratur a diaſtole, propter deficientem ſanguinem dilatantem vaſa. Vid. *Bagliv. p.* 290. & 301. A ſublato igitur ſolida inter atque fluida æquilibrio natus ſpaſmus malum: quia indicat humores deficere etiam in minimis, unde retracti nervi ſunt. Singultus eſt convulſionis ſpecies in orificio ſuperiori ventriculi; & concuſſiones ſingultuoſæ poſt magnas hæmorrhagias ipſum vitæ finem, tanquam ultimi naturæ conatus antecedere ſolent. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 428.



APHOR. 4.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

Ex profuſa purgatione convulſio, aut ſingultus ſuccedens, malum.

Reperitur hæc ſententia in *Coac. ſect.* 4. *n.* 22. & *lib. de Verat. uſ.* Celſus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 76. *mortis periculum eſſe* ait, *ſi medicamentis purgatum & adhuc inanem, nervorum diſtentio oppreſſit.*

Quoties ex multa purgatione convulſio aut ſingultus, ſemper notatur cauſa quædam nervos & nervorum principium afficiens. Malum dicitur, quod de elleboro funeſtum dicebatur *aph.* 1. hujus ſectionis. Vomitoria ac purgantia draſtica, maxime elleborata, rodendo, ſtimulando & inflammando ventriculum ac inteſtina, ad ſingultuoſum diſponunt morbum. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 425. Purgantia quoque mitiora & indemnia largiori doſi, vel in tenerioribus fortius operantia, ſpaſmos citare aſſolent. *Wedel.* In profuſa purgatione ſeu hypercatharſi evacuantur, cum excrementis, etiam boni humores, & quia in defectu humorum deſtruitur æquilibrium, convulſio generari poteſt; quæ dicitur *malum*, non letale, quoniam ille defectus ſæpe ſuppletur. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 5.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si ebrium quempiam vox deficiat derepente, convulsus moritur, nisi eum febris prehendat, aut qua hora crapulæ solvi solent, ad vocem redeat.

Celsus *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. hunc aphorismum ita expressit: *Non servari potest qui ebrius obmutuit. Is enim fere nervorum distentione consumitur, nisi aut febris accessit, aut eo tempore, quo ebrietas solvi debet, loqui cœpit.*

Aphoniam ab ebrietate facit spastica phlegmonodes diathesis, quam infert cum impetu impulsus in arteriolas cerebri sanguis, unde nervorum ad linguam euntium origo comprimitur. Mors tum a convulsione, nisi eam solverit accedens febris: nam hæc superveniens solvit convulsionem juxta 4 *aph.* 57. *Hecquet.* In summa ebrietate est apoplexia, nempe somnus profundus cum stertore, a sanguine nimio ad corticem cerebri delato, a quo cerebrum subjectum premitur. Visa autem est mulier quædam, ex vini potu apoplectica facta, quæ superveniente febre die sequenti a febris invasione mortua est. Hinc veritas præsentis aphorismi suspecta redditur; nisi ejus explicatio petatur ex *lib.* 2.

de morb. n. 22. qui locus ſic habet: *Si quis ex temulentia voce deficiat, ſi quidem jam confeſtim eum febris corripiat, convaleſcit, ſin minus, intra tertium diem moritur.* Intendit enim, ut ſtatim, ac voce privatur, febris eum corripiat, quod ut ſignificaret h. l. Hippocrates non contentus dixiſſe αὐτίκα, i. e. *ſtatim* ſeu *confeſtim*, vocem ulterius addidit παραχρῆμα, quæ & ipſa temporis celeritatem ſignificat, h. e. ſtatim, nulla interpoſita mora. Quum igitur aphoniæ ex ebrietate ſtatim febris ſupervenit, æger liberatur, quum vero poſtea, moritur. Quæ quidem interpretatio ex *lib. Coac. ſect.* 3. *n.* 322. confirmari ulterius poteſt, quo in loco hæc leguntur: *Siderationes* (apoplecticæ affectiones) *quæ repente fiunt, ſi inſuper febris exſolutionis in modum contingat, quæ diutius trahat, perniciem minantur:* nam ut apoplexiæ ex ebrietate inter apoplectica numerantur, & derepente invadunt. Quotieſcunque igitur apoplexiæ ſtatim febris ſupervenit, ſolvitur; nequaquam vero ubi poſterius, & jam confirmato morbo: cujus quidem diverſitatis hanc cauſam afferrem; quia febris ſtatim ſuperveniens, eſt de genere ephemerarum, quæ ab agitatione ſpirituum provenit, quos quidem a principio invaſionis apoplexiæ vehementer commoveri, eſt rationabile, idque ex ipſomet Hippocrate colligimus, qui *lib. de vict. acut. n.* 38. de apoplexia ſub nomine aphoniæ tractans hæc habet: *His ſane prius adhibitis fomentis ſtatim per initia venam ſecare convenit, cum adhuc ſublati ſunt qui affligunt, tum ſpiritus, tum humores.* Cum igitur a principio ſpiritus vehementer agitentur, febrem tunc ſupervenientem ephemeram eſſe rationabile eſt, a cujus calore cauſa apoplexiæ cito diſſipari

poteſt.

poteſt. Si vero temporis progreſſu, & ſpiritibus quieſcentibus febris accedat, de genere putridarum eam eſſe neceſſe eſt, quæ tantum abeſt, ut humores ſeu vapores craſſos diſſipare poſſit, ut potius eos adaugeat & deteriores reddat. Differunt etiam inter ſe hujuſmodi febres calore, quæ enim ſtatim invadit, ſemper vehementem præ ſe fert calorem, qualem præ ſe ferunt ephemeræ fere omnes, quæ vero temporis progreſſu ſupervenit, utplurimum lenta eſt, quales ſunt febres omnes putridæ. *Martian. p.* 456. In ebrietate a copia vini præſertim generoſi aſſumta corpore minus perſpirabili contingere poteſt, plus juſto caput repleri ſanguine copioſo, qui arterias plexus choroïdei nimium diſtendendo ſpirituum meatus intercipit. Accedens autem motus ſanguinis in febre celerior, obſtructa in cerebro vaſa aperit, nec non materiam ſtagnantem in ejus poris, ſive aquoſa ſive viſcida ſit, potenter diſcutit. *Hoffm. de ſal. febr.* §. 32.

Hæc obſervatio actionis naturæ egregiam regulam curationis ſuggerit: monemur enim in hoc caſu, nos debere calefacere iſtud corpus per actu calida & aromatica calefacientia, minime ſpirituoſa, vel vinoſa, ſed quæ calefaciunt ſine inebriandi virtute. Quam diu igitur durat aphonia ſine febre in ebrio, verſamur in ancipiti, num manebit talis homo ſuperſtes, num vero extinguetur ſuperveniente convulſione: ſcimus enim in tali corpore adeſſe ſpirituoſum calefaciens in magna copia, quod ſua virtute, modo valeant vires vitæ, faciet ſtimulando majorem calorem ſeu febrem, verum eam febrem non invenio; ergo mihi indicium eſt, vires vitæ obrutas eſſe multitudine vini.

Si

Si ergo expectamus per duodecim horas vel viginti quatuor, quo tempore crapula ſolvi ſolet, & tamen vires vitæ non facere majorem motum, & permanere aphoniam, periculum eſt, ne ex tam diu perſiſtente cauſa tandem obruatur ebrius. Sed ſi tunc demum ebrius loqui incipiat, ipſa loquela, etiamſi nihil faciat ad ſubigendum vinoſum, periculum detrahet, non ut cauſa, ſed ut ſignum; quoniam loquela rediens notat, opprimentem cauſam eſſe minutam, & inde valentibus ſenſim magis corporis viribus totum vinoſum ſubigetur. *Gorter.*

Exemplum de quodam, qui ex ebrietate aphonus convulſus mortuus eſt, extat in *Ronsſei Epiſt. num.* 12.

APHOR. 6.

Ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Qui nervorum diſtentione corripiuntur, intra quatuor dies pereunt; quos ſi effugerint, ſani fiunt.

Legitur hic aphoriſmus in *lib. de Judicat. n.* 8. & Celſus *l.* 4. *c.* 3. *p.* 193. ait *ſæpe intra quartum diem tollere* &c. ergo non ſemper.

Quid τέτανος? Hippocrates exponit 3 *de morb. n.* 13. Cum invadunt corporis diſtentiones tetani appellati, maxillæ velut ligna con-

configuntur, os aperire nequeunt, oculi illachrymantur ac pervertuntur, dorsum rigidum est, crura neque manus similiter adducere possunt, facies rubescit & vehementer dolet, cumque morti est proximus, potionem, sorbitionem & pituitam per nares rejicit. His mox subjicitur prognosis hæc: *Tertio, aut quinto, aut septimo, aut decimo quarto die perit, quos si effugerit, convalescit.* Cui lectioni potius, quam aphorismo assentiri me cogit, tum antiqua libri auctoritas, tum ingenuitas auctoris, quem absque certa experientia hæc dixisse, non est rationabile; unde fateri cogimur, præsentem aphorismum, quemadmodum superiorem, defectuosum esse, ejus defectu, qui has sententias in unum redegit. Vel fortasse ipsemet, ut præfatos omnes dies brevitate sermonis comprehenderet, in *quatuordecim* diebus dicere voluit, sed calami vitio *in quatuor* scripsit. *Martian. p.* 456. Conf. *Haen Rat. med. P.* 6. *p.* 148.



APHOR.

APHOR. 7.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει· ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Comitiales quibus ante pubertatis annos contingunt, mutationem habent: at quibus quintum & vigesimum annum agentibus fiunt, eos fere ad mortem usque comitantur.

Pars posterior hujus aphorismi desumta esse videtur ex *lib.* 2. *Prædict. n.* 16. quo in loco hæc leguntur: *Ex morbo sacro ægerrime emergunt, quibuscum una a puero increscit morbus, & in virilem ætatem simul adolescit, deinde quibus ætate florente ortus est, nempe post annum quintum & vigesimum, ad quadragesimum quintum usque.* Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 68. priorem aphorismi partem sic expressit: *morbus comitialis ante pubertatem ortus, non ægre finitur*: posteriorem autem alio loco reddidit, unde verba ejus retulimus in notatis ad 2 *aph.* 45. ubi etiam præsentis aphorismi habetur expositio. Quod dixit Hippocrates, pueros ætatis mutatione convalescere, adultos autem interire, ostendit id quidem, ideo epilepsiæ esse illos maxime obnoxios, quoniam eorum fibræ nerveæ molles, atque laxæ, resolutionem maxime subire possunt;

ſunt; convaleſcere vero illos cum pubertatis terminum attingunt; quoniam ætatis mutatione, & corporis incremento, robur, & virtutem elaſticam etiam atque etiam ſuſcipiunt. *Brin. de ſpir. an. p.* 328. Licet autem poſt 25 annum incurabilis dicatur epilepſia ab Hippocrate, hoc tamen non eſt perpetuæ veritatis. Multos enim ætate provectos, ab hoc morbo liberatos fuiſſe, plurimis obſervationibus relatum eſt, quamvis tamen hoc raro contingat; ſicque aphoriſmum utplurimum, & fere ſemper verum eſſe, ſtatuendum eſt. *River. p.* 177. Epileptici ad ætatem ſenilem vergentes, diæta & medicamentis commodis uſi, rariores perſentiunt, citra occaſionem manifeſtam, inſultus. *Wedel.*

Aphor. 8.

Ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Qui morbo laterali laborant, niſi intra dies quatuordecim repurgentur ſuperne, iis in ſuppurationem convertitur.

Pleuritis vera ſeu exquiſita cum ex acutorum ſit claſſe morborum, intra quatuordecim dies judicari debet. Vid. 2 *aph.* 23. Perfecta ejus criſis & ſolutio fieri ſolet per ſputa. Si ergo deficit natura hac via, intra dictum tempus expectanda eſt criſis imperfecta per ſuppurationem in pectore, quæ empyema vocatur.

catur. Hoc eſt quod innuit præſens aphoriſmus. Docuit hoc Hippocrates plus ſimplici vice. Judicium ſubit hic morbus cum breviſſime quidem ſeptimo die, cum longiſſime autem decimo quarto. Quo quidem ſi pus ex latere repurgatum & per ſputum rejectum fuerit, ſanus evadit. Si vero minime exſpuatur, purulentus fit, & morbus longius protrahitur. *lib. de affect. n.* 8. Cumque ulcus factum fuerit, ex ſe pus effundit, & de vicinis locis calore pituitam ad ſe adducit, quæ ubi computruit, pus exſpuitur. *lib.* 1. *de morb. n.* 11. Quibus in morbo laterali lingua circa initia biliofa eſt, hi intra ſeptimum judicantur, quibus vero tertio aut quarto die, circa nonum. Quod ſi bulla aliquantulum liveſcens in lingua appareat initio, qualis excitatur ferro candente in oleum intincto, difficilior fit ſolutio, & judicatio quidem ad decimum quartum diem deducitur. Sanguinem autem utplurimum exſpuunt. Sputum vero in morbo laterali ubi matureſcere & exſpui tertio die cœperit, celeriores judicationes facit, quod ſi poſterius, tardiores. At vero bilioſi ſimul & ſanguinei morbi laterales, fere nono die aut undecimo judicantur, ac maxime ſaneſcunt &c. *Coac. ſect.* 3. *n.* 129--132. 137.

Si Pleuritidis inflammatoriæ ſigna permaneant ad quatuordecim dies, certi ſumus pus eſſe confectum. Si vero interea temporis commutata materia inflammatoria in materiem purulentam non repurgatur, neceſſe eſt, ut maneat in corpore, quoniam materia purulenta nunquam inviſibiliter exit. An vero in hoc loco ſola repurgatio ſuperne, i. e. per ſputum, intelligatur, ut multi contendunt, non ita plane conſtat,

conſtat, quoniam pleuritici non raro liberantur per urinam ſedimentoſam. Neque Hippocratis ſententia probari poteſt, hic intelligi purgationem per ſputum, quoniam ἀνακαθαίρω generaliter notat *expurgo*, & *perpurgo*, ſed interdum ſumitur pro *purgo ſurſum*. Sed quando ex conſtantia inflammationis apparet, inflammationis mutationem fuiſſe factam in purulentiam, & non deteximus, intra quatuordecim dies, vel in urina vel in ſputo, materiem purulentam fuiſſe evacuatam, certi eſſe poſſumus, hoc in corpore collectum eſſe pus, ſeu empyema. Et quoniam poſt inflammationem pleuræ pus iſtud confectum frequentiſſime deponitur in cavum pectoris, non erit ſine ratione ex tali perdurante pleuritide præſagire empyema pectoris, quamvis quoque alia inde potuiſſet fieri ſuppuratio. *Gorter*. Confectarium hujus aphoriſmi eſt infra *aph.* 15.

Aphor. 9.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα.

Tabes præcipue contingit ætatibus, quæ ſunt ab anno decimo octavo ad trigeſimum quintum.

Extat hæc ſententia in *Coac. ſect.* 3. *n.* 260. & apud *Celſum l.* 3. *c.* 22. *p.* 169. In 3 *aph.* 29. monemur phthiſes ſeu tabes maxime fieri Juvenibus: ſunt quippe hi præ cæteris obnoxii

 pleu-

pleuritidi, unde facta suppuratione (5 *aph.* 15.) provenit phthisis pulmonalis.

APHOR. 10.

Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν, ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίγνονται.

Qui anginam effugiunt, iis in pulmonem vertitur, & intra dies septem intereunt; quos si evaserint, suppurati fiunt.

Legitur hic aphorismus in *Coac. sect.* 3. *n.* 105 *sq. Quibus angina ad pulmones divertit, partim quidem intra septem dies pereunt, partim vero liberati, pus intro colligunt, nisi pituitosa sursum educantur.* De angina gravissima & celerrime interimente, quæ neque in faucibus, neque in cervice quicquam conspicuum facit, plurimum vero dolorem exhibet, & difficultatem spirandi, quæ erecta cervice obitur, inducit; in *Prognost. n.* 23. hæc habentur: *Quod si ad pulmonem se vertat, dementiam excitat, & ex his nonnulli suppurati plerumque evadunt.* *Celsus l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. aphorismum præsentem ita reddidit: *Si angina subito finita est, in pulmonem id malum transit; idque sæpe intra septimum diem occidit: quod nisi incidat, sequitur, ut aliqua parte suppuret.*

Angina præter rationem evanescens, & translata in pulmones, creat peripneumoniam, h. e. inflammatione in musculis laryngis internis

nis cessante, si inflammatio in pulmonibus exoritur, intra septem dies expectanda est mors; est enim morbus peracutus: & si hanc evaserint ægri, suppurantur. Anginæ occultæ, scribit *Baglivus p.* 145. si superveniat dolor lateris, cessante magna ex parte circa collum, & fauces dolore, & difficultate tum spirandi, tum deglutiendi; anginam conversam esse in peripneumoniam significat. Perniciosa est hæc mutatio, nam ægri vel cito moriuntur, vel suppurantur. H. J. Conf. *Boerh. aph.* 801. & 824. De hac anginæ transmutatione ita legimus apud *Hippocr. lib,* 2. *de morb. n.* 27: *Si faucibus & tumoribus sedatis, ad pulmonem morbus versus fuerit, confestim febris & lateris dolor insuper corripit, & ubi hoc contingit, plerumque moritur. Quod si dies quinque effugerit, purulentus evadit, nisi ipsum confestim tussis corripuerit, quæ si corripuerit, exscreato & repurgato sputo convalescit.* Quæ quidem sententiæ in eo tantummodo differunt, quia in aphorismo terminus assignatur septem dierum, lib. autem cit. quinque tantummodo adscripsit; quæ loca invicem conciliabuntur, si dicamus, in aphorismo septem dies enumerari, a die invasionis anginæ, librum autem de morbis quinque assignasse a die transmutationis anginæ in peripneumoniam, quasi angina, ut morbus acutissimus intra primum quaternarium necessario transmutetur. Cur autem tam cito ad suppurationem convertatur hæc peripneumonia, cui terminus quatuordecim dierum in pleuritide assignatur, non ex natura læsæ partis id evenire affirmarem (quod plurimi faciunt) quia in peripneumonia etiam ipsa a principio invadente, expurgationis terminus vigesima prima dies præscriptus est, ut ex

lib. 3. *de morb. n.* 16. manifeste constat. Quare potius crediderim id evenire propter humoris peccantis dispositionem; qui enim pleuritidem, aut peripneumoniam, a principio producit, longe benignior est eo, qui peripneumoniam ex transmutatione parit, hic enim ante quam ad pulmonem perveniat putridus est, quia ab inflammata parte decessit, quare novam alterationem, & putredinem in ipsis pulmonibus adeptus, ad suppurationem adeo disponitur, ut in quinque diebus suppuretur, quod in aliis humoribus ante diem vigesimam evenire non solet. *Martian. p.* 457.

Duæ sunt species Anginæ faucibus infestæ, una quæ præcipue corripit laryngem, quam vocant Cynanchen, altera quæ afficit pharyngem, quæ vocatur Synanche: si vero etiam signa inflammationis appareant externe in collo, vocatur vel Paracynanche vel Parasynanche, prout simul larynx, vel pharynx sit affecta, seu prout respiratio vel deglutitio sit impedita. In textu est Κυνάγχη. Ergo intelligit auctor eam anginæ speciem, quæ laryngi est infesta & suffocatam respirationem inducit; & quoniam illa species non præbet signa externa, scimus internam laryngis membranam affectam esse. Illa membrana jam inflammatione tumens raro ad septimum diem extenditur, quin ita faciat angustum transitum, ut æger suffocatus pereat. Quia vero inflammatio ad septimum usque diem increscere solet, & dein commutari in suppurationem, inde plerumque inflammatio internæ membranæ laryngis suffocationem induxit, ante quam ad suppurationem deducta sit. Si autem levior fuit inflammatio & minor tumor, quam qui potuit inducere suffo-

ſuffocationem, illa poſt iſtud tempus formabit pus, quod ſua gravitate deorſum deſcendens implet Tracheam arteriam & Bronchia, ubi ſtagnando collectum generat pulmonis ſuppurationem. Sed ſi inchoata angina talis ſenſim etiam pergit continuatam membranam Tracheæ & Bronchiorum inflammare, inducit Peripneumoniam, quæ interimit. *Suppurati*, ἔμπυοι, ſunt homines, qui vel in pulmonibus vel in cavo pectoris colligunt pus. Tales ſuppurationes præſagiuntur ex Angina prægreſſa, quæ abiit ſine ratione, i. e. ſine critica evacuatione: nam quæ angina emittit ſputa copioſa cocta, non tranſmutatur in peripneumoniam, ſed quæ evaneſcit ſine evacuatione hac, & tamen ægri manſerunt ultra ſeptem dies ſuperſtites cum ſignis, materiem tranſlatam eſſe ad pulmones, ſuccedente peripneumonia id declarante. Ita habemus egregiam prognoſin inſtantis ſuppurationis ſeu empyematis, ne decipiamur judicantes, ægrum eſſe ſanatum, quia effugit anginam. Præſtantius autem foret hoc inſtans malum evitare per optimam medendi methodum. Si vocamur in tali periculoſa angina, omni ope tentanda eſt inflammationis reſolutio per repetitam venæ ſectionem, ſi unicæ non auſcultat, alvus ducenda antiphlogiſticis, collum fovendum cataplaſmate, fauces colluendæ diluentibus cum adjecto nitro; & vapores aquoſi ſæpe hauriendi, qui uſque in pulmones penetrant. Sed ſi his omnibus ante ſeptimum diem non auſcultat malum, reliquum tempus morbi ut peripneumonia ſuppuratoria vel empyema pertractandum, ut pus confectum per expectorationem ejiciatur. *Gorter.*

APHOR. II.

Τοῖσιν ὑπὸ τῶν φθισίων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανατῶδες.

In tabe vexatis, ſi ſputum quod tuſſi rejiciunt, carbonibus infuſum gravem odorem emittat, & capilli e capite defluant, letale eſt.

APHOR. 12.

Ὁκόσοισιν ἂν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι, διαῤῥοίης ἐπιγενομένης, ἀποθνήσκουσιν.

In tabidis ſi capilli e capite defluant, ii, ſuperveniente alvi profluvio, moriuntur.

Hos duos aphoriſmos in *lib.* 2. *de morb. n.* 46. ita expoſitos legimus : *Si quidem jam capilli ex capite huic defluant, caputque velut ex morbo nudetur, & ſuper prunas exſpuenti ſputum graviter oleat, hunc intra breve tempus periturum aſſerito, & ex alvi profluvio periturum.* *Ubi enim jam pus circa cor computruit, id prunis impoſitum nidorem exhalat,*

exhalat, *& una incalescens cerebrum salsuginem emittit*, *quæ alvum ciet*, *cujus rei indicium est*, *quod capilli ex capite defluunt*. Ex quibus constat, ea, quæ in secundo aphorismo dicuntur, non ita esse accipienda, ut inferatur, posse defluvium capillorum fieri, cui diarrhœa non succedat: ut verba ipsa aphorismi sonant, sed ut quid necessarium sequi. Quare clarius fortasse dixisset aphorismorum compilator hunc in modum: *Quibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt*, *hi per supervenientem alvi fluorem moriuntur*; aut quemadmodum in *Coac. sect.* 3. *n.* 255. *Tabidi*, *si capilli e capite defluunt*, *alvi profluvio moriuntur*. Atque hoc modo non solam mortem prædicere docemur, sed ejus modum, quod Medico non parum gloriæ parit. *Martian. p.* 457. Celsus *l.* 3. *c.* 22. *p.* 168. longe periculosissimam dicit phthisin, si, *quod exscreatum est*, *in ignem impositum*, *mali odoris sit*: & *l.* 2. *c.* 8. *p.* 71 *sq.* periculum subesse ait, *ubi capilli fluunt*; *atque in sputis odor fœdus est*; *maximeque*, *ubi post hæc orta dejectio est*, *protinus moritur*. Periculum exinde est, quia fœtor corruptionem in pulmonibus indicat, & si capillorum defluvium accedat, significatur materiam purulentam in sanguinem raptam esse & usque ad superficiem corporis deductam, ubi acrimonia sua destruit radices pilorum. Ultima phthisicorum scena, si purulenti, corrupti, humores cum sanguine circulantes delati tandem fuerint ad glandulas & emissaria intestinorum, *& ad extremum inferior alvus turbatur*. *Hippocr. lib.* 1. *de morb. n.* 10. Exemplum legesis in *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 6. *obs.* 103.

Sputa duobus ex locis præcipue proveniunt. Primo ex tota membrana pituitaria & fauci-

bus; hæc exſcreatu ſolent reddi; tali enim actione ſputum ſeu mucus tenax adhærens his partibus avellitur & ita rejicitur. Vel veniunt ſputa ex larynge, trachea arteria & pulmonibus; hæc ejiciuntur iterata tuſſi, qua hæ partes agitantur & aër cum impetu emittitur, qui ſimul educit ſputum lateribus harum partium adhærens. Quoniam auctor addit in primo aphoriſmo, *quod tuſſi rejiciunt*, hoc in loco intelligi debet ſputum, quod ex pulmonibus venit. De hoc ſputo dicit, *ſi gravem odorem emittat carbonibus infuſum.* Ergo non eſt opus, ut ſputa ſint fœtentia, niſi injecta carbonibus candentibus: auctoris enim noſtri mens eſt, elicere indicia ex ſputo non fœtente, quod prunis injectum fœtorem ſpirat. Simplex hoc experimentum magni eſt uſus, ſi modo ſciamus, quinam humores noſtri inodores prunis injecti fœtorem ſpirant, & qui inodores manent. Invenimus humores ex pituitaria membrana & trachea ſecretos, in ignem projectos nullum ſpirare fœtorem; ſed ſi ſanguis, humor nutritius, & pus infunditur prunis, tunc ſemper exhalat fœtor, etiamſi aliter ſint humores inodores. Ergo ex hoc experimento conſtat, vel humorem bonum circulatorium, vel pus tuſſiendo ejici. Quod experimentum non multum diſtat ab illo, quod cum ſputo in aquam dejecto inſtituitur: nam excrementitii humores aqua ſunt leviores, ac inde ſupernatant; humores autem circulatorii & pus aqua ſunt graviores ac fundum petunt. Ex obſervatione ſecundi aphoriſmi ſatis conſtat, quam perverſe multi dant medicamenta purgantia phthiſicis, quum ipſa natura doceat, alvi evacuationem, ut ſignum & cauſam nocere: experti enim ſunt Practici,

a

a purgante dato ſupprimi ſputum, & ſi alvum reſeraveris, non eſſe in Medici poteſtate eam iterum ſupprimere poſſe. *Gorter.*

APHOR. 13.

Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπλύουσι, τουτέοισιν ἐν τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίγνεται.

Qui ſpumantem ſanguinem ſputo rejiciunt, iis ex pulmone talis rejectio fit.

In *Coac. ſect.* 3. *n.* 250. legitur: *Qui ſpumantem ſanguinem evomunt, partibus infra ſeptum transverſum dolorem nequaquam ſentientibus, iis ex pulmone vomitio fit.* Celſus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 61. ita reddidit: *Qui ſpumantem ſanguinem exſcreant, bis in pulmone vitium eſt.*

Signum hic docetur, quo dignoſcitur ſanguinis ex pulmonibus rejectio ſive hæmoptoë a ſputo & vomitu cruento. Spumoſus eſt ſanguis, quia habet aërem inſpiratum mixtum. Ejus tamen excretio non ſemper a pulmone primario affecto provenit. Nam identidem viſcera abdominis ſanguinea, ut hepar, lien, ſi inſolitæ magnitudinis ſunt ſanguine & humore infarcta & obſtructa, dum æquabilem ſanguinis circulum, obice quaſi poſito, impediunt, ad immodicas & ſubinde exitiales ſanguinis tam per vomitum & ſeceſſum, quam

per vasculosam pulmonis substantiam profusiones, disponunt. Etenim intercepto alicubi sanguinis libero per vasa transitu, vi legum hydraulicarum, impetus ejus sic increscit, ut, ubi minorem resistentiam invenit, copiose confluat, vasa diducat tandemque perrumpat. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 34 & 55. Ex hepate malum esse observavit Hippocrates *Coac. sect.* 3. *n.* 216 & 273. *Qui spumantem sanguinem sputione rejiciunt, cum præcordiorum dextrorum dolore, iis ex jecinore prodit, & plerumque pereunt.* Ita, ut aphorismo præsenti doceamur tantummodo cognoscere in universum, per quam regionem sanguis excernatur, non quæ pars afficiatur, quando sanguinis spumosi fit excretio, nec quod in sanguinis spumosi rejectione pulmones semper affecti sint. *Martian. p.* 257. At vero, qui omni vitio carent sub diaphragmate, nec sunt colore flavo, subviridi aut fusco fœdati, habentque hypochondria bene morata, beneque constituta in omni beneficio æqualitatis; in substantia quidem, mollia, solida, & succi plena; in quantitate, λαπαρὰ, i. e. *in mediocritate posita contractionis & tensionis*; in qualitate vero, æqualiter suaviterque calida; denique a norma & præscriptione naturæ nusquam egressa; sine ulla umbilici palpitationes aut micantis arteriæ cœliacæ perceptione: tunc sanguinis exspuitio venit a pulmone. Quoniam nihil opinionem facit sanguinis anadromen facientis; non suppressa juvenum, familiaris olim, hæmorrhagia; non hæmorrhoïdes hominum hæmorrhoïcorum; non menstrua menstrualium. Deinde copia effluentiæ, tum effluendi modus, qui tanquam vomendo fit,

ac

ac fine dolore: hæc omnia funt fanguinis a pulmone manantis τεκμήρια. Pleno ore profundunt fanguinem: quale eft illud Virgilianum 2 *Georg.* 461.

- - - foribus domus alta fuperbis
Mane falutantum totis vomit ædibus undam.

Et Æneid. l. 9. ℣. 349. *Purpuream vomit ille animam:* ... accepto vulnere in thorace. Spectat aphorifmus ad phthifin, cujus origo eft illa pulmonum hæmoptyfis, vel hæmorrhagia. *Duret. in Coac. p.* 291 *fq.*

APHOR. 14.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγενομένη, θανατῶδες.

Phthifi fuccedens alvi profluvium, letale.

In *Coac. fect.* 3. *n.* 256. extat: *Tabidis fi fuccedant alvi profluvia, moriuntur.* Vid. etiam *ibid. n.* 244. & *lib.* 1. *de morb. n.* 11. & 14.

Infinuat hic aphorifmus, quod diarrhœa tabidis tunc folum letalis cenfenda fit, cùm iisdem jam confumtis fupervenit, juxta præced. *aph.* 12. principio enim morbi non letaliter aliquando fupervenire poteft. *Martian. p.* 458. Imo & ubi a vomica rupta abfceffus apertus oritur & magna puris ejicitur copia atque fic reftitutionis in integrum affulget fpes, mitioribus laxantibus primas vias ab humorum vitioforum colluvie repurgare confert. Vid. *Hoffm. Med. rat.*

rat. T. 4. *P.* 4. *p.* 311. & 319. Purgantia autem paulo validiora, ut aloëtica, ſcammoniata, elleborata, multo magis emetica, tum vires infringendo, tum temperatum humidum educendo, mirum in modum nocent: quare ubi humores a pectore derivandi leniterque per alvum evacuandi indicatio eſt, hoc fine mannata, tamarindinata & quæ ex rhabarbaro, agarico & ſennæ foliis conſiunt laxantia, omnium ſunt commodiſſima; & ſi talia nimiæ humorum copiæ imminuendæ parva doſi data non ſufficiunt, aut ſi humores nimis craſſi & viſcidi, qui minima vaſcula obſtruunt, reſolvendi & educendi ſunt, pilulæ de ſuccino Cratonis, aut quæ gummi ammoniaco, croco, mercurio dulci, extracto rhabarbari, aloës &c. conficiuntur, aptiſſime poſſunt ſubſtitui. *ibid. p.* 327. Si vero purgantis remedii uſu phthiſis ad inteſtina convertatur ſub ſpecie torminum ventris, & diarrhϾ; fere non erit amplius in poteſtate Medici talem ſiſtere diarrhœam; nam ad oſcillationem illam omnia colliquando ruunt liquida, hinc mors. *Bagliv. p.* 370. Auctore *Celſo l.* 3. *c.* 22. *p.* 171. alvus cita utique vitanda eſt. Prognoſis certe ſalutaris aperitur, ſi alvus compacta deponit; apud *Hoffm. l. c. p.* 309. Hujuſmodi ægris ſi alvus perturbetur, malum eſt, juxta *Aret. de cauſ. diut. l.* 1. *c.* 8.



APHOR.

APHOR. 15.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδ© ἔμπυοι γίγνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, ἐς φθίσιν μεθίςανται.

Qui ex morbo laterali ſuppurati fiunt, ſi intra dies quadraginta, ex quo ruptio facta eſt, ſuperne repurgentur, liberantur: alioqui in tabem tranſeunt.

Legimus in *Coac. ſect.* 3. *n.* 142: *Qui ex morbo laterali ſuppurantur, in quadraginta diebus poſt ruptionem pus ſpuitione rejiciunt*; & *ibid. n.* 210: *Quibus tubercula in pulmone oriuntur, ii pus intra dies quadraginta, ex quo fit ruptio, exſpuunt, quos ſi ſuperent, utplurimum tabidi fiunt.* Celſus ita reddidit: *Laterum dolores, ſuppuratione facta, deinde intra quadrageſimum diem purgata, finiuntur. Tabes ſubit, ſi in lateris dolore orta ſuppuratio intra quadraginta dies purgari non potuit. lib.* 2. *c.* 8. *p.* 66. & *cap.* 7. *p.* 62.

Eſt aphoriſmus præſens conſectarium præcedentis *aph.* 8. docens, quod ſi ſpatio quadraginta dierum non facta fuerit repurgatio, h. e. ſi intra dictum temporis ſpatium puris ſcreatus non ceſſat, fiat phthiſis, a pure retento, quo pulmo infectus exulceratur. Qui pus intro collecturi ſunt, iis primum quidem ſalſuginoſum ſputum exſpuitur, deinde dulcius. *Hippocr. Coac.*

Coac. sect. 3. *n.* 209. At purulentos omnes his signis dignoscere oportet. Primum quidem si febris non dimittit, verum interdiu levior quidem, noctu vero major detinet, & sudores multi oboriuntur, tussesque & tussiendi cupiditas ipsis inest, nihil tamen effatu dignum exspuunt, oculique cavi redduntur, malæ ruborem contrahunt, & ungues quidem in manibus adunci fiunt, digiti vero maximeque summi incalescunt, & in pedibus tumores fiunt, cibos minime appetunt, & pustulæ toto corpore oriuntur. At vero suppurationes magna ex parte rumpuntur, partim quidem vigesimo die, partim etiam trigesimo, quædam quoque quadragesimo, aliquæ etiam ad sexagesimum diem deveniunt. Suppurationis autem initium fore ratione comprehendere oportet, ab eo die quo primum æger febricitavit, aut etiam primum rigor prehendit, & si, pro dolore, sibi pondus inesse in eo loco, qui dolore affligebatur, dixerit. Ista namque circa suppurationum initia fieri solent. Ex hoc igitur tempore suppurationum ruptionem fore intra prædicta tempora expectandum est. At ex his, quæ citius aut tardius rumpuntur, sic deprehendere licet. Si quidem dolor inter initia oriatur, & spirandi difficultas, ac tussis sputatioque perseverant & ad vigesimum diem extenduntur, intra hoc tempus, aut adhuc prius ruptionem expectato. Quod si mitior dolor fuerit, iisque cætera omnia pro hujus ratione respondeant, tardius ruptionem sperato. At ante puris eruptionem dolorem oboriri, & spirandi difficultatem, & sputi excretionem necesse est. Supersunt autem ex morbo hi potissimum, quos febris eodem post ruptionem die

die dimisit, quique cibos celeriter expetiverint, & siti liberantur, venterque tum exigua, tum coacta dejicit, & si pus album & læve ejusdemque coloris fuerit, & a pituita liberum, citraque dolorem aut tussim vehementem educatur. Sic quidem optime & celerrime liberantur, sin minus, qui ad ista proxime accedent. *Hippocr. Prænot. n.* 15. 16. 17. Conf. *Duret. in Coac. p.* 240. In *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 3. *o.* 98. observatio est de pleuritico purulenta exspuente ultra terminum in præsente aphorismo determinatum, qui convaluit usu lactis caprilli cum conserva rosarum per aliquot septimanas continuato.

APHOR. 16.

Τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεωμένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας· ταῦτα οἷσι θάνατος.

Calidum eo frequentius utentibus has adfert noxas, carnium effœminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis profluvia, animi defectiones, ad quæ mors sequitur.

Præsens aphorismus una cum proxime sequentibus absque dubio ex *lib. de humid. usu* desumtus est, ubi *n.* 3. totidem legitur verbis. Cum autem ejus libri intentio sit de usu liquidorum tractare, quæ exterius admoventur, patet,

patet, quæ de aquæ calidæ & frigidæ facultatibus hoc in loco traduntur, perperam extendi ad ea, quæ interius aſſumuntur. *Martian. p.* 458. Celſus ita reddidit *l.* 1. *c.* 9. *p.* 40: *Calor ſi nimius eſt, corpus effœminat, nervos emollit;* & *l.* 2. *c.* 1. *p.* 44. *Calor omnis mentem hebetat, & ut anima deficiat, ut ſanguis prorumpat, efficit.*

Aqua calida laxat contextum fibroſum, atque frequenter uſurpata producit *carnium effœminationem*, h. e. mollitiam & laxitatem; motum muſcularem torpeſcentem & *nervorum impotentiam*, atque hinc pendentem *mentis torporem;* facilem vaſorum extenſionem, rupturam, unde *ſanguinis profluvia*, & hinc *animi defectiones* ſeu deliquia, ac denique *mortem* a defectu virium, fatiſcenteque motu ſolidorum.

APHOR. 17.

Τὸ δὲ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigidum vero convulſiones, nervorum diſtentiones, denigrationes, & rigores febriles.

Extat hic aphoriſmus totidem verbis in *lib. de hum. uſ. n.* 3. ubi de aquæ frigidæ immoderatius corpori exterius admotæ noxis agitur. In *lib. de fractur. n.* 37. ubi Hippocrates cavendum eſſe docet, ne oſſa nuda frigidis per exordia perfundantur, propter metum rigorum febrilium, mox pro ratione addit: *frigida enim ſemper convulſionem accerſunt;* & in *lib. de artic. n.* 74. ſimiliter, poſtquam caviſſet, ne tibiæ

tibiræ offibus luxatis applicentur fplenia vino madentia admodum frigida, fubdit: *frigus namque in hujufmodi affectibus convulfionem accerfit.* Hinc etiam *Celfus l. 2. c. 1. p.* 45. non privatim de aqua frigida, fed de omni frigore in genere doctrinam Hippocraticam exponit: *Frigus modo nervorum diftentionem, modo rigorem infert; illud σπασμὸς, hoc τέτανος Græce nominatur: nigrorem in ulceribus & horrorem in febribus excitat.*

Præcipuus atque primus frigoris effectus eft, folidorum quorumcunque contractio, fluidorum denfatio. Applicatum ergo corpori humano, conftringendo vafa ad cutim locata, eorum actionem in humores auget, ut celerius pellantur contenti liquores, & fanguis majori cum impetu ab exterioribus ad interiora corporis deferatur: unde major nafcitur corpori calor (id quod etiam docemur in *lib. de humid. uf. n. 6: corpus poft frigidæ ufum contractum magis recalefcit.*) Si autem eoufque quædam conftringatur vafa minima, ut non tranfmittere queant humores, quos, ubi aperta erant, continere femper & aliò, lege circulationis, pellere folebant, liquidorum copia manente eadem, meatuum five viarum numero imminuto, celerius fanguis movebitur reliquus per vafa patula. Ergo & fic a frigore calor. In obturatis jam canalibus ftagnans humor denfatus, & preffus a fanguine appellente ad partem, non vero ulterius penetrare valente, vafa fua extendit & attollit: interim fanguine impetum faciente ad partem obftructam, oriinflammatio, quæ fæpenumero abit in gangrænam. Conf. *Rivin. de frig. damn.* A virtute itaque frigoris humores corporis noftri denfante,

fibrasque & vasa constringente, atque hinc impedito per vasa minima exteriora libero sanguinis & humorum circuitu, graves & periculosos, in partibus præsertim debilioribus infarctus, vasorum repletiones & morbiferas stases & stagnationes oriri clarum est. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p* 324. *T.* 2. *p.* 436. Et *convulsiones* quidem (σπασμοὶ, Celso *nervorum distentiones*) seu invitæ, violentæ, & alterne repetentes, musculorum contractiones, a liquido nervoso fortiter & diu in musculum influente, fiunt vel idiopathicæ ab ipsis spinalis medullæ membranis primario irritatis, convulsis, & in hanc convulsionum societatem alias sibi connexas partes abripientibus; vel sympathicæ, cum partes quædam a frigore constrictæ, irritatæ, distentionem cum medulla spinali communicant, ex qua ad alias iterum defertur regiones. vid, *Hoffm. l. c. T.* 4 *P.* 3. *p.* 61. *Nervorum* autem illa *distentio* (τέτανος, *rigor* Celso), in qua vel universum corpus, vel singulare aliquod membrum omnino rigidum existit, ut in neutram partem flecti queat, quum sit convulsio musculorum flexorum & extensorum simultanea, ponit majorem partium nervosarum a frigore irritationem & stricturam. *Denigrationes* partium manifestant factam gangrænam, infausto inflammationis exitu, vascula rigida rupta, liquores stagnantes putrescentes, ichorem sub epidermide effusum. *Rigor* (*horror* apud Celsum) generaliter notat frigoris sensum illum *ubi totum corpus intremit*, ceu exponit *Celsus l.* 3. *c.* 3. *p.* 116. qualismodi in febrium intermittentium accessu percipitur. Inde apposite in textu nostro *rigores febriles*; quia, ut in febribus rigorem excipit calor, ita

ita etiam ab frigore, quod exterius admovetur, post rigorem corpus incalescit. Sicuti vero febre utitur natura tanquam salutari instrumento, per auctiorem nempe progressivum humorum motum, quo expugnet ipsam suam causam, corrigendo nimirum, resolvendo, excernendo materiam morbificam (*Hoffm. l. c. T.* 4. *P.* 1. *p.* 8.); ita rigores sunt semper signa coactæ retentionis ejus, quod natura expellere & secerni avet. vid. *Linn. de febr. interm.* Non autem aphorismus præsens privatim de rigoribus intelligendus est, qui in febribus contingunt, de quibus tractat Hippocrates 1 *de morb. n.* 22. & Celsus intelligit; sed de illis, qui etiam in secunda valetudine percipiuntur a perspiratione impedita, poris per frigus adstrictis: nam ibi non legitur ῥίγεα πυρετώδεα, *rigores febriles*, sed ῥίγος ἐν τῇσι νούσοισι *rigor in hisce morbis.* Quid? quod Celsus ipse, ubi *l.* 1. *c.* 9. *p.* 39. ex frigore horrores tremoresque nasci ait, hæc verba non profert ad notandos effectus frigoris in morbis, febribus, verum in quovis statu corporis humani; quamvis forte ante oculos habuerit locum cit. *Hippocr.* 1. *de morb. n.* 22. in quo etiam distinguitur horror a tremore, imo horror a rigore: nam ibi τὸ ῥίγος *rigor* dicitur, quando refrigerato sanguine reliquum totum corpus refrigeratur, qui rigor ubi vehemens fuerit est *tremor* ὁ τρόμος; *horror* autem, ἡ φρίκη, significat quod est debilissimum.

Quid autem significat *Tremor*? Hujus nomine intelligunt Medici alternam eorundem musculorum contranitentium contractionem a debilitate provenientem, & luctari, ajunt, pondus partis cum facultate, quæ ut debilis modo superat, modo superatur; res autem ita se habet.

bet. Quoniam musculi alterne contrahuntur; & cum sustinendum est pondus per temporis spatium longius, quam unica naturalis contractio fert, oportet, ut multæ, sed frequentissimæ contractiones repetantur, vel ut continue contrahatur musculus, per quantum temporis spatium requiritur, h. e. ut continue per illud spatium temporis spiritus deriventur in musculos; igitur qui paucis spiritibus donantur non solum apta ad frequentissimas, & multas contractiones, vel una producta per longum tempus quantitate spirituum destituentur, verum fieri poterit, prout magis, ac magis deficiunt spiritus, ut musculi contrahantur rarius, quam in naturali statu, unde elevabitur, ac demittetur alterne pondus rarius, frequentius, prout major, aut minor copia spirituum viget, seu in iisdem dabitur tremor crebrior, rarior. Hinc in senibus, in imbecillibus, in sui ipsius diffidentibus, qui nempe dubitant, num iis viribus polleant, quæ sufficiant oneri, contingit tremor; per ejusmodi enim suspicionem jam excitatur tremoris species, imo vero ipsa suspicio vigens nihil aliud est, quam ipsa tremoris species jam excitata: hinc etiam validi in tremorem venimus, cum calicem vino nimis plenum tenere, & admovere ori cogimur; statim enim dubitamus, num tanti simus ad traducendum calicem absque eo, quod vinum defluat, cum opus sit contractione maxime æquabili, atque continua, ejusmodi autem dubium nihil aliud est, quam species tremoris, qua actu vigente fiat tremor oportet. *Bellin. de urin.* &c. *p.* 562.

APHOR. 18.

Τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον.

Frigidum offibus adverfum, dentibus, nervis, cerebro, dorfali medullæ: calidum vero utile.

Sedes hujus aphorifmi eft in *lib. de humid. uf. n.* 4. *Cerebrum quæque ex eo oriuntur, frigida quidem offenduntur, calida vero delectantur, etiamfi natura fit frigidius & folidius. Eam ob caufam offibus, dentibus, frigida adverfa eft, calida vero grata, quoniam convulfiones, diftenfiones, rigores febriles, quos frigida creat, calida fedat.* Celfus in hunc modum profert *l.* 1. *c.* 9. *p.* 39: *Frigus inimicum eft offibus, dentibus, nervis, vulvæ, cerebro.*

Offa, dentes, nervi, partes funt denfæ ftructuræ, donatæ proin vafculis ftricte compresfis, quorum cum arctiffimi diametri fint, a frigore applicito facillime læduntur, hoc enim denfando & arctando lymphæ motum aut tardat aut fiftit; unde facta ftafi convulfiones &c. juxta *aph.* 17. Cerebro & fpinali medullæ inimicum quoque frigus conftringendo tenuiffima vafa; unde eadem mala. Calidum vero contrà amicum eft dictis partibus, quia laxando vafcula denfata liberum conciliat humoribus motum. *Hecquet.* Uti vero omne frigus parti-

bus nervosis inimicum est; ita maxime ventriculus & intestina, inter nervosas præcipuæ partes, pernicialem a frigido potu proxime & primario vim experiuntur, dum non modo a frigore sanguinis & lymphæ nervorum per has partes liber transitus impeditur, sed & tonus & motus earum peristalticus ob rigiditatem, quam fibris infert, labefactatur, unde inflammatio, cardialgia, colica, iliaca passio, proveniunt. vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p* 314. Nulli autem ætati ut omne frigus, ita maxime frigida potio tam infensa est, quam senili. Nam senes jam per se ex omnium Medicorum consensione calidi, ut loquuntur, nativi defectu laborant, & valde languidum ad concoctionem habent ventriculum, idque eam ob causam, quia arctioribus meatibus redditis sanguis & fluidum nerveum uti in omnes partes, ita maxime in ventriculum & intestina parciori copia influunt. Quare multo facilius cursus sanguinis a frigido in his partibus sisti potest, adeo, ut sphacelus mox eas partes corripiat. Quin etiam a sola refrigeratione harum partium propter fructus horæos refrigerantes, æstivo tempore magna in copia ingestos, aliquot decrepitæ ætatis viros mortuos animadverti. Quidam in stranguriam inde incidunt molestissimam, quæ ægerrime sanationem recipit. Alii dolorem colicum, rursus alii affectus soporosos inde sibi contraxerunt. Atque hoc saluberrimum præceptum circa noxam potionis frigidæ non modo senes, sed & alii infirmioris naturæ homines & valetudinarii, & qui ex præcedente morbo, vel immodicis evacuationibus vires & vigorem amiserunt, omni cura observare debent, siquidem nihil tam subitam

in

in perturbanda motuum vitalium œconomia mutationem, præter exceſſivum frigus, ſive cum potu, ſiue extrinſecus corpori admiſſum, inferre poteſt; ſique Medici morborum tam chronicorum, quam acutorum primordia paulo curatius inveſtigare vellent, certiſſime futurum eſſet, ut nihil magis, quam frigidum potum ſanitatem offendere deprehenderent. *Ibid. p.* 319. Cave tamen exiſtimes, aphoriſmum hunc ſimpliciter & abſolute ſumtum verum eſſe. Nam nonniſi immoderatum frigidæ uſum noxium corpori cenſendum eſſe, indicavimus ex Hippocrate ad proxime præcedentem *aph.* 7, & ad *aph.* 16. vidimus etiam calorem nimium lædere. *Iis enim quæ lædunt aut juvant, & ſi ſunt ejuſmodi, eouſque uti convenit, quoad juvare vel lædere videantur. Calida ne ulterius procedat, ut urat. Verum in his ejus qui affundit cutis judex eſto, ac ſimiliter in frigida. Harum autem utraque noxam adfert; ac moderatus quidem uſus juvat. lib. humid. uſ. n.* 1. 2. 3.

APHOR. 19.

Ὁκόσα κατέψυκται, ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει.

Perfrigerata excalefacere oportet, præter ea, quæ ſanguinem effundunt, aut brevi effundent.

In *lib. de humid. uſ. n.* 1. legitur: *Frigida calefacere, velut pix, ulceribus, præterquam ex quibus ſanguis effluit, aut effluxurus videtur.* Apud Celſus *l.* 1. *c.* 9. *p.* 39: *Calor adjuvat omnia, quæ frigus infeſtat.* C 4 Nimi-

Nimirum juxta *Hippocr. lib. de flat. n.* 2. contrariorum contraria sunt remedia. Calor perfrigerata juvat, quia laxat constricta & obstructa aperit, ut liber sit humoribus in parte motus. Hinc etiam est, quod dicatur in *de humid. us. n.* 11. *calidam plurimum conferre iis, quæ a frigore aut moriuntur, aut ulcerantur.* Sed vero experientia repugnat, docens potius immergendam esse partem congelatam in aquam frigidam, aut fricandam nive. Quin fatetur ipse Cous *l c. n.* 2. pedes quibusdam perfrigeratos decidisse ex calidæ affusione. Quomodo igitur hæc inter se cohærent? Solvit dubium Aristoteles 1. *Probl.* 55. 56. quando affirmat, calidâ æque ac frigidâ curari ejusmodi ægros, sed frigidam esse præmittendam. Talis curatio septentrionalium plagarum incolis usitatissima est. Partes enim congelatas, ante quam ad ignem vel vaporarium accedunt, nive probe perfricant, aut immergunt in aquam frigidam aut nivem. In altero aphorismi membro docemur, quod calefacere non convenit, ubi nempe metuitur, vel adest, sanguinis fluxus, quia laxando tonum partis sanguis eo versus magis invitatur, & a facili vasorum extensione rupturæ contingunt, juxta notata ad præcedentem hujus sect. *aph.* 16. contrà autem sanguini profluenti aut paulo post fluxuro adhibenda frigida est, ex sequente mox *aph.* 23. Utinam memoriter tenerent dicta, qui tabescentes ex hæmoptysi, confestim solio calidæ immergendos curant, hinc recrudescit morbus, & pristinæ duplicantur difficultates. Interim & hoc notandum, non interdici ab auctore calidæ usum, ubi futura est sanguinis eruptio naturalis, sed quæ præter naturam. Sic ubi tardigradus attenditur mensium reditus,

nullum

nullum præstantius auxilium, quam insessio in calida, præsertim si fuerit medicata. *Nard. Noct. gen. p.* 25 *sq.*

Aphor. 20.

Ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιέει, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

Ulceribus quidem frigidum mordax est, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, denigrationes, rigores febriles, convulsiones, nervorum distentiones.

Paulo plenius in *lib. de humid. us. n.* 11: *Ulceribus frigida quidem mordax, cutem obdurat, tumorum dolentium suppurationem impedit, livorem & nigredinem inducit, rigores febriles, convulsiones item ac distentiones.* Brevibus Celsus *l* 1. *c.* 9. *p.* 39. expedit: *Frigus summam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram. Ex hoc horrores, tremoresque nascuntur.*

Mordax ulceribus intelligitur esse frigidum, quia patula vascula constringendo, repellit humorem lymphaticum eructandum, a quo stagnante, pressisque lateralibus, dolor, & impedita suppuratio: quæ sunt spasticæ fibrarum rigiditatis incommoda. *Hecquet.* Reliqua sunt clara ex dictis ad sect. huj. *aph.* 17.

APHOR. 21.

Ἔστι δὲ οὐκ ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος, νέῳ εὐσάρκῳ, θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται· θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

Quandoque tamen in nervorum diſtentione abſque ulcere, in juvene corporis habitu carnoſo, æſtate media, frigidæ copioſa perfuſio caloris revocationem efficit: calor autem hæc ſolvit.

Iisdem verbis hic aphoriſmus legitur in *lib. de humid. uſ. n.* 11. Apud Celſum *l.* 1. *c.* 9. *p.* 39. tantum hæc habentur: *frigus prodeſt juvenibus, & omnibus plenis.*

Connecti poteſt hic cum præced. aphoriſmis 17. 18. & 20. ubi partibus nervoſis nocere dicta eſt frigida, ſpaſmosque inducere; ita ut nunc oſtendatur, illis non contrariam eſſe obſervationem, frigidam aquam in diſtentione nervorum aliquando profuiſſe: eo quod juvet ex accidenti, ut ajunt, revocando calorem ad interiora.

Tetanus ſignificat hic rigorem fibrarum, ceu illarum tonicum ſpaſmum, quem juvenibus, imo juvenculis, bene carnoſis, parit ſanguinis plethora aut ſuccorum luxuries. Hujus generis ſpaſmis laborans mulier illa ſana & obeſa, quæ multoties exanimata h. e. ſyncopen paſſa eſt,

eſt, ut exſpiraſſe videretur, quæ ab aquæ frigidæ amphoris circiter triginta corpori affuſis ſervata eſt. Vid. *Hippocr.* 5 *Epidem.* *n.* 18. Simile quid exhibet ſubitanea tendinum & membranarum pedis violentius & ultra modum facta extenſio, quam cito ſanat illico facta in frigidam pedis immerſio: *caloris enim revocationem facit frigidæ multæ affuſio*: i. e. reſtituit conſtringendo, denſando, elaterem partium a nimia diſtentione labefactatum, ut ſuſcitata oſcillandi virtute ſuccorum ſtaſes diſcutiendo ſolvantur, atque circulationi reddantur. Præſtat ſalutarem effectum affuſio aquæ frigidæ tantum *in juvenibus*, *bene ſanis*; nam hi, gaudentes robore ſolidorum, reſiſtere poſſunt impetui, quem applicita frigida, ab exterioribus ad interiora corporis pellendo humores, exſerit: nam in frigidis, ſenibus, laxis, mollibus, infantilibus corporibus, tale præſidium ſpaſmos creabit, juxta 5 *aph.* 17. *Æſtate media* remedium dictum procedere dicit aphoriſmus; eo quod tunc vaſcula ad cutem diſſeminata, laxata a calore, conſtrictione per frigus facta, remeare faciunt humores ad interiora, ut eò pulſi motu ſuo ſtaſibus ſolvendis impendantur. Inde additur: *calor autem hæc ſolvit*: h. e. quia calor excitatur in corpore per frigidæ affuſionem, reſolutio ſpaſmi attribuenda venit calori. Proſpiciendum vero, ne in corpore ſit aliquod ulcus, propter 5 *aph.* 20 & 25. *Hecquet.* Equidem Hippocrates 3. *de morb.* *n.* 14. in tetani & opiſthotoni curatione præcipit aquæ frigidæ plurimæ ſuperfuſionem indiſtincte omnibus, non annotata ulla jam dictarum cautionum ſeu conditionum: Quare etiam admonet *Paulus* *l.* 3. *c.* 20. frigidæ ſuperfuſionem in hiſce morbis

bis maxime temerariam esse, eoque posteris vituperatam & a se ipso damnatam, devitatamque. Nihilo tamen minus fatetur optimum hisce affectibus esse præsidium febrem, quæ per initia non fuerit, supervenientem: id quod Hippocrates observavit 4 *aph.* 57. item 5 *aph.* 70. In *l.* 1. *de morb. n.* 6. *Mulieri ex partu convulsione infestatæ, si febris succedat, bono est: Si distentio* (τέτανος) *aut convulsio detineat, febrem supervenire bonum:* & Medicis imitandum proposuit 2 *Epidem. n.* 10. ubi, *Puerperas*, ait, *si convulsio prehenderit, febrem excitare convenit*; suadet autem manifesto in præsente aphorismo febris talis excitationem. Nempe aqua frigida quando superfunditur corpori juvenili in media æstate, poris & fibris constrictis rigor ac horror fit, & repellitur sanguis ad interiora, sicque sollicitans cordis musculos excitat motus vehementiores, qui valde proficui sunt ad tollendas chronicorum morborum causas: semper enim & necessario, ut loquitur Hippocrates 1 *de morb. n.* 22. post rigorem major aut minor febris supervenit. Longe vero tutius est, medicamentis validioribus, quæ motum injungunt sanguini & humoribus, causas morborum chronicorum removere. Et hinc luculentissime patet ratio, quare decens usus decoctorum lignorum, Thermarum, Acidularum, Salivantium, Sudoriferorum, Diaphoreticorum, in chronicis & radicatis passionibus expurgandis, tanta vi tantaque efficacia polleat. *Hoffm. de sal. febr.* §. 37. Conf. *Haen Rat. med. P.* 6. *p.* 151.

APHOR.

APHOR. 22.

Τὸ θερμὸν ἐκπυητικὸν, οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην· δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν· τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει. πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατήγμασι, μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι, τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι· καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει, ἢ ἑλκοῦται, καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει· τουτέοισι τὸ θερμὸν φίλον καὶ κρῖνον· τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον, καὶ κτεῖνον.

Calidum ſuppurationem movens, non in omni ulcere, maximum ſecuritatis indicium exhibet: cutem emollit, extenuat, dolorem tollit, rigores, convulſiones, nervorum diſtentiones mitigat; capitis gravitatem ſolvit. Oſſium vero fracturis plurimum confert, ſed præcipue his, quæ carne nudata ſunt; iiſque maxime, qui in capite ulcera habent; his etiam quæ a frigore emoriuntur, aut exulcerantur, & herpetibus exedentibus, ſedi, pudendo, utero, veſicæ, iis omnibus calidum gratum & judicationem faciens; frigidum vero inimicum, & interimens.

Totus

Totus hic aphorismus scriptus est in *lib. de humid. us.* §. 11. his verbis: *Calida, etsi non in omni ulcere suppurationem promovet, maximo tamen est securitatis indicio, cutem emollit, attenuat, dolorem tollit, rigores, convulsiones, distentiones mitigat, ipsa quoque capitis gravitatem solvit. Plurimum autem ossium fracturis confert, præcipue vero denudatis, ex hisque maxime capitis vulneribus, & iis quæ a frigore moriuntur, aut ulcerantur. Ulcerationibus itidem tum voluntariis, tum involuntariis, & quibus cutis abrasa est, herpetibus exedentibus, denigratis, sive in gingivis, sive in aure, sive in ano, sive in utero. His omnibus calida grata est, & ad judicationem confert, frigida vero adversa est, & interimens.*

Calidæ aquæ vires ad usum medicum externum hic laudantur, contrariæ illis quæ de aqua frigida enarratæ sunt in præced. *aph.* 17. 18. 20. *Suppuratoria* est ob calorem & humiditatem, quibus binis qualitatibus promoventur suppurationes. hinc *in ulcere non omni* prodest, sed in eo, quod suppurationis capax est; tunc ergo *magnum signum securitatis erit*: nam ulcera in tantum sanabilia sunt, in quantum ad felicem possunt duci suppurationem. Quoniam *emollit, extenuat*, laxat crispaturam fibrarum, stasinque humorum solvit, prodest *ad dolores mitigandos, sedat rigores, spasmos, distentiones, capitis gravitatem solvit. Ossium fracturis, maxime denudatis, plurimum confert*, eo quod phlogoses præcavet, & præsentes tollit; maxime vero si simul *in capite ulcera* fuerint. *Hecquet.* At vero ulcera calidâ delectari, quod tegi sint solita, omnium opinione constat, ut notat Hippocrates *de humid. us. n.* 5. In iis, *quæ a frigore emoriuntur, aut exulcerantur*, aquam calidam perni-

perniciofum effe remedium, demonftrat experientia, & ipfe Hippocrates *l. c. n.* 2. obfervavit, quibufdam pedes perfrigeratos decidiffe ex calidæ affufione. Quare non ita intelligendus eft aphorifmus, ut ftatim a fummo frigore ad extremum calorem tranfeas. Eft autem modus primum talis. Ubi pedes vel alia pars obriguit gelu, ponendus eft laborans non multum prope ignem magnum, tamen ut aër incalefcat: membra autem gelu durata in aqua e puteo ftatim haufta, atque ita emollienda: poft vero ponenda funt in tepida, ubi aliquid fenfus receperint: demum linteis tepidis ac mollibus funt involvenda multiplici circumvolutione: ac ubi refrigerantur permutanda, fenfim vero calidiora admovenda. Caufa horum eft, quod dicitur ab Hippocrate *ibid. n.* 6. quod *poft calidæ ufum corpus perfrigeratum magis frigefcit, & poft frigidæ ufum contractum magis recalefcit.* Itaque dum tenuis eft adeo calor in congelatis, per calidam evanefcit, per ignem vero etiam aduritur: ob id calida ab initio non convenit, ignis autem nunquam nifi poft reftitutionem. *Cardan.* Curatio feptentrionalium plagarum incolis ufitatiffima eft. Partes congelatas ante, quam ad ignem vel vaporarium accedunt, nive probe perfricant, aut immergunt in aquam frigidam aut nivem. Laudantur etiam vulgo adverfus perniones rapa congelata, poma putrida, puls avenacea. Inftar omnium effe poteft pediluvium ex decocto agrimoniæ, hyffopi atque majoranæ, fi nondum exulcerati fint, pro fcopo difcutiendi; fi exulcerati jam fuerint, ex ochra thermarum; quod utrumque multiplici experimento confirmatum eft. *Rivin. de frig. damn.* Mulierculis Danicis ufitata

eft

est puls ex avena contrita pro cataplasmate calide applicata, terebinthina, fæx cerevisiæ melioris, & tostus raphanus. In ulceratis tamen cautius procedendum. *Barthol. de nive, p.* 179. Si cui a magno gelu læso *phlyctænæ*, i. e. pustulæ lividæ, pallidæ, aut, quod pessimum, nigræ exortæ sint, ne aspernetur malum, sed mature se curandum committat Medico aut Chirurgo experientia confirmato: neque citissimam ab eo expostulet sanationem. Certum enim est, subesse multum jam corruptæ substantiæ, quæ debet a sano separari & discedere, ad quod tempore omnino opus est. Quod si aliquis non possit Medici opera uti, illi suaserim rapam radula comminuere, & vel butyro vel oleo percoquere, colatum cum mucilagine semin. Cydoniorum agitare & inducere: aut, si rapa non adsit, oleum semin. raparum vel lini simili ratione temperatum imponere. Si jam separatio incipit & succedit, loco mucilaginis vitellus ovi addatur: tandem ad exsiccantia & consolidantia progredi oportet, quo scopo bene facit emplastrum aliquod saturninum, ut de spermate ranarum, camphoratum, Norimbergense &c. Si profundior corruptio sit, non tamen ossa tangat, Unguentum fuscum Fel Wurtzii, vel Ægyptiacum requiruntur. *Hoffm. morb. peregr. cap.* 1. §. 9. Si pedes, vel extremæ aliæ partes, vi frigoris *emortuæ* sunt, nullum nisi in ferro auxilium. Pedes lignei substituantur, & nasus per Chirurgiam curtorum restituatur. *Barthol. l. c.* Ubi vero in pernionibus curandis proceditur, partem nempe fovendo, non per calorem, sed fricando plurima nive, vel immergendo in aquam frigidam aut nivem; ita etiam negotium aggredi

aggredi convenit, si quis ex toto congelatus fuerit: sic ut hominem, si opus, etiam totum in gelidam demergere aquam conducat. hoc enim facto, undique erumpit gelu, ut corpus glacie quasi armatum conspiciatur. Postea propinanda sunt spirituosa, aromatica, calefacientia. Quid, si rigidus ex aquis protrahatur? alia ineunda via erat. Pannis obvolutus ad lenem ignem sensim sensimque refocilletur. Vid. *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 6. *o.* 20. Nullibi autem omittenda sunt sudorifera, ut sanguis congrumatus resolvatur. Nec abs re fuerit secare venam, ut liberior sanguini concilietur motus concesso ampliore spatio. At specialissima, seu morbos a frigore productos, descendere supervacaneum est, quia illi tractandi sunt ex suo genio. Sicuti vero rarissimum est, a frigore produci stupiditatem, ita nec vulgare videtur remedii genus, quod in tribus puellis eodem modo infatuatis, & per 14 dies ad cuncta negotia ineptis expertum suggerit Bartholinus in *H. A. Cent.* 6. *hist.* 88. pellem scilicet vervecinam calentem recens ab animali detractam, qua capita frigore stupida fovebantur, donec ad se redirent miseræ. *Rivin. l. c.*

Herpetibus exedentibus, i. e. ulceribus in latum & profundum serpentibus, *sedi*, *pudendo*, *utero*, *vesicæ*, *calida grata est*, vel quia nervosæ sunt partes, vel quia assuetæ calido loco degere. Nam *corpus quidem tegi solitum*, *quicquid minime est assuetum & longissime a familiari calore abest*, *alieno vero frigori est proximum*, *aversatur*, *ideoque calida delectatur & ferre potest. lib. de humid. us. n.* 3. Propterea adjicitur *n.* 5. 6. delectari calida etiam venas, thoracem, ipsumque ventriculum, imum ventrem, partes extremas etiam,

& veſicam, & uterum, & alias partes genitales. *Judicationem* vero *facit*, h. e. ſolvit morbos, ſeu ad eorum curationem confert, dum emollita, laxata, cute, corruptus, acris, viſcidus, & hinc ulcerans, humor extrorſum ducitur, & ſordes abluuntur: modo obſervetur, ut prius tota ſanguinis & humorum maſſa viſcida, acris, corrupta, debitis internis corrigentibus ac depurantibus ad blandiorem temperiem fuerit redacta, & ſimul ſub uſu externo aquæ calidæ, interna, præſertim diaphoretica, eo fine continuentur, ut quæ forte intus remanſerint impuritates expellantur. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 5. *p.* 221. *Frigidum inimicum & interimens eſt*, ceu notatum ad præced. *aph.* 17. 18. 20.



APHOR.

APHOR. 23.

Ἐν τοῖσι δὲ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέει ἢ μέλλει, μὴ ἐπ᾽ αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ· καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ, ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν, καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα· ἐπεὶ τά γε παλαιὰ μελαίνει. καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκούμενον ὠφελεῖ· ἐπεὶ τό γε ἑλκούμενον βλάπτει.

At frigido in his utendum unde ſanguis profluit, aut paulo poſt fluxurus eſt, non ſupra ipſas partes, ſed circe eas unde profluit: & ſi quæ inflammationes, aut incendia quædam ad rubrum, & ſubcruentum ex recenti ſanguine vergunt, ſuper ipſa: inveterata namque denigrat. Eryſipelas etiam non ulceratum juvat; ſiquidem exulceratum lædit.

Prima hujus aphoriſmi particula, in *lib. de humid. uſ. n.* 11. præcedenti aphoriſmo ſubjungitur ita: frigida adverſa eſt & interimens, *præterquam in quibus ſanguinis profluvium metuimus*: & paulo ante *ibid.* hæc leguntur: *Frigida* (ſcilicet prodeſt) *dolore carentibus, valde rubicundis, humorum collectiones in venis facere ſolitis, qualia ſunt acroſa circa thoracem & feſtucis ſimilia* (χοιράδώδεα), *aliaque dura.* Celſus *l.* 1.

c. 9. p. 39. ad hunc textum forte respexit, quando hæc scripsit: Aqua frigida prodest *rubicundis nimis hominibus*, *si dolore vacant*.

Declaratur hic frigidæ usus externus adversus hæmorrhagias præsentes aut futuras; nam calidam tunc obesse, monuit præcedens *aph.* 19. Exerit nimirum frigida vim intercipientem, dum contactu suo solida constringendo vasorum diametros minuit, sicque appellenti sanguini resistit, ejusque cursum aliò determinat. Ea propter *non super ipsa parte* frigidam admovere oportet, sed *circa hæc*, i. e. circa adjacentia loca, ut nempe cohibitus sanguis ante quam ad hæmorrhagiæ locum appulerit, retineatur in via, occurrentesque sibi & patulos subeundo laterales hinc illinc arteriarum ramulos alioversum feratur; v. g. contra hæmorrhagiam narium applicatio fit ad frontem, contra hæmorrhagiam uteri ad lumbos. Michelottus sanguinis ingens ex utero profluvium communibus medicamentis, & ne perfrigida quidem aqua, quicquam proficientibus, promptissime in matrona media ætate suppressit; perurente glacie genibus, & cruribus superimposita, cruralibus, & quod consequitur iliacis, aliisque in uterum desinentibus arteriis, ac venis maximopere coarctatis, repressoque propterea, ac veluti a consuetis viis interclusо sanguine. Vid. *Eph. N. C. Vol.* 3. *p.* 207. *In inflammationibus incipientibus* quibuscunque & erysipelatibus (*novo sanguine*) *super ipsa loca* affecta si admoveatur, agit repercutiendo, dum constringendo vasa auget vim eorum oscillatoriam, qua repellitur stagnare incipiens sanguis. In *veterascentibus* autem inflammationibus nocet, *nigrefaciendo* h. e. sphaceli causas cumulando, quia

quia stasin jam factam auget, constrictis per frigus vasis. Quare uti *erysipelas* fieri incipiens, *non ulceratum* juvat; sic *exulceratum lædit*, ob dicta 5 *aph.* 20. Patescit sic Veterum ratio tractandi erysipelas per repellentia, seu, ut vocat Celsus *lib.* 5 *c.* 26. §. 33. reprimentia & refrigerantia. Sed merito in erysipelate rejicitur hodie hæc methodus, & ei substituitur regimen temperatum diapnoïcum, cum quoad totum corpus, tum maxime quoad partem affectam; tutissimumque esse judicatur nihil applicare, nisi forsan species paregoricas, ex floribus chamomillæ, sambuci, meliloti, radice liquiritiæ, farina fabarum, in forma sacculi, vel pulveris: in ulcerato vero erysipelate transeundum est ad ea, quæ suppurationem promovent, ita tamen, ut simul corruptioni putredinosæ occurratur. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 311. Conf. notata ad 6 *aph.* 25.

APHOR. 24.

Τὰ ψυχρὰ, οἷον χιὼν, κρύσαλλος, τῷ σήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμοῤῥοικὰ, καταῤῥοικά.

Frigida, veluti nix, glacies, pectori sunt adversa, tusses movent, sanguinis eruptiones, & destillationes efficiunt.

Sedes hujus aphorismi est in *lib.* 6. *Epidem. sect.* 3. *n.* 22. *Valde frigidum, velut nix & glacies, venas rumpere & tusses excitare solet. Humorum vero collectiones facit*, &c.

Gelidarum rerum ad pectus applicatio, reprimendo transpirationem insensibilem, humorum stasin facit ad pulmones, unde distentis nimium vasis *tusses*, ruptis *hæmoptyses* fiunt; vel *catarrhi*, ab aucto fluidorum retropulsorum momento. Verum potest etiam aphorismus præsens exponi de noxa a frigido haustu. Etenim, quia frigidum fluido & calefacto sanguini immissum illum densat atque in spissitudinem cogit, facile patet, in visceribus, quæ tantum non penitus vasculosa sunt, ut lien, hepar, pulmo, a sanguine tardius progrediente stagnationes, infarctus & oppilationes fieri, unde graves & diuturnæ passiones incunabula sua trahunt. Nihil sane in praxi frequentius occurrit, quam quod a tempore messis ægrotent homines, dum phthisi, tabe, vel hydrope laborant. Causam & originem horum malorum si paulo exactius inquiramus, unice eam rejicere solent in copiosum frigidæ haustum, quam se tunc temporis siti vehementi pressos affatim accepisse dicunt. Qui morbi plerumque & foventur & vires accipiunt a polyposis concretionibus, hinc inde in vasis viscerum majoribus post sectionem repertis. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 315. Illud nosse oportet, quod ex labore sudanti frigidæ potio perniciosissima est: atque etiam cum sudor remisit, itinere fatigatis inutilis. *Cels. l.* 1. *c.* 3. *p.* 26. Conf. *aph.* 18. hujus sectionis.

APHOR.

APHOR. 25.

Τὰ δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥήϊζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει· νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Articulorum tumores, & dolores absque ulcere, & podagricas affectiones, & convulsa, hæc magna ex parte frigida large affusa levat & minuit, doloremque solvit. Moderatus namque torpor dolorem solvendi facultatem habet.

Hic aphorismus desumtus est ex *lib. de humid. us. n.* 10. ubi hæc leguntur: *Quibusdam autem utraque* (aqua & calida & frigida) *prodest, velut sunt articulorum tumores, & pedum sine ulcere dolores, & convulsa* (σπάσματα) *pleraque. Hoc constat, frigidam copiosam sudoribus affusam, extenuare, & dolorem stupefacere. Moderatus autem stupor dolorem tollit.* Apud Celsum *l.* 1. *c.* 9. *p.* 39. brevibus ita: *Aqua frigida infusa articulis, doloribusque, qui sunt sine ulceribus*, prodest.

Non inde sequitur rheumaticum dolorem esse resolutionem, sed potius irritationem, & convulsionem. Nam in morbis ubi impetus humorum a contractione, necesse est, ex resistentibus irritatis solidis consequi inter fibra-

rum ſpatia infarctum aliquem; quoniam, ſuperata vi elaſtica, ipſa etiam oſcillatio ſublata eſt, contentique humores dolorem, tenſionem, motuſque difficultatem pariunt. Ubi primùm igitur frigida perfunditur, nova, vi frigoris, inducitur contractio, qua ſolida contenta expellunt fluida, ſanguiniſque impetus & calor compeſcitur, eo ex ſpatiolis iſtis remoto, &, quod præcipuum eſt, vis reſtituitur fibris elaſtica. Hinc notanter appoſuit Hippocrates, ubi *tumores, dolores abſque ulcere*: primùm enim ſupponit, quod dictum, nempe infarctum aliquem. Ubi vero ulcus adfuerit, patet abſente cauſa indicante remedium adverſus infarctum, hoc quoque non poſſe habere locum, quoniam humores ante infarcti aperta via ſibi pararunt exitum. Hinc etiam Celſus *l.* 4. *c.* 24. in dolore articulorum vehementi cum tumore frigidam & refrigerantia externa commendat (obſervato, ne ea quotidie, neque diu adhibeantur, ne nervi indureſcant), ubi vero tumor nullus eſt, calidis fomentis opus eſſe declarat. *Brin. de ſpir. an. p.* 350. Nonniſi de levando ſummo dolore intelligendum eſſe etiam aphoriſmum præſentem, veriſimile eſt, ad hebetandum nempe ſenſum, ſive ad inducendum *torporem* ſeu ſtuporem, ut in fine habetur. Verùm & illud hic notari debet, quod ſtupor dolorem non modo ſedat, ſtupore perdurante, ſed etiam eodem ſedato, imo aliquando dolor ex toto tollitur, argumentum evidens, hunc non quia indolentiam facit, doloris ſenſum auferre, ſed ab eo fluxionem ſiſti, & humoris activitatem, & acrimoniam compeſci. Quare hoc præſidii genus non eſt aſpernendum, quando non ſub univer-

faliori præcepto tantum ab Hippocrate celebratur, sed etiam peculiariter utitur *lib. de affect. n.* 31 & 32. in curatione podagræ, & arthritidis, nam cæteris auxiliis jam propofitis, fubjunxit tandem: *ad dolentes vero locos frigefactoria appone*, quibus verbis medicamenta actu frigida intelligenda effe, nullus eorum, qui in Hippocratis doctrina fit verfatus, negabit, calida enim, aut frigida fimpliciter prolata, actu talia intelligit, nifi *ad potentiam* addatur, ex quo adnotandum eft, etiamfi & calida, & frigida podagricos dolores fedare poffint, frigida tamen ab Hippocrate præferri, nam calida laxando partem rariorem faciunt, & ad fluxiones in pofterum recipiendas paratiorem, frigida e contra eam roborant, & adftringunt, ut fluxioni viæ minus pateant. Quapropter hæc regula circa localia obfervanda eft in podagricis doloribus, aliifque qui a fluxionibus, cum partis recipientis imbecillitate per intervalla invadere folent, frigida actu præferenda effe, in aliis vero calida, & ubi dolores intimiores occupant partes. *Martian. p.* 458. Cavendum tamen effe in frigidæ ufu, ne modum excedamus, prudens monuit Cous *lib. de humid. uf. n.* 11. *In frigidæ tamen ufu potius quam calidæ, quatenus ea utaris attendendum*: imo id ipfum in præfenti aphorifmo indicare videtur per *moderatum ftuporem*; nam nimium frigus noxium declaratum eft 5 *aph.* 17. 18. Quin *Martianus p.* 218. *Plurima*, ait, *frigida affufa non omnibus adhibenda eft, fed juvenibus, ac mediocriter carnofis, in quibus calidum innatum partis non ita facile extinguitur, dolorifque vehementia viget.*

Cæfar Octavianus Auguftus, doloribus articulorum ad defperationem redactus, contra-

riam & ancipitem rationem medendi necessario subiit, quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa Medico. *Sueton.* in vita Octav. *cap.* 81. Et recentiori ævo exempla podagricorum observata sunt, quibus immersio pedum in aquam frigidam, vel unda gelida affusa, vel admota nix, profuit. vid. *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 9. *p.* 342. *a.* 10. *o.* 94. Sed non pauciores prostant observationes, quæ docent male cessisse aquam frigidam articulis admotam. vid. *Laur. Exerc. p.* 185 *sqv.* Quid? quod *Dio Cassius l.* 53. *p.* 517. postquam narrasset de Musæ fortunis & honoribus ob jamjam memoratam curam insigniter auctis, demum ita infit: *Verum enim vero ut palam convinceretur hic Musa opus fortunæ fatique sibi arrogasse, evenit paulo post, ut Marcellus ægrotans, eademque ratione a Musa eodem curatus, mortem obiret.* Metus certe est, ex frigidæ nimio usu, ne podagrici pereant; vel ex febre excitata, aut humoris crudi translatione in viscus aliquod nobile, qualis est pulmo, ventriculus, cerebrum. Non igitur fiat experimentum sine cautelis in 5 *aph.* 21. expressis. *Lister.* Conf. *Vallisneri T.* 2. *p.* 494. Quam autem intuta, imo insigniter damnosa, sit methodus qua applicatis refrigerantibus materia podagrica repellitur & introvertitur, legere est in *Boerh. aph.* 1273. Dum Hippocrates adversus articulorum tumores, doloresque, & illorum σπάσματα, seu illos a vehementi intentione, sine vulnere, laxatos, frigidam large affusam laudat, in animo habuisse videtur illam rationem, quæ embrocha sive embrocatio audit, cujusque usus est ad curandos infirmos articulos, & per σπάσματα intelligere, non, ut vulgo reddunt, spasmos,

ſpaſmos, vel diſtentiones, ſed imbecillitates, diſtractis majori vi nervis, ligamentiſque, relictas. Nam Galenus *de meth. med. l.* 4. *c.* 1. τὸ σπάσμα refert ad unitatis ſolutionem, ſeu divortium continui, & *l.* 3. *c.* 1. dicit τὸ σπάσμα fieri ſine vulnere. Etiam Gorræus *Defin.* p. 424. notat diſcrimen eſſe inter τὸν σπασμὸν & τὸ σπάσμα. Vid. *Platner. Opuſc. T.* 2. *p.* 228. Larga affuſione frigidæ podagram curari monet Van der Heyden, ſiquidem certum ſit longa pedis in eam immerſione, illum detumeſcere, rubedinem & dolorem exuere; verum cum facile, propter ſanguinis inquinati refluxum, reviviſcat quodammodo dolor, operæ pretium exſtimat, iterandam illam immerſionem, quinque aut ſex diebus continuis. Addit, quoſdam podagricos, ut recidivæ vel non, vel parum tantummodo ſint obnoxii, eadem immerſione ſingulis diebus, orationis dominicæ recitationis ſpatio uti; ſed quandoquidem acrimonia humoris non ſuffocetur ſemper ad votum, neque ipſe humor evacuetur, auctor eſt ut illa ulterius ſuffocetur aſſumtione introrſum frigidæ, & ipſe humor pro re nata vel venæ ſectione, vel dejectorio appropriato evacuetur. v. *Heyden ſynopſ. diſcurſ. p.* 45 *ſq.* Gorterus diſſuadet penitus applicationem frigidæ ad leniendos dolores, utpote a qua minuatur quidem dolor, aſt non ſine magno periculo, a repulſu ad nobiliora viſcera, vel immobilitatis articuli. Vid. etiam *Trall. de Opio ſect.* 2. *p.* 339.

APHOR.

APHOR. 26.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua quæ cito calescit, & cito refrigeratur, levissima.

Desumta est sententia ex *lib.* 2. *Epidem. sect.* 2. *n* 29. ubi ita legitur: *Aqua quo citius calefit & frigescit, eo semper levior est.*

Pondus aquæ est ut ejus puritas; ita ut quo levior est, eo censeatur purior. Præsens aphorismus nos docet, quo signo cognoscatur levitas aquæ comparativa, nimirum quod citius incalescens, & citius iterum frigescens, levior sit altera, quæ tardius. Nec sine ratione. Calor enim nil nisi motus ætheris velocissimus est; hinc quo copiosiorem in complexu suo alunt spirituosam illam tenuissimam ætheream materiam aquæ, eo citius incalescunt, sive in motum talem abripiuntur. Accelerata autem refrigeratio fervidæ aquæ, pariter levitatis indicium est; eo quod frigidus aër raræ & porosioris texturæ corpora facilius intrare, & calidum in iis motum sistere potest, quam in compactis, quæ minus patent allabenti perfrigeratæ auræ, ideoque diutius calorem servant. *Hoffm. Opusc. T.* 2. *p.* 15. Exploratio hæc optime duplicis thermometri ope instituitur. Duo thermometra eidem tabulæ in gradus divisæ illigantur, eaque sic explorantur. Aëri frigido

gido ante exponuntur, ut liquor descendat, tum gradus ipse descensus in tabula notatur; deinde utriusque globi aquæ fervidæ imponuntur, & quousque liquor ascenderit, itidem notatur, & spatium ascensus in partes æquales dispertitur. Jam ut diversæ aquæ examinentur, duobus vasis vitreis æqualis amplitudinis & densitatis eadem aquarum quantitas affunditur, ambo vasi amplo aquæ calidæ pleno imponuntur, atque his duo thermometra simul immerguntur. Ita in aqua fontana v. g. liquor thermometri altius ascendit, quam in aqua puteali, quod illa citius incalescat, hæc tardius, atque adeo illa sit subtilior, hæc crassior. *Hamel. Hist.* p. 217. Aqua levis, inquit *Celsus* l. 2. c. 18. p. 100. pondere apparet; & ex his, quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celerius & calefit & frigescit. Quidam, scribit *Plinius* l. 31. c. 3. statera judicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est, ut levior sit aliqua. Certior subtilitas, inter pares meliorem esse, quæ calefiat refrigereturque celerius.



APHOR.

APHOR. 27.

Ὁκόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξιες νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν, ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

Quibus bibendi de nocte appetentia est, iis admodum sitientibus, si obdormierint, bonum.

Paulo aliter aphorismus hic scribitur in *lib.* 6. *Epidem. sect.* 4. *n.* 42: *Levem inter vigilandum sitim somnus sedat, eam vero quæ ex somno orta est, vigilia interdum.*

Docetur somni virtus ad sitim tollendam, seu remedium sitis nocturnæ, sommus. Sitis contingit a defectu humidi in faucibus & œsophago, propter spasmodicam glandularum in faucibus & œsophago constrictionem, qua impeditur humoris in has partes influxus. Per somnum fibræ corporis relaxantur, strictura in glandulis tollitur, & copiosior humectatio fit in faucibus ac œsophago. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* I. *p.* 181. Sitim autem ex somno ortam, vigilia interdum sedat, quatenus sitim sentiunt qui aperto ore dormiunt & hinc fauces habent exsiccatas, vigilantes vero ore clauso aërem externum, siccitatis & hinc derivatæ sitis caussam, arcent.

Hodie observamus homines cruditate humorum laborantes ex defectu virium, quæ materia cruda aliquo modo vergit in corruptelam, noctu sitire, quando nempe id corruptum ad

os

os delatum ſenſum ſitis infert; quæ tamen ſitis non eſt placanda largiore potu, ut fieri debet ſi quis ſitiat ex humidi defectu. Si quis concipit præcedentem morbum, in quo vix videntur ægrotare, intellectu facilis eſt hujus aphoriſmi ſenſus. Nam qui noctu valde ſitiunt ex hac cauſa, ſignum eſt, tunc maxime prædominare corruptum crudum ex defectu virium natum. Quod ſi tunc illi multum bibunt noctu, magis onerabunt corpus inutili copia aquæ, & ita morbi cauſam potius augent opprimendo vires. Si autem ſuperdormierint, bonum eſt, quia tunc non oneratur corpus multitudine ingeſti, & vires recuperantur per ſomnum. Interim continuata coctione in ſomno ſubigitur & emendatur id crudum, diſponiturque ad inſenſibilem perſpirationem, qua dein difflatur. Hæc ergo obſervatio utiliſſima eſt valetudinariis noctu multum ſitientibus, ut ſe, quantum ferre poſſint, abſtineant a potatione nocturna. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 28.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη. πολλαχῦ δὲ καὶ ἐς ἄλλα χρησίμη ἂν εἴη, εἰ μὴ καρηβαρίας ἐνεποίει.

Aromatum ſuffitus muliebria educit, ſæpius autem & ad alia plerumque utilis eſſet, niſi capitis gravitates inferret.

Per *ſuffumigia* hic notantur exhalationes odoratum afficientes, ignis aut igniti corporis interventu excitatæ. Quæ ex aromatibus ſeu odoramentis adornata, in loca uterina derivantur, menſibus ciendis idonea habentur ſuo tempore adhibita; quia ſtimulando effectum producunt aperitivum. Sunt vero fœminæ, quibus cerebrum facile turbatur ab aromatibus. Quare ne caput petat fumus caveri debet, primo, ut cingantur fœminæ, deinde, ut fumus per cannulam aſcendat in cervicem uteri; ita enim ſuffumigium non facile petit caput. Verum non tantummodo ad provocandum in mulieribus menſtruum fluxum conducunt aromatum ſuffitus, ſed etiam ad plura alia eorum uſus identidem indicatur, omitti tamen debet, quia capitis gravitatem inducit: quod vult præſens aphoriſmus. Etenim in genere, quibus caput infirmum eſt, ut ex quolibet odore expanſivo in dolorem incidant, iis minus recte ſuffimenta adferuntur. Sed porro etiam gravidis

vidis ſunt caute admovenda. Senibus, quorum exſucca & arida ſunt corpora, ut & macilentis biliofis, & febre quacunque ardente biliofa laborantibus, ac dolore capitis ardente, pulſante, vexatis neutiquam conveniunt. Neque ſuffiendi ſunt catarrho acri irritativo vexati, vel & aſthmate ſicco laborantes, & dyſpnœa ex pectoris mala conformatione, item pleuritici, peripneumonici, & hæmoptyſi, vel alia quacunque hæmorrhagia interna laborantes. Vid. *Jo. Henr. Schulze Diſſ. de Suffimentis. Halæ* 1741. 4°.

Quoniam ille ſuffitus vel poteſt eſſe ſiccus vel humidus, cum judicio hoc vel iſtud eſt eligendum: nam ſi pudenda in mulieribus a contentis ſimul caleſcant & ſicca ſint, eligendus eſt ſuffitus humidus; & tunc melius erit vaporem mollem & humidum applicare, quam aromaticum. Si vero pudenda ſint frigidiora & humida, quod ſæpe fit in menſibus ſuppreſſis, magis conducit ſuffitum ſiccum & aromaticum applicare. *Gorter.*



APHOR. 29.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν· ἧσσον δὲ ταύτας· τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα, εὐλαβέεσθαι χρή.

Uterum gerentibus purgantia medicamenta exhibenda ſunt, ſi humor impetu feratur ad excretionem, quarto menſe, & ad ſeptimum uſque; ſed his minus. In majoribus autem, & grandioribus fœtibus ſubtimide ſe gerere oportet.

Eſt hic ſuperfluus aphoriſmus, nam jam exſtat 4 *aph.* 1.

APHOR. 30.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

Mulierem utero gerentem morbo quopiam acuto corripi, letale.

Sedes hujus aphoriſmi videtur eſſe in *l.* 1. *de morb. n.* 3. ubi morbi ex neceſſitate cum adſunt mortem adferentes dicuntur, *ſi mulierem utero gerentem pulmonis inflammatio, aut febris ardens,*

dens, *aut morbus lateralis aut phrenitis prehendit*, *aut si eryſipelas in utero oriatur.* Celſus *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. ita expreſſit: *Mulier quoque gravida acuto morbo facile conſumitur.*

Pro abſolute vero haberi nequit aphoriſmus, quoniam utero gerentes a morbis acutis quotidie evadere obſervantur. Vid. *Laur. Exerc. p.* 111 *ſq. Foreſt. Obſ. med. l.* 2. *obſ.* 28. *ſchol.* & *l.* 15. *obſ.* 22. Apud ipſum etiam Hippocratem 1. *Epidem. ſect.* 3. *ægrot.* 13. extat hiſtoria de muliere, quæ, trimeſtri fœtu gravida, febre vehementi correpta, decimo quarto die ſuperveniente vomitu bilioſo & ſudore, convaluit. Et in 2 *aph.* 19. docemur *morborum acutorum non in totum eſſe certas prænunciationes, neque ſalutis, neque mortis.* Quare pro aphoriſmi tutela, ad intelligentiam vocis *letale*, adnotare oportet: aliud eſſe dicere, morbum aliquem in ſuo genere letalem eſſe: aliud, dicere hunc morbum letalem; quia ſigna letalia ſupervenere. Nam in hoc ſecundo caſu, quia ſymptomata ſupervenientia letalia ſtatum indicant ægrotantis, non ratione morbi eſſentiæ tantummodo, ſed etiam vehementiæ, & moris ejuſdem, nec non virium ipſiuſmet ægrotantis ad morbum ipſum (ab his enim, & aliis quamplurimis ſigna letalia dependent), ideo cum res eo deveniat, ut ſigna letalia ſuperveniant, vix fieri poteſt, tot malis ſimul concurrentibus, ut æger evadat. At cum morbus ex ſua natura letalis eſt in communi, quotieſcunque ſigna letalia non concomitantur, plurimi ſervari poſſunt; cujus rationem aſſignabat *Hippocr. l.* 2. *Prædict. n.* 19. ubi hæc leguntur: *Vulnera magis letalia ſunt, quæ in venas craſſas, in collo, ac inguinibus infliguntur, deinde quæ in cerebrum, & in hepar,*

postea quæ in intestinum, & vesicam. Sunt autem hæc perniciosa valde, non tamen ita ut nemo ex his evadat, velut putatur. Nam, & loci, qui hæc nomina habent, multum inter se differunt, & iidem modi. Multum etiam differt corporis ipsius hominis structura, aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur sauciatus, aliquando etiam citra causam febricitat, & aliqua corporis pars omnino inflammatur. Ex quibus apparet, ex vulneribus, ex sui natura letalissimis, homines evadere, si, ut inferius lib. cit. subjungit, neque febris superveniat, neque sanguinis fluxus ad vulnus fiat, neque inflammatio, neque dolor; e contra vero nulla spes salutis remanet, ubi letalia signa superveniunt, non præfatis letalibus vulneribus modo, sed etiam iis, quæ securissima videbantur. Pari ratione igitur si contingat, utero gerentem morbo acuto laborare, quæ ex sui natura fortis, & robusta, & morbum bene ferat, nec symptomata letalia superveniant, non est a ratione alienum, morbum illum etiam ex sui natura letalem superare. *Martian. p.* 459. Annotavit Hippocrates *lib.* 1. *Epid. sect.* 2. *n.* 141. grassantibus populariter febribus ardentibus, prægnantes omnes, in quas morbus forte incidit, abortum fecisse; ibi autem non legimus, ipsas ægrotantes obiisse. Non ergo acutos morbos magis letales statuemus fœminis uterum gerentibus, quam aliis hominibus. Sed id, credo, firmum manet, magis illos periculosos esse gravidis, quia remedia acutis adversantia, dejectoria & magnæ venæ sectiones noxam inferunt fœtui. Periculosiores etiam censendæ sunt, ægritudines gravidarum acutæ sub aëre calidiore quam temperatiore, v. g. in Græcia, quam in regionibus magis ad septentrionem

trionem poſitis : quemadmodum differunt quoque, pro natura locorum, genera medicinæ, & aliud opus eſt Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia ; ceu ſcribit *Celſus l.* 1. *præf. p.* 8.

APHOR. 31.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον, εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Mulieri uterum gerenti vena ſecta obortionem facit, idque potiſſimum, ſi fœtus grandior fuerit.

Novimus hodie gravidis e ſecta in brachio vena mitti ſanguinem ſine noxa, omnibus fere menſibus, imo ultimo geſtationis & inſtante partus tempore ; tum ut copia nimia, fœtum ſuffocatura, minuatur, tum ut partus facilitetur, nimiæque hæmorrhagiæ in partu præcaveantur : & compertum eſt, gravidas, quæ olim facile abortiebant, miſſo ſanguine ante, quam ſuſpectum tempus adveniſſet, fœtum ad frugem perduxiſſe. Taceo quotidianam teſtari experientiam, quod morbis correptæ, quæ ad curationem ſui exigunt ſanguinis miſſionem, hanc tolerent citra abortus periculum. Vid. *Laur. Exerc. p.* 47 *ſeq.* Ut adeo non modo tutum ſit, ſed etiam utile ac neceſſarium, in gravidis venæ ſectionem inſtituere. „ Sola, „ qua magnum Hippocratem colo, reveren-

„ tia (verba sunt *Boylei* in *de util. phil. nat.* „ *p.* 105 *sq.*) mihi impedimento est, ne ullam „ rigidissimarum Draconis legum, (quæ ob „ nimiam severitatem sanguine aliàs dicuntur „ scriptæ) plures homines enecasse asseram, „ quam hunc aphorismum: eum enim secuti „ Medici plures, multitudinem fœminarum la- „ borantium insignem sub ipsa manu mori con- „ cesserunt, quas phlebotomia provida probabi- „ liter conservare valuisset, cùm (utut ejus apho- „ rismi clausula contrarium asserat) experien- „ tia eam non secure tantum, sed & utiliter „ adhiberi posse, etiam ubi embryo satis jam „ fuerit adultus, sæpissime testetur. Sed æsti- „ matio, quam hujus nominis viro Hippocra- „ ti debeo, me in eo acquiescere jubet, quod, „ cùm mihi Medicos plures Dictatoris sui sen- „ tentiam in aphorismo hoc non assecutos for- „ te ultro concedatur, hoc errore multas pe- „ riisse uxores, annotaverim, quæ dispendium „ vitæ commoda sanguinis jactura probabiliter „ præcavere potuissent". Celsus jam animadvertit, inanem fuisse Antiquorum metum; interesse enim, non quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint: mulierem autem gravidam, valentem, tuto curari sanguinis missione. Vid. *Cels. l.* 2. *c.* 10. *p.* 77. Fortasse intelligi debet præsens aphorismus de illa, Hippocratis tempore consueta, larga & copiosa sanguinis missione, quando ad integras libras simul & semel ex secta vena profundebatur sanguis, ad animi nempe deliquium *Cardan. p* 531. *Hecquet. Forest. Obs. Med. l.* 2. *obs.* 28. *schol.* & *l.* 15. *obs.* 22. Enimvero largiores sanguinis missiones periculo haud vacant, quatenus necessarium alimentum fœtui subtrahunt

hunt cum ſanguine matris; nam orificia tunc vaſorum, placentam cum utero nectentium, conniventia fiunt, exareſcentia, & ſeparantur a placenta, unde abortus: abortum crebriori venæ ſectione promoveri, legere eſt in *Riedlin. Lin.* 1696. *p.* 174. qui eo facilius continget, quo grandior fuerit fœtus, quia hic minus perfert exinanitiones magnas, utpote pluri indigens alimento. *Liſterus* putat, pro ſalvanda Hippocratis auctoritate, textui inſeri poſſe voculam *pedis*, ut dicatur mulier *ſecta vena pedis* abortire. Sed videtur haud ſatis bonum hæc intercalatio ſuffugium, etſi communiter in gravidarum ſolum brachiis incidi jubeant Medici venas; nam ſat multa proſtant exempla in pedibus illarum adminiſtratæ venæ ſectionis, non ſecuto abortu. Vid. *Laur. l. c. p.* 100 *ſq.* Conf. *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 9. *obſ.* 48. *a.* 6. *obſ.* 204.

Aphor. 32.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων, λύσις γίνεται.

Mulieri ſanguinem vomitione rejicienti, menſtruis erumpentibus, ſolutio contingit.

Deſumtus eſt hic aphoriſmus ex *lib.* 1. *de morb. n.* 6. & extat apud *Celſum l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. Abſolute verus eſt aphoriſmus, ſi vomitus fuerit natus ab obſtructis menſtruis, ſanguine regurgitante & in ventriculum effuſo:

nam *ſæpe*, ut ait *Celſus l.* 4. *c.* 4. §. 5. *p.* 202. *fœminæ, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet, hunc exſpuunt.* Revulſione ergo facta a ſuperioribus ad inferiora, redeunte evacuatione per uterum, ceſſante cauſa (obſtructione) quæ fecerat vomitum cruentum, ceſſat effectus. Potiſſimum vero cruento vomitui obſervantur obnoxiæ fœmellæ, quæ alvi ſunt adſtrictioris, pubertatis tempore, quo menſes primo imminent, nec non quando poſtea ſuppreſſi ſunt, aut parcius ſuccedunt. Tum enim, quando gravi ira, vel terrore commoventur, & inferiorum partium accedit refrigeratio, vel etiam Medicus pathemata a regurgitante ab utero ad ſtomachum ſanguine orta per emeſin excitatam perperam tollere contendit, perquam facile ſanguinis eructatio procuratur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 68. Apparet ex hoc aphoriſmo, quam parum expediat, & res non periculi expers ſit, circa conſuetum menſium tempus vomitorium, præſertim validius, exhibere; viſus exinde obveniſſe vomitus cruentus letalis. Apparet quoque porro, in menſium ſuppreſſione cautiſſime, vel prorſus non, præſcribenda eſſe emetica, præſertim valentiora, quod facile ad hanc nobiliſſimam partem ſanguinis impetum trahunt. *Hoffm. de tranſmut. morb.* §. 7. In hujus generis vomitu convenire emmenagoga remedia ea, quæ ſanguinis derivationem ad uterina faciunt loca, docent hiſtoriæ annotatæ in *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 1. *o.* 95. *D.* 2. *a.* 2. *o.* 101.

APHOR. 33.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλειπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Mulieri, menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus profluens, bonum.

Bonum hic dicitur hæmorrhagia, quia eſt vicaria evacuatio alterius, quæ fieri deberet per uterum, præſervans a malis, quæ ex ſuppreſſione menſium impendent: id quod *Celſus l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. expreſſit in hiſce: *Quæ menſtruis non purgatur, ſi ſanguinem ex naribus fudit, omni periculo vacat.* Non adeo inſolens eſt, ut, reſtitante in fœminis præſertim junioribus, gravidis quoque, menſium fluxu, facta palindrome, narium ſtillicidium excipiat ſanguinolentum. Cujus rei nulla alia ſubeſt cauſa, quam quod ſpaſmis, quibus omnes hæmorrhagiæ ſtipari ſolent, æquilibrium motus ſanguinis progreſſivi tollatur, iſque ad loca excretioni dicata cum impetu agatur, ibi vero exitu præcluſus, ruat ubi congruum invenit locum ibidemque egrediendi ſibi paret viam. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 12.

Concipiendum eſt, Hippocratem in hoc aphoriſmo intellexiſſe ſubſiſtentes menſes ex ætate, qua fluere deberent. Nam quibus menſes deficiunt ex cauſa morboſa, modo ſimul adſit ſanguinis abundantia, his levamen quidem præſens adfert ſanguis e naribus fluens, quia tollit illam abundantiam; ſed eo obſtinatiorem

ſuppreſſionem faciet, ut, quæ fœminæ ſæpe patiuntur hæmorrhagiam narium, vel quæ curant ſibi pertundi venam ut minuant ſymptomata ex ſanguinis ſuppreſſione nata, in poſterum vix unquam ad ordinatum menſtruorum fluxum redeant: quare hæ ad evitandam præſentem moleſtiam ſe in majus malum præcipitant. Si ſubſiſtant mulieri menſes ex graviditate vel lactatione, hæmorrhagia narium ſemper damnum adfert, quia hoc caſu non eget alia ſuccenturiata ſanguinis evacuatione. Increſcente denique ætate deficientibus menſibus, quando nullis auxiliis ſunt promovendi, quum poſt iſtud tempus ætatis ſi menſes pergunt fluere, non amplius vocatur menſtruatio, ſed hæmorrhagia uteri, inter morbos recenſenda, tunc eadem evacuatio, quæ ante iſtud tempus ſalubris erat, poſt hanc ætatem, habetur inter morbos. *Gorter.*

APHOR. 34.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.

Mulieri utero gerenti ſi alvus multum profluat, abortionis periculum eſt.

Deſumta eſſe videtur hæc ſententia ex *lib.* I. *de morb. mul. n.* 37. In *Coac. ſect.* 3. *n.* 416. ſcribitur in h. m. *Uterum gerentibus alvi ſubeuntes, malum.* Et apud *Celſum l.* 2. *c.* 7. *p.* 61: *Mulieri*

Mulieri gravidæ ſine modo fuſa alvus elidere partum poteſt.

Plurimæ utero gerentes quotidianis vomitibus adeo ſolicitantur, ut cibum aſſumtum raro contineant, unde corpus ſufficienti alimento privari neceſſe eſt, & nihilominus abortum inde ſequutum eſſe, nondum obſervatum eſt. At vero diarrhoea abortum ſæpe facit, etiamſi corpus nutrimento privetur minus, quando cibus in his longiori tempore retinetur, quam in illis; quod quidem evidens argumentum eſt, diarrhœam non ea ratione abortum facere, quia alimentum fœtui ſubtrahat, ſed potius quia, dum humores ad inferiora moventur, fœtus & ipſe deorſum trahitur, unde ligamentis eum continentibus violentia infertur, ob quam rumpuntur, & ſic abortus ſequitur. Eadem ratione pharmaca deorſum purgantia abortum faciunt, non quæ per vomitum purgant. *Martian. p.* 459. Ab aſſumta uncia mannæ in jure carnium ſoluta, abortus obſervatus legitur in *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 6. *o.* 241. Nimiæ dejectiones alvinæ ſpaſmum inteſtinorum communiter junctum habent: propter viciniam ergo uteri, hic in conſenſum tractus elidet fœtum. Quare evitanda ſunt gravidis fortiora purgantia, ſcammoniata, colocynthiaca, jalappina, aloëtica, quæ ſpaſmum inteſtinorum & totius nervoſi ſyſtematis non raro inducunt. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 631. Præterea vero, nullæ nimiæ evacuationes gravidis bonæ ſunt; quia debilitant vires matris, & ſubtrahunt fœtui alimenta, unde ille eliditur. Nam ſi orificia vaſorum uterinorum ob deficientem ſanguinis adfluxum exareſcunt; fœtus nutrimento deſtitutus perit & corrumpitur,

tur, qui hoc in casu sæpenumero absque spasmis & doloribus ejicitur. Hinc dispositæ in morbis gravioribus, febribus acutis malignis, nimiis diarrhœis, maxime dysenteriis, & quidem frequenter circa declinationem abortiunt. *Hoffm. l. c. p.* 629. Curationem mali cognoscere aves? lege *Forest. Obs. Med. l.* 28. *obs.* 67. Cæterum, Hippocraticam regulam non perpetuæ adeo esse veritatis, ut non reperiantur gravidæ, quæ diarrhœam vehementem, periodicam, vel alias diuturnam, imo & dysenteriam, citra noxam experiantur, videre est in *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 3. *o.* 17. *D.* 2. *a.* 5. *o.* 149. Quid? quod apud Hippocratem *lib.* 2. *Prædict. n.* 30. ubi de dysenteria tractatur, legimus, prægnantes plerumque ad partum superesse, & ex partu, fœtumque conservare, etiamsi per multos menses sanguis & strigmenta per alvum secedant, nisi si dolore affligantur, aut aliquod ex malis signis accesserit.

APHOR. 35.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλεμένῃ, ἢ δυστοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγενόμενος, ἀγαθόν.

Mulieri uteri strangulatu vexatæ, aut difficultate partus laboranti, sternutatio superveniens, bonum.

Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. hanc sententiam ita expressit: *Quæ locis laborat, aut difficulter partum edit, sternutamento levatur.*

Ster-

Sternutationem pellendæ hystericæ passioni, facilitandoque partui conducere hic docemur: imo sternutatoria ad secundinas excludendas facere tradit 5 *aph.* 49. Sternutationes partium nervearum concussus sunt, & spasmorum modi, tanti, observante Hippocrate *Prognost. n.* 13. *Coac. sect.* 3. *n.* 174 *sq.* ad medicinam momenti, ut *licet in omnibus circa pulmonem morbis, & antecessisse, & succedere sternutationes malum sit, in aliis tamen morbis letalissimis prosint.* Passio hysterica & difficilis partus spasmodici sunt affectus, quos levat discutiendo nervorum vehemens oscillatio, quæ fit inter sternutandum: ita ut hîc spasmus spasmum solvat. Conf. *Forest. Obs. Med. l.* 28. *obs.* 27. Præterea ad partum difficilem promovendum confert sternutatio eo, quod diaphragmatis & musculorum abdominis excitet vim. Hinc ex consilio Hippocratis *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 93. *si fœtus exitu affectato non facile discedant, cum sint secundum naturam, iis sic habentibus sternutatorium aliquod adhiberi debet: naribus autem apprehensis, & ore compresso sternutandum, quo quam maxime fieri poterit, efficax sternutatio reddatur.* Hisce addi debet: modo non a partium inflammatione, sed a spastica constrictione veniat partus difficultas: prior enim ratio sternutationem vetabit, suadebit posterior; unde concludas licitam in tantum esse sternutationem, in quantum spasmi resistentiam spastica partium explosione domari convenit. *Hecquet.* Conf. 6 *aph.* 13. Imo, ad vires deficientes in parturiente excitandas sternutatoriorum usus locum habet, juxta *Boerh. aph.* 1312. Vid. etiam *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 5. *app. p.* 45. Anne ex præsente aphorismo intelligimus, cur vicissim sternutatio damnosa

damnosa sit statim a coïtu, fœminis concipere cupientibus? Prius valida concussione genitale semen excutit, quam se penetralibus matricis insinuet, uti ait *Forestus Obs. Med. l.* 10. *obs.* 127. Hac de causa apud *Plin. l.* 7. *c.* 6. sternuisse a coïtu, abortivum.

Uteri strangulatus seu passio hysterica vulgo dicta, species est convulsionis, quæ tandem frequentissime suffocationem inducit; quando in utroque sexu in ventre inferiore sentitur involuntaria commotio convulsiva, quæ sensim sursum vergit, in multis ac si globus ascenderet, & dein ad fauces veniens ita constringit fauces, ut impediatur deglutitio & suffocetur respiratio; in graviori malo fauces in quendam tumorem elevantur, & inde compressis venis jugularibus tota sæpe facies livet. In leviori malo mens manet constans, & membra non moventur convulsive. Verum in graviori malo, ipsa actio mentis extinguitur, atque vel cadunt simul in animi deliquium, vel convelluntur membra uti in epilepsia; interdum vero mens manet constans, dum tamen membra variis modis convulsione agitantur. Accedentia illa igitur symptomata duntaxat magnitudinem passionis hystericæ denunciant. Ex his phænomenis nullo modo patet uterum esse affectum, & hoc etiam cadaverum inspectio confirmat, quoniam in hystericis passionibus suffocatis & mortuis uterus fuit inventus insons, & æque sanus quam aliis sanissimis fœminis: sed phænomena docent convulsionem incipere in mesenterio & intestinis, propagari per ventriculum & œsophagum ad pharyngem, cujus musculi una cum musculis laryngis tetanica constrictione contrahuntur. Quod si illa con-

vulsio

vulſio tandem communicatur meningibus, extinguitur mentis actio; ita comprimitur cerebellum ut non emittat ſpiritus ad actionem cordis & reſpirationis; vel ſi motus ille magis eſt inordinatus, membra externa convulſione epileptica exagitat. In tali nunc ſuffocatione hyſterica nunquam in tota mea praxi potui obſervare ſternutationem profuiſſe, neque video quid boni adferret. Propterea malo credere in hoc loco intelligendas eſſe ſecundinas retentas. Si igitur contingat, ut ſecundinæ maneant in utero poſt partum, adſtruit auctor bonum eſſe ſi ſuperveniat ſternutatio. Hæ ſecundinæ vel ſunt partes firmæ, uti placenta, membranæ & funiculus umbilicalis, quæ partes proprie dicuntur ſecundinæ; vel ſunt humores, nempe ſanguis qui fluit ex lateribus uteri & ex abrupta placenta, qui ſanguis lochiorum nomine venit. Forſan Hippocrates ad partes non ſolum firmas, ſed & ad ſanguinem retentum ſignificandum, dixit ὑστερικῶν; in quo caſu ſalutare eſt ſi ſuperveniat ſternutatio: nam ſi cuncta hæc poſt partum retinentur, ſignum eſt orificium uteri eſſe clauſum, quod ut aperiatur, ſternutatio violenter contrahens ventris muſculos multum valere poteſt, quoniam talis puerpera ex voluntate non valet tantam ventris conſtrictionem facere, ut fit in ſternutamento, quæ aperiret orificium uteri clauſum. Qui exiſtimaret in omni partu difficiliore conducere ſternutamentum, & inde vellet adhibere ſternutatoria ad facilitandum partum, multa damna inferret ſua præpoſtera medela; nam ſi ob ſitum alienum fœtus difficile parit mater, a concuſſione ſternutationis majus induceretur impedimentum, truderetur enim fœtus in tantas anguſtias, ex quibus

quibus postea nulla manuum ope extricari posset. Sed si fœtus legitimo modo fuerit locatus, & propterea fœmina non parit, quod conamina parturiendi non sufficiant ad dilatandum uteri orificium & elidendum fœtum, sternutatio superveniens, majori conamine contrahens abdominis musculos, valuit in quibusdam parturientibus extrudere fœtum. Tali etiam in casu conduceret sternutatorium admovere naribus. *Gorter.* Conducetne adhibêre sternutatorium ad expellendas secundas, ore uteri existente aperto! Vid. infra *aph.* 49.

APHOR. 36.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γιγνόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mulieri menses decolores, neque semper eadem periodo procedentes, purgationem indicant esse necessariam.

Vitiosus est menstruorum color minus ruber, albus, pallidus, saniosus, subalbidus. Hæc sententia est tantum de pallidis, mucosis, pituitosis, inordinatis ac irregularibus, h. e. non justa periodo fluentibus, sed vel tardius, vel celerius. Color sanguinis ruber pendet a vigente libera circulatione ejusdem: a quo descicit, si vasis existentibus nimium laxis, debilibus, chylus non satis subigi potest, generatur pallidus, mucosus, pituitosus. Verum

etiam

etiam ortæ passim humorum stases atque spasmodicæ contractiones libero sanguinis circuitui obstant, & dum comprimuntur vel obstruuntur vasa, in ramos laterales patulos delatus latex serosus, loco rubri sanguinis, sistit menses decolores. Priori in casu cathartica inprimis conferunt, quia stimulo suo invitant laxata vasa ad contractionem, ut tono restituto humores vegetæ liberæque reddant circulationi. In altero casu convenire possunt quoque vincendo spasticas diatheses, atque sic aperiendo obstructa loca: modo non inflammatio aliqua præsens contra indicet. „ Si uteri pituita redundantes „ fuerint, flatus intus oritur, & menses albi „ pituitosi prodeunt . . . Ubi vero superior „ ventriculus tibi perpurgatus videbitur, me„ dicamentum deorsum purgans proprinato. „ *Hippocr. de nat. mul. n.* 10. " Enimvero cacochymia communis causa est mensium quoad tempus tardantium vel anticipantium, & quoad colorem, consistentiam, εὐφορίαν, & conjuncta symptomata alia a statu naturali abeuntium: cacochymia autem commune est indicans purgantium, adeoque etiam ad uterum redundans maxime pituitosa & acida. *Wedel.* Purgans requiritur ad eliminandam cacochymiam. Non tamen præciperem aliquoties ducere alvum, majorem enim induceret debilitatem; sed postquam corpus a cacochymia est liberatum, satius erit corporis vires firmare roborantibus, ne nova generetur cacochymia, quæ mensium ordinem turbat, & pallidiorem producit sanguinem. *Gorter.*

APHOR. 37.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχέσῃ, ἢν οἱ μαθοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Mulieri utero gerenti, ſi mammæ derepente gracileſcant, abortionis periculum eſt.

Deſumtus videtur hic aphoriſmus ex *l. 1. de morb. mul. n.* 44. ubi hæc leguntur: *Quibus uterum gerentibus ad ſeptimum aut octavum menſem, mammarum ventriſque plenitudo derepente ſubſidet, mammæque extenuantur, & lac non apparet, puerum aut periiſſe, aut vivere & debilem eſſe aſſerendum.* Apud Celſum *l.* 2. *c.* 8. *p.* 76: *Mulieri gravidæ ſi ſubito mammæ emacuerunt, abortus periculum eſt.*

Vaſis mammariis cum uterinis mutua eſt conſenſio, ita ut, cum fœtus moveri incipit, turgeſcant mammæ: ſi itaque hæ gracileſcant, ſignum eſt laborare fœtum inopia alimenti. *Holler.* Inedia autem nonnunquam fœtus perimitur, vel ad excretionem excitatur. *Foreſt. Obſ. Med. l.* 28. *obſ.* 66. *ſchol. p.* 460. Si mammæ, quæ alioquin a motu fœtus ad extremum uſque geſtationis tempus, a lactis copia, ſolidæ eſſe debent, non ſenſim & pedetentim, ſed ſubito extenuentur, indicium maximam oportere ſubeſſe cauſam & vehementem mutationem in ſanguinis & ſpirituum motu præceſſiſſe, dum vel ipſe in aliis partibus ſtagnat, in-

inflammationem parit, vel ob defectum ſpirituum & virium, chylus non generatur, vel ad mammas vehitur. Vid. *Fr. Hoffmanni Diſſ. de morbis fœtuum in utero. Halæ* 1702. 4°. §. 25. Si mammæ in gravidis ſubito gracileſcunt, hujus detumeſcentiæ cauſa in ipſis mammis non eſt quærenda, ſed in eo organo debilitato, quod antea valens per conſenſum turgere faciebat mammas. Ergo ſignum eſt, uteri actionem eſſe debilitatam. Quæ talis ſi fiat, vel quod fœtus in utero moriatur, vel quod placenta ab utero fuerit debilitata, neceſſe erit, ut poſt paucos dies ejiciatur fœtus; qualem abortum nullis auxiliis prævenire poſſumus. *Gorter.* De conſenſu mammarum cum utero, vid. Not. ad 5 *aph.* 39.

APHOR. 38.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ἢν ὁ ἕτερος μαστὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει· καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Mulieri utero gemellos gerenti, ſi altera mamma gracilis evadat, alterutrum abortu edit: & ſi quidem dextra mamma gracileſcat, marem, ſi vero ſiniſtra, fœminam.

Nititur ſententia hæc ratione futili, quod mas in dextra, fœmina vero in ſiniſtra uteri parte gignatur: quod effatum eſt 5 *aph.* 48.

APHOR. 39.

Ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα, γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Si mulier, quæ neque gravida eſt, neque peperit, lac habeat, ei menſtrua defecerunt.

Extat iiſdem pene verbis ſententia hæc apud *Celſ. l. 2. c.* 8. *p.* 76.

Lac in virginum mammis a menſtruorum eſt defectu: quando enim hæc deficiunt aut ſupprimuntur a ſpaſtica diatheſi, arteriarum uteri diametros ſtringendo, compreſſa vaſa lymphatica lympham ſuam amandant ad vaſa mammaria. *Hecquet.* Mammarum cum utero commercium, humorum alterne ad haſce partes delatorum beneficio, communiter ſtabiliri ſolet in vaſorum epigaſtricorum & hypogaſtricorum cum mammariis connexione ſeu communicatione (vid. *Boerh. J. M.* §. 666. 687.) Aſt ſine fundamento. Qua enim ratione ad mammas perveniet ab epigaſtricis arteriis advectus ſanguis? Si per arterias mammarias deferendus, quot motûs humorum perturbationes, quot mala, obſtructiones, inflammationes exinde enaſcentur? ſibi enim oppoſitæ ſunt humoris in utraque arteria motûs directiones, quare, ſi æqualis fuerit utriuſque fluminis vis, omnis ſiſtetur motus progreſſivus, ſi vero unius vis alterius robur ſuperaverit, contra omnes naturæ

naturæ leges regurgitabit in debilius humor; ficque fanguis potius ad inferiora deveheretur, cum minor mammariæ a corde diftantia quam epigaftricæ, majorem in illa vim impulfûs innuat. Neque propius ad veritatem accedunt, qui idem negotium venis eadem ratione conjunctis abfolvi credunt, quos pariter confutat contraria humorum motûs directio. Inprimis vero a fua fententia avocare auctores debuiffet accuratior originis epigaftricæ arteriæ confideratio. Ea enim ab iliaca externa duntaxat dimittitur, cum uterina vafa ab interna iliaca, quæ etiam hypogaftrica audit, deriventur, ficque longius a fe invicem diftent, quam ut epigaftricæ flumen inde adeo augeri queat, ut, majori impetu ad umbilicum circiter delatum, oppofitæ arteriæ fluminis refiftentiâ fuperatâ ad mammillas adfcendat. Alia igitur redundantiæ fanguinis ad mammas tempore graviditatis & lactationis caufa ftatuenda erit. Scilicet dum uterus a fœtu majora in dies incrementa capiente diftenditur, omnemque fere pelvis cavitatem occupat, imo infigniter quoque fuperiora verfus expanditur, vafa majora iliaca, nec non ipfum aortæ truncum comprimit, ficque eorum dilatationi ex parte refiftit, ut fanguis minus commode ad artus inferiores poffit derivari, & majori quantitate ad fuperiores redundet. Quo ipfo cor ad frequentiorem fortioremque fyftolen exftimulatum, tanto majori impetu in vafa fuperiora protrudet cruorem, eorundemque latera infigniter diftendet; cumque mammæ præ cæteris partibus textura molliori laxiorique gaudeant, vafaque minime compreffa intra pinguedinem facile cedentem delitefcant, in illis potiffimum effectus redun-

 dantis

dantis fortiusque propulsi sanguinis manifestus erit, ut nimirum vasa distenta tum copiosiorem tum crassiorem sanguinem recipere cogantur, eumque in continua secretoria vasa, tenuem antea lympham vehentia, provolvant, unde ultimis gestationis mensibus liquorem gelatinosum, & proxime ad lactis indolem accedentem, in uberibus colligi videmus. Qui fons nec post partum exarescit, quandoquidem uterus antea mire expansus, multoque cruore turgidus, tunc sensim iterum contractus, humorum influxui fortius resistit; quo ipso, & cessante simul amnii liquoris admodum nutritii secretione, sanguis ab utero exclusus in omnes corporis partes, maxime tamen ob allegatas caussas in mammillas vim exercet, sicque in dies magis promovet lactis secretionem: ad quam diutissime continuandam plurimum confert grata tenelli suctio, dum, humore jam collecto evacuato, a tergo venienti novum conceditur spatium, sicque vasa semper necessariam, ad pinguem ejusmodi humorem admittendum, retinent laxitatem, donec illa puero ablactato tandem iterum evanescat, vasaque denuo constricta tenui duntaxat lymphæ transitum concedant. In suppressione mensium, quæ a peculiari vitio, in utero hærente, oritur, nimia sanguinis moles, distendendis & ad secretionem disponendis mammis interdum sufficit; qui tamen effectus, in reliquis speciebus, ubi ob cacochymiam & lentescentem humorum dispositionem fluxus supprimitur, minime expectandus est. Vid. *J. F. Crellii Diss. de mammarum fabrica & lactis secretione. Lips.* 1734. 4°. Sed ad ejusmodi conversionem mensium retentorum in innuptis & innocentibus subjectis, ad mammas

mas & connexam lactis secretionem & collectionem præ aliis dispositæ videntur animo & corpore robustæ, activæ & expeditæ, plethoricæ: quanquam tamen casus rari. Vid. *Mich. Alberti Diss. de lactis præsentia in innuptis. Halæ* 1741. 4°.

APHOR. 40.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

Mulieribus quibus in mammas sanguis in tumorem convertitur, furorem significat.

Legitur hic aphorismus in *lib.* 2. *Epidem. sect.* 6. *n.* 62. & in *Cels. l.* 2. *c.* 7. *p.* 63 *sq.*

Complures muliebrium morborum consistunt in aliorsum detorto, conversoque sanguinis circuitu, aliò nempe quam ad uterum declinante mensium sanguine, a mutato vasorum diametro. Sanguini autem illi ad pectus, cui insident mammæ, verti familiare est. *Conclusi uteri,* inquit Hippocrates l. 2. de morb. mul. n. 23. *menses ad mammas remittunt, & ad pectus ascendere cogunt*: hinc factæ illic stasi solitum est sævam succedere suffocationem, quam *hystericam* dicunt, cujus urgens adeo interdum paroxysmus est, ut totum cum mammis extumescens & elevatum pectus dissilire ferme videatur. Porro hysterico paroxysmo delirium, *furorem* hîc dictum supervenire frequens. *Hecquet.* Non

tamen perpetuæ prognoſticon hoc Hippocraticum veritatis eſſe, ſed inſignem pati exceptionem, demonſtrant obſervationes medicæ. Vid. *Eph. N. C. Vol.* 3. *app. p.* 169 *ſq.* Quo in loco inprimis notanda eſt hiſtoria de fœmina, quæ nunquam menſtruata fuit, citra ullum tamen incommodum; nupta vero deinde, omni novilunio ingruente mammas habuit in horrendam magnitudinem elevatas, cum rubore, ardore conjunctam, ut, propter teneriorem cutis texturam, videretur ab utraque parte maximam veſicam bubulam ſanguine impletam, & reliquo corpori adnatam, circumgeſtare; quo in ſtatu per octiduum ſemper manſit. Atque ita hæc ſcena per biennium duravit, donec auxilio medicinæ menſibus ſua panderetur via.

Inter mammas & cerebrum vix ullus conſenſus. Sæpe diriſſimos mammarum dolores, tumores, inflammationes & cancros tractavi, ſed nunquam inde ſecuta fuit mania: neque metaſtaſis morborum ad mammas maniam intulit. Hoc autem contingere poteſt in morbis mammarum, ut in aliarum partium morbis, quod acris materia in mammis nata, a ſanguine recepta, ad cerebrum delata, maniam inferat; vel quod corpora valde mobilia nimio dolore mammarum commota in maniam præcipitentur. Sed ex rariſſimis his exemplis & nihil ſpeciale a reliquis partibus habentibus, non poſſumus formare præſagium. Quare credo Auctorem noſtrum, dum obſervaverit ea ſigna circa mammas, & dein maniam, forſan judicaſſe hæc ſigna præbuiſſe cauſam maniæ ſequentis, dum quivis alius morbus interim maniam induxiſſet. Hoc etiam fallere poteſt

exer-

exercitatiſſimos in arte medica, & fateor me non ſemel tali modo deluſum fuiſſe, ſi æger binis morbis laborabat, quorum alter latens quædam ſymptomata inducat, quæ ex morbo manifeſto vix oriri potuere. *Gorter.*

APHOR. 41.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ (ἀδείπνῳ ἐούσῃ) μελίκρατον διδόναι πιεῖν· κἢν μὴν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει· ἢν δὲ μὴ, οὐ κύει.

Si noſſe velis num mulier conceperit, ei dormituræ (incœnatæ) aquam mulſam propinato; & ſi ventris tormina eam corripuerint, concepit; ſi vero minus, non concepit.

Eſt in *Hipp. lib. de ſteril. n.* 6. textus: *Mel & aniſum tenuiſſime tritum, deinde aqua dilutum exhibeto, & dormire ſinito, & ſi ei tormina circa umbilicum ſuboriantur, prægnans eſt, alioqui, minime.*

Cum ingravidatio cauſa ſit plethoræ, in primis ſcilicet menſibus, propter majorem ſanguinis coacervationem, quam ad fœtum tunc tenellum nutriendum requiritur, aliàs per fluxus evacuandi menſtruos, hinc eo majori copia fertur ad inteſtina: cum inſuper fibrarum tonus per aquam laxetur mulſam, hinc diſten-

tio & flatus. Addit *incœnatæ*: sic enim aër inter alimentorum poros divisus, & latens, elicitur majori copia. *Ström Theor. mot. recipr. p.* 79. Sed hæc gratis dicta videntur cogitantanti, quod experimentum fallax sit, siquidem aqua mulsa dormituris pro potu data, aliquando æque in viris ac mulieribus, in gravidis & non gravidis, in assuetis & non assuetis tormina excitat: aliquando in gravidis tormina nulla facit. Præterea quam periculosum sit tormina in prægnantibus excitare, vel ipsæ obstetrices noverunt, cum ex his facili negotio subsequi possit abortus. Adde, quod mulsa per se etiam urinas abunde provocat, ut docet Hippocrates *lib. de victu in acut. n.* 26; quæ vero urinam cient, etiam menstrua provocare possunt, & quæ menstrua provocant, abortum causare solent. Signum ergo in aphorismo positum solitarium ad cognoscendam conceptionem factam, non solum est æquivocum, uti multa alia, in primis præsertim imprægnationis mensibus, sed & penitus falsum merito æstimari debet. Ipse Hippocrates *de nat. pueri n.* 38. aperte fatetur difficillimum esse deprehendere, num mulier utero gestet. Et si aqua mulsa exhibita infallibile rei præberet testimonium, cur hæsitavit, utrum prægnantes essent Tecomæi filia (4 *Epidem. n.* 14.) & Temenei soror (*ibid. n.* 18.)? Cur non exhibuit aquam mulsam? Vid. *Laur. Exerc. p.* 1 *seqv.*

APHOR.

APHOR. 42.

Γυνὴ ἔγκυος, εἰ μὲν ἄῤῥεν κύει, εὔχρους ἐστίν· ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρους.

Mulier prægnans, ſi marem geſtat, bene colorata eſt; ſi fœminam, male colorata.

In *lib. de Steril. n.* 7. legitur: *Quæ utero gerentes maculam in facie veluti ex ſolis aduſtione* (ἐφῆλιν *vocant*) *habent, eæ fœmellam geſtant: quæ vero bene coloratæ permanent, marem plerumque.*

Explicationem credulæ Antiquitati relinquimus; & *Cardano p.* 545 *ſq.* qui mirifice ſolicitum ſe monſtrat. Contra hunc aphoriſmum diſputatur in *Laur. Exerc. p.* 271 *ſeqv.*

APHOR. 43.

Ἢν γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες.

Mulieri prægnanti eryſipelas in utero, letale.

Inter morbos ex neceſſitate, cum adſunt, mortem afferentes numeratur eryſipelas in utero, *lib.* 1. *de morb. n.* 3. At in *lib. de nat. mul. n.* 12. & *l.* 2. *de morb. mul.* §. 58. ubi eryſipelatis in uteris ſymptomata recenſentur, & curatio

curatio traditur, morbus dicitur ex quo paucæ evadunt, letalis autem ſi prægnantes detineat.

Cum uteri textura ſit admodum vaſculoſa, glanduloſa & nervoſa, collum vero & orificium internum exquiſitiſſimi ſenſus, patet, quod proclivis valde eſſe debeat ad ſuſcipiendas acutas & periculoſas inflammationes, oriundos inde abſceſſus, & mali moris exulcerationes; ita, ut ſæpenumero ulcus uteri in gangrænam & ſphacelum abeat ac interficiat. Eryſipelas autem ſi oboriatur in utero, periculo non vacat; aut enim rubor livorem & nigredinem induit ac brevi in ſphacelum tranſit funeſtum, aut inflammatio diſcuti renuens ſuppuratur ac ulcera mali moris, fiſtulas & gangrænam inducit. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 490. & 308. Si jam mulier ſit gravida, ſanguis menſtruus excerni impeditus, ad uterum accumulatus malum reddere videtur pernicioſum, aucta cauſa materiali eryſipelatis. Conf. inferius notata ad *6 aph.* 25.

Facile concipere poſſum eryſipelas uteri valde periculoſum eſſe, difficile autem erit detegere, num uterus eryſipelate tentetur, tum ex convenientia cum inflammatione, tum ex affectione partium circumjacentium, & quoniam tumor, dolor, & color ſenſibus externis non patent. Inde majoris momenti eſt invenire, num uterus eryſipelate afficiatur, quam ex eryſipelate prognoſin formare. Si fœmina in infimo ventre ſentiat vehementem dolorem, calorem æſtuantem, quæ ſymptomata magis ſimul urgent vaginam & pudenda quam inteſtinum rectum ac veſicam, quamvis ſemper hæ quoque partes conſentiant, conſtabit ex his vel eryſipelas vel inflammationem ten-

tare

tare uterum. Sed ſi tunc ſimul per reliquum corpus habetur febris remittens magis quam continua, cum calore mordaci magis quam urente; ſi urina evacuata ſit flammea, acris, pellucida, ad flavedinem vergens, utplurimum ſine ſedimento & ſine ſignis coctionis; pulſus celer magis quam durus; ſanguis emiſſus ſi fluidus fere maneat & rubellus, nullam cuticulam formans; judicabimus uterum eryſipelate tentari. Sed ſi febris continua ardens, urina rubra ſæpe cum incipientibus ſignis coctionis, pulſus durus & frequens ſimul adſint, judicandum eſt uterum inflammatione affectum eſſe, quod Galenus ponit quæſtione dignum. Uterus in gravidis non ſolum fit amplior, verum etiam in ſuis lateribus craſſior & magis valens, ut docuit anatomica inſpectio in mulieribus paulo ante vel poſt partum denatis: & Cl. Ruyſchius detexit hoc tempore in uteri fundo fibras motrices orbiculares, quas muſculum vocat, certo indicio movendi potentiam tunc temporis multo validiorem eſſe quam in non gravidis. Docet nos obſervatio practica, quo pars eryſipelate tentata majorem habeat movendi potentiam, eo quoque plus periculi inferri ab eadem irritante cauſa, quum actio valida inſtigata, omnia deſtruat, quod non ita ex debiliore actione erit expectandum; ex qua cauſa variolæ in robuſtis cenſentur periculoſiores quam in pueris debilioribus. Ergo tempore prægnationis eryſipelas plus periculi adfert, quam alias ex ſua natura intuliſſet. Fœtui fere ſemper mortale eſt eryſipelas, quamdiu non eſt perfectus, faciet enim abortum; ſi vero circa finem geſtationis fieret, potuiſſet excluſus fœtus manere vivens. Retineri enim in utero

utero nequit fœtus, quum eryſipelate affectus, cum motu valido inordinato, tum exſudante ichore eryſipelatoſo placentam ab adhæſione ſua depellet: & ſanguis materia eryſipelatoſa infectus, nutritioni fœtus erit ineptus. Si ergo eryſipelas uteri generatur ante fœtus perfectionem, mortiferum eſt fœtui: ſed dein ſi veniat, fœtus excluſus ſuperſtes manere poteſt: inde fœtui letalis, id eſt non ſemper ſed ſæpe mortem inferens: matri quoque letalis, nam a parvo eryſipelate ſi ſit affectus uterus cum ſubſequente fœtus excluſione, non ſemper extinguitur mater, ſed ſi magnum ſit, mortem inferre poteſt. *Gorter.*

APHOR. 44.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι, πρὶν ἢν παχυνθῶσι.

Quæ præter naturam tenues utero gerunt, abortiunt, donec pleniores evadant.

Videntur hic indicari mulieres ad tabem proclives, item quævis teneræ nimis & in ſpaſmum proclives, vel etiam arida valde atque rigida temperie præditæ. Omnes hæ facile dimittunt fœtus immaturos, vel quia debilis nimium fibroſa compages grandeſcentem embryonem retinere nequit, vel quia alimentum

tum ei debitum subministrare non possunt, vel quod facile irritabile habentes nervosum systema obortis spasmis ejiciunt quod debili nexu cohæret utero, vel denique quod nimia siccitas atque rigiditas fibrarum dilatationi uteri, dum crescit fœtus, obicem ponens & resistentiam, fœtum premit arctius & suffocat. *Hecquet.* Experimur pauperes, licet macie confectas, minus abortire quam laute viventes: quare hic intelligendæ sunt fœminæ macilentæ nimis, ex deficiente actione nutritionis. Si ita gracilis & macilenta fœmina sit gravida, cujus actio ad bonos generandos humores, ut se ipsam nutriat, est debilitata, vix esset rationi conveniens, hoc corpus valere conceptum fœtum non solum nutrire, verum simul ipsi incrementum dare. Propterea primo & secundo adhuc mense, dum tenellus embryo pauco liquore absorpto vivere potuit, non excluditur; sed vero majus incrementum capiens, egens copiosiore nutrimento ex uteri vasis, propter humorum defectum in corpore matris, amplius nutriri nequit, unde tandem nutrimenti defectu moritur atque excluditur, plerumque secundo vel tertio mense. Tam diu igitur abortui obnoxiæ sunt, donec sufficiens iterum sanguinis copia in eo corpore generetur, quod ex corporis augmento conjicitur: quare tandem crassescente corpore valent fœtui sufficiens nutrimentum dare & gestare ad legitimum pariendi tempus. *Gorter.* Ad graciles haud temere etiam referas virgines illas, quæ ad obtinendam gracilitatem, quam adeo depereunt, thoracibus pectus & abdomen in angustias cogunt; tales enim junceæ virgines solent facile prima vice impraegnatæ abortum pati; quod

si

ſi vero fœtus ad perfectionem venit, partus plerumque eſt periculoſiſſimus, cum doloribus immanibus conjunctus, ita, ut non raro fœtum vivum fruſtratim ex utero exſcindere atque extrahere dura jubeat neceſſitas. Nec ſatis malorum: monſtra item inde naſci poſſunt, quando fœminæ tempore geſtationis nihilominus thoracibus nimium conſtrictis incedunt, quoniam fœtus, tam arcto ſpatio incluſus, libere ſeſe movere nequit. *Fr. Hoffmanni Diſſ. de diæta virginum. Hal.* 1729. 4°. *cap.* 3. §. 2. Fœminis gravidis maxime noxia exiſtit thoracis illa compreſſio: hinc enim eveniunt lipothymiæ, & forte etiam abortus. vid. *J. H. Schulze Diſſ. de veſtitus ratione ad valetudinem. Hal.* 1737. 4°. Hippocrates *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 42. jam inter alias cauſas, ex quibus partus, in utero concepti aboriuntur, ventris coarctationem, & hinc factam fœtus compreſſionem retulit. Vix autem violentius premi poteſt uterus, quam ſi cum pectore etiam abdominis muſculi arctioribus thoracibus continentur, quibus cataphractariæ mulieres, quamvis graviditas & valetudo negligentiorem amictum excuſare poſſet, ſe veſtire ad ultimos ſæpe menſes ſolent. Nam tanto magis id peſtiferum eſt & ipſis matribus, & in ipſo utero deliteſcenti fœtui, ſi, poſtquam plures menſes expleverunt, has graviſſimas offenſiones haud omittunt. Nec tamen his ſolis machinis in naſcituræ prolis vitam ſanitatemque graſſantur vecordiſſimæ matres, ſed huic inſaniæ aliam pejorem addunt. Ne enim venter, quod minus decorum putant, projiciatur, in thoracis partem anteriorem infigunt rigidum bacillum, leviter inflexum ex metallo, ligno, cornu, ebore, balænaria virga

ga confectum, quo prominentior umbilicus multum premitur. *La Planchette*, germanice *das Blanckſcheitt* appellant hoc nocentioris cultus inſtrumentum. Periculum vero, quod ex hoc bacillo fœtui imminet, multum augetur, ſi, quæ proceriores quam ſunt videri volunt mulieres, calceamentis altiuſculis utuntur. Dum enim gravidæ ſic calceatæ, ſeu rectius cothurnatæ, erecta planta incedunt, abdomen anteriora verſus projicitur, & thoraci, illius bacilli comitatu rigorato, multum adprimitur, ut taceamus, tali inceſſu non parum intendi eos abdominis muſculos, quos rectos vocant Anatomici, quibus dum ſubmittitur gravidus uterus, is magis coarctatur, fœtus vero tandem miſere præfocatur. Si vero abortum haud patiuntur mulieres, aliud tamen fœtui imminet periculum, dum accedente hac externa violentia, ejus corpuſculum, cui ſumma teneneritas ac mollitudo eſt, deforme ac monſtroſum redditur. Haud præter rationem ii, qui de monſtris ſcripſerunt, contractas adſtrictasque veſtes & faſcias, quibus eæ, quæ conceptum occultare volunt, abdomen coërcent, adnumerarunt portentoſorum partuum cauſis. Nec Hippocratem *lib. de genitura n. 9.* hæc latuerunt, qui fœtus eo loco, quo uteri anguſti ſunt, mutilari probavit. Imo, ſi miſeris partubus non corporis deformitas his uteri anguſtiis adfertur, ii nihilominus maternam ſtoliditatem aliis pœnis luunt, dum corpora eorum infirmantur, debiliaque fiunt, &c. Vid. *Platner. de Thorac.*

APHOR. 45.

Ὁκόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτησιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι, καὶ οὐ δύνανται κρατεῖν ὑπὸ τοῦ βάρους τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀπορρήγνυνται.

Quæ mediocri corporis habitu præditæ, fœtus bimeſtres, aut trimeſtres abſque cauſa manifeſta abortione excludunt, iis uteri acetabula muco plena ſunt, neque præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abrumpuntur.

Sedes hujus aphoriſmi eſt duobus in locis, *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 84. & *lib. de nat. mul. n.* 17 : *Si uteri acetabula pituita oppleta fuerint, menſes pauciores contingunt, & ſi uterum geſtet, ubi fœtus robuſtior evaſerit, eum corrumpit. neque enim confirmatur, ſed elabitur. Ex eo autem cognoſcas, quod humida redditur, quodque effluit, mucoſum & viſcidum ſit, qualia ex alvo feruntur, nec mordent, & in menſium curſu, ubi ſanguis purgari deſierit, per duos aut tres dies mucoſa ex utero effluunt, horrorque & calor minime acutus detinet, præterquam quod non deſerit.*

Ratio abortuum, qui contingunt mulieribus mediocriter carnoſis, ſi nulla alia cauſa pateat, refunditur in mucum, quo cotyledones

ſeu acetabula uteri (h. e. oſcula vaſorum uterinorum quæ cohærent cum placenta) obſita ſunt, ita ut propterea non poſſint fœtum retinere præ gravitate, ſed abrumpantur. Ex hac cauſa jure accuſabitur tubulorum uteri nimia laxitas. Hodie frequentes, qui evenire ſolent inter ſecundum & tertium geſtationis menſem, abortus adſcribuntur plethoræ uterinæ, ſeu ſanguini menſtruo ſecerni impedito ob clauſum uterum, & fœtu tamen non potente hactenus in ſui incrementum eum abſumere, unde a vaſculis, quæ fœtum cum utero nectebant, ruptis abortus; qui feliciſſime ſæpe præcaveri ſolet tempeſtive inſtituta ſanguinis misſione. Vid. *Boerh. aph.* 1294. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 631 *ſq.* & *T.* 3. *p.* 240. Conf. ſuperius notata ad 5 *aph.* 31.

Si Hippocrates inſpexiſſet uterum fœmineum, non dixiſſet *Cotyledones*, ſed dixiſſet uteri cavitatem, quoniam quadrupedes Cotyledones habent; ſed fœminarum uterus intus unica cavitate donatus ſatis demonſtrat Hippocratem non inſpexiſſe uterum hujuſmodi fœminarum, num mucus fuiſſet abortus cauſa. Ergo hoc ex aliis ſignis conjicere debuit, ſi nempe fœmina multum muci continuo fundat per pudenda, ſi poſt menſtruationem etiam multum muci effundatur, & quando una cum abortu multum muci exit. Ex quibus conſpectis forſan judicavit, habita ratione analogiæ quadrupedum, mucum illum cotyledones nimis implere. Tenax mucus latera uteri obſeſſa tenens intercipit ingreſſum vaſculorum placentæ in oſcula uteri hiantia: quare fœtus ampliore nutrimento egens, non potentia vaſcula placentæ intrare oſcula interna uteri, debita copia

nutrimenti fraudatus moritur, & quia os uteri laxius eſt conſtrictum, facile excluditur. Ita concipimus ex muci abundantia generari poſſe abortum in fœminis mediocriter craſſis. Sed inferre velle hanc unicam in his eſſe cauſam, nimis arduum videtur: quum non ſemper ex matris culpa naſcatur abortus: poteſt enim ſemen virile non ſatis valens debiliorem præbere embryonem, qui primis menſibus moriens, vel facit abortire ovum vacuum, vel, ſi placenta tunc maneat vivens, producit molam: poteſt etiam vita partium auxiliatricum extingui primis menſibus, quando mulier abortiens excludit parvum admodum fœtum. Quare cauſa abortus primis menſibus tam in patre & partibus auxiliatricibus eſt quærenda, quam in matre, cujus uterus muco eſſet plenus. *Gorter.*

APHOR. 46.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει, καὶ, πρὶν ἢ λεπτυνθῆναι, οὐ κύουσιν.

Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis omentum os uteri comprimit, neque prius quam extenuentur, prægnantes efficiuntur.

Galenus illius vocis, *præter naturam*, duplicem Antiquorum expoſitionem adducit, eamque probat, ut *præter modum communem*, & *immodice*

modice significet; Hippocrates tamen *præter habitum naturalem ipsius patientis* id esse intelligendum aperte indicavit *lib. de superfœt. n.* 9. ubi eadem sententia registrata est his verbis: *Mulier, quæ præter naturam crassa & pinguis evasit, & pituita repleta, eo tempore non concipit. Quæ vero sua natura talis est, horum gratia concipiet, nisi aliud quid impediat.* Et ratio est evidentissima; nam quæ ex natura pinguis est, illius omentum propriam sedem retinet, nec ad osculum uteri comprimendum descendit, ut evenit illi, quæ, cum naturali temperamento tenuis esset, pinguior effecta ejus omentum gravius redditum est, adeo, ut gravitate distentum ad os uteri comprimendum descendere possit, & ex consequenti sterilitatem inducere. *Martian. p.* 460. Omentum, ἐπίπλοον, operimentum intestinorum membranaceum, tenue & tenerum, a peritonæo veluti, juxta illam diaphragmatis partem, quæ undecimæ thoracis vertebræ accumbit, enascitur, adhærens anterius cavo lienis, toti fundo ventriculi convexo, duodeno fere toti, jejuno & colo intestinis, venæ portarum, ductui choledocho, pancreati, arteriæ mensentericæ superiori, tandem superiori lienis parti, & quandoque hepati; constat ex duplici lamella, marsupium quasi venatorium formante, & cavitate, *Bursa* dicta, instruitur: anteriore lamella recta deorsum protenditur, supra ventriculum, supra colon (quà hoc secundùm ventriculum pergit), cui etiam leviter cohæret, dein supra tenuia intestina, liberum, pendulum, fit applicatum peritonæo: posterior lamella, cui pancreas innatum est, interserit se strato intestinorum, pone ventriculum, antrorsum descendens, per super-

inductam peritonæi lamellam roborata, postquam ad inferiora ventriculi pervenit, colo intestino connascitur, eique est loco mesenterii, ea regione, quà juxta fundum ventriculi pergit, deinde a sede infima coli (quà hoc sub ventriculo fertur) novum quasi omentum productum, supra intestina tenuia sub priori, anteriori, lamella fertur & ei continuatur. Quia sæpe foraminula in omento apparent, quando elevatur (quæ vero non sunt naturalia) dictum inde est *Rete* vel *Reticulum*. Pinguedinem continet in cellulis adiposis, ductus quasi formantibus, & vasa sanguifera ambientes: inter quos sunt *areolæ* seu spatia membranacea. Pondus Omenti in homine adulto, nec pingui nec macilento, est circiter dimidiæ libræ. Sed in quiescentibus ejus moles augetur quandoque in immensum. Hinc, quisquis pondus ac molem sæpe incredibilem & omenti & mesenterii secum pensitat, uterum vix elevandis iisdem parem judicabit, sique ad mensem unum aut alterum eum gerant, in abortum tamen admodum proclives existunt. Vid. *Sam. Theod. Quelmalz. Diss. de pinguedine, ejusque sede tam secundum quam præter naturam constitutis. Lips.* 1738. 4°. §. 10. In quibusdam omentum descendit inter vesicam & uterum, ibique spissius fit. *Forest. Obs. Med. l.* 28. *obs.* 71. *schol. p.* 492. Quod si mulier præter naturam crassa evaserit, non concipit. Omentum enim crassum & copiosum superincumbens, os uterorum comprimit, neque genituram recipiunt. Huic extenuatæ medicamentum deorsum purgans propinare oportet, & ad uteros quod purgat & flatum inducit in subdititio apponere. *Hippocr. de steril. n.* 15. & *de nat. mul. n.* 19.

Si

Si perpendimus ea, quæ Hippocrates protulit de uteri ſtructura & cotyledonibus (vid. *aph.* 45. præced.), facile conſtare poteſt, eum non inſpexiſſe cadavera humana; ac propterea nunquam vidit in denatis ſterilibus, num omentum uſque ad uterum ſit protenſum. Igitur per certam quandam conjecturam in præter naturam craſſis, judicavit os uteri ab omento compreſſum ſterilitatem induxiſſe, ut inde iſtud non potuiſſet ſe ſatis dilatare ad recipiendum ſemen virile. In valde obeſis invenimus quidem hodie omentum uſque ad pudenda pendulum, & attingere poſſe externam uteri ſubſtantiam, inde vero argumentari velle, os uteri comprimi ita, ut ſemen accipere non poſſit, non erit conveniens: nam in aqualiculo ſeu in pelvi hæret inteſtinum rectum laxum & compreſſile; atque uterus durus, craſſus & firmus, ad anteriorem partem ſub oſſe pubis hæret veſica urinaria, peritonæo tecta: reliquum ſpatium impletur inteſtinis tenuibus & magna copia pinguedinis. Si increſcat ita omentum, ut etiam in pelvi pendeat, recedent inteſtina tenuia, ſed veſica, inteſtinum rectum & uterus comprimentur a molli omento. Quæ partes hoc in loco ſunt molles & compreſſiles, eæ facilius comprimentur, quam duriores & firmæ. Si ergo quædam fieret alicujus partis compreſſio, veſica urinaria, vel inteſtinum rectum, vel inteſtina tenuia potius comprimerentur, quam uterus, qui ita firmus eſt in non gravidis, ut vix cultro perſcindi poſſit. Quia vero neque in urinæ, neque in alvi egeſtione nullam experimur difficultatem, etiamſi mulier ſit præter naturam craſſa, quæ tamen fieret, ſi ab omento premente hæ partes nimis com-

primerentur; optimo jure concludere possumus, Omentum premens uterum sterilitatis causam esse non posse; præprimis quia uteri os coïtus tempore ab omento comprimi non possit, nam vagina membro virili distenta favet dilatationi orificii uteri. Neque ad recipiendum semen magna orificii uteri dilatatio requiritur, modo enim paulo magis hians fiat, quam est amplitudo urethræ virilis, ad recipiendum semen satis capax erit. Interim tamen præter naturam crassæ mulieres ob pinguedinis abundantiam sæpe non concipiunt: cujus ratio mihi videtur, quod tanta pinguedinis copia in pelvi formetur, ut inde ova in ovario nata venire nequeant in Tubam Falloppianam, sine quibus fœmina manet sterilis, etiamsi semen masculinum in utero recipiat. Sive nunc receptio ovulorum in Tuba Falloppiana intercipiatur ab omento interposito, sive a reliquæ adjacentis pinguedinis incremento, æqualis nascitur sterilitas, & eadem est causa; nam dum in præter naturam crassis increscit omentum, reliqua quoque pinguedo augetur. Igitur conducit ad hanc tollendam seu curandam sterilitatem, corpus extenuare parciore diæta, laboribus & exercitiis validioribus, medicamentis evacuantibus, atque frequentiore venæ sectione. *Gorter.*

Quibus videtur in præsente aphorismo Omenti nomine non ipsissimum omentum, sed pinguedinem exsuperantem indigitari, habent pro sua sententia textus Hippocraticos in adducto loco ex *lib. de superfœt n.* 9. & *lib. de aër. aq. & loc. n.* 48. *de superfœt. n.* 18. *de steril. n.* 10. quibus in locis nulla omenti, sed simpliciter pinguedinis tantum fit mentio. Etenim

frequens autopſia oſtendit, omentum perraro infra umbilicum extendi, ita ut ſterilitas ab alia cauſa ortum habeat, a nimia ſcilicet pinguedine, quæ uteri membranis adhæreat, ac impedimento ſit ne aura ſeminalis maſculina ovarium ſubeat, ad illud fœcundandum. *Ramaz. Oper. p.* 771. Peccare vero interdum omentum duritie poſſe, ut ſterilitatem inducat, premendo uterum, quo diſtendi non poſſit, legere eſt in *Panarol. Jatrol. Pent.* 3. *obſ.* 10.

APHOR. 47.

Ἢν ὑςέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι.

Si uterus, qua parte ad coxam incumbit, ſuppuratus fuerit, eum per linamenta medicamento convenienti illita curari eſt neceſſe. (ulcus cavum fieri neceſſe eſt).

Nonnulli interpretum volunt Hippocratem hic indicare voluiſſe medicamenti genus ſeu curationis methodum in ulcere ſuppurati uteri; alii potius tantum tradere voluiſſe autumant, cujuſmodi ſit ex uteri ſuppuratione futurum ulcus. *Tozzi.* Hinc eſt, quod poſteriores interpretentur hunc aphoriſmum ita: *Si uterus in coxam vergens ſuppuretur, neceſſe eſt ulcus cavum fieri*; h. e. ſi uterus ſuppurationem patitur ea parte, qua ad coxam protenditur, neceſſe eſt inde fiat ulcus cavum & ſinuoſum, ad interiorem nempe cavitatem penetrans. hoc

enim significat ἔμμοτον, a μοτὸς *linamentum* seu *linteum carptum*; unde etiam ἔμμοτον (scilicet φάρμακον) dicitur medicamentum liquidum, quod linteolis concerptis (seu penicillis) exceptum intra ulcus ejusque sinus reconditur, & ἔμμοτοι qui cavo ulcere laborant ad interiora coporis penetrante, quod linamento seu penicillo indiget. *Hecquet.* Favent huic expositioni textus in *lib. de nat. mul. n.* 6. *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 29. ubi casus in h. m. describitur: *Uteri si adhæserint, innituntur, & si attigeris, duritiem sub lateris inanitate deprehendes, dolor imum ventrem invadit*, &c. & inde subjungitur: *Plerumque vero pus colligunt, & ἔμμοτοι fiunt, & fluore pereunt*, nisi (ante quam per se rumpantur) *uras, aut feces.* Ἔμμοτον vero intelligit Hippocrates non quodcunque ulcus cavum, cujus curatio per μοτὸς, hoc est, per penicilla facienda sit, sed ulcus tantummodo, quod ad internas cavitates penetrat; quod quidem manifestum unicuique patebit consideranti loca omnia, in quibus de ἐμμότῳ fit mentio. His itaque stantibus, dum inquit Hippocrates, si uterus incumbens coxæ suppuratus fiat, necesse est ἔμμοτον fieri, non intendit docere curationem suppurationis per ἔμμοτον faciendam esse, sed admonere, quid ex hac suppuratione eveniat, ulcus scilicet, ad interiorem cavitatem penetrans. *Martian. p.* 460.

Uterus pelvi & inguinibus nexus ligamentis latis & rotundis satis valide in suo situ firmatur; sed quoniam ligamenta hæc multis etiam scatent arteriis, hæc æque ac partes reliquæ inflammatione, quæ commutatur in suppurationem, corripi possunt. Ita tumida & inflammata ligamenta coxæ cohærentia si ab uno la-

tere inflammantur, uterum verſus iſtud latus trahunt, & coxæ dolorem inferunt. Quia vero Veteres neſciebant hæc ligamenta inflammari poſſe & dein ſuppurari, ex apparentibus ſignis & converſione uteri ad latus dolens, judicabant uteri converſione hunc dolorem generari, qui tandem in ſuppurationem abierit. Si vero ligamentum uteri, hujus vel iſtius lateris, inflammatum abeat in ſuppurationem, pus ſuppuratione confectum ſub multa pinguedine ibidem hærente latens ſenſim fit acrius, formatque ſinum ſua gravitate ſenſim magis deorſum, donec ad latera pudendorum, vel in inguinibus, vel circa interfœmineum, aperturam fiſtuloſam faciat. Quod ulcus cum longe remotum habeat fomitem inſtar fiſtulæ ani in viris, difficulter ſanabitur, & perpetuo vel pus vel ichorem fundet. Si vero uterus ipſe ſuppuraretur potius, pus vel ichor per pudenda exſtillaret. Quia autem ἔμμοτος notat eum, qui ulcere cavo laborat; atque ἔμμοτον, ſi ſubintelligitur φάρμακον, deſignat aliquod medicamentum molle & liquidum, quod linteo carpto receptum, ut hodie habentur digeſtiva a Chirurgis, ulceribus cavis inditur; magis conveniens eſt ſenſui hujus aphoriſmi, intelligere ulcus cavum, quam medicamentum ἔμμοτον applicatum. Quum ſecando ad principium hujus ulceris cavi & fiſtuloſi pertingere non poſſimus, atque pinguedo adjacens a ſtagnante pure corrumpatur, curatio non ſolum eſt difficillima, ſed & debet artificioſe pertractari. Si enim externe applicetur medicamentum aptum, ejus virtus ad originem mali pertingere nequit; liquor injectus nimis cito effluit; turunda indita claudens aperturam nimis diu intus retinet pus

aut

aut ichorem. Præstantissima, quæ mihi successit, curatio constabat ex injectione quadam confecta ex melle rosarum, vel quodam digestivo ex terebinthina cum vitello ovi soluta, quæ medicamina postea diluta decocto agrimoniæ, vel scordii, injecta intus depurabant ulcus istud cavum; dein immittebam turundam ex terebinthina cocta confectam, cui admiscebam myrrham, aloën, olibanum, pulverem sabinæ, vel mitigabam virtutem turundæ addito gummi tragacanthi, mucilagine radicis althææ vel symphyti. Dein tegebam aperturam plumaceola cum aliquo digestivo oblinita. Interna autem medicamenta nihil speciale continebant, talia enim erant, quæ ulceribus internis adhiberi solent. *Gorter.*

Aphor. 48.

Ἔμβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Foetus mares quidem uteri dextra parte, foeminæ sinistra magis gestantur.

Effatum hoc nec rationi, nec experientiæ congruere, ostenditur in *Laur. Exerc. p.* 283 *sq.* & apud *Barthol. Cent.* 4. *Epist.* 30. *p.* 126 *sq.* Vid. etiam *Eph. N. C. Cent.* 1. *p.* 115. Transeat ergo aphorismus hicce cum aliis ad credulam Antiquitatem referendis. Hoc solummodo notamus, constare vel ex præsente aphorismo, naturalem structuram & uteri situm Veteribus

Veteribus parum cognitum fuisse, atque rationem istos deduxisse ex uteri fabrica in animalibus. Quippe uterus fœmineus non habet cavitatem dextram vel sinistram, sed unicam in medio, ut mares & fœminæ in eodem loco contineantur. Si autem fœtus hoc vel istud latus magis occupat, id dependet ab uteri obliquo situ, & talis positura non promittit marem aut fœminam, sed ut plurimum difficiliorem partum. *Gorter.*

APHOR. 49.

Ἐς ὑστερέων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς, ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

Ut secundæ excidant, sternutatorio naribus apposito, eas, & os comprimito.

Aphorismus hic desumtus est ex *lib.* 2. *Epidem. sect.* 5. *n.* 42. 43.

Explicatio peti potest ex dictis ad 5 *aph.* 35. Nares & os ut comprimantur vel claudantur, applicato sternutatorio, in nostro aphorismo requiritur; quo nempe simul majore nisu deorsum trudantur viscera ventris, & eo validius extrudatur id, quod post partum in utero restitat. Ne autem ex hac medendi methodo pejora sequantur mala, quam ex Secundis relictis, causæ retinentes Secundas primo sunt perpendendæ. Quod si remaneant post partum, quia os uteri nimis constrictum est, maxime

xime conducere, ut ſternutatorium adhibeatur, videre eſt ſupra ad *aph.* 35. Si vero remanſerint ſecundinæ cum orificio uteri aperto, quia placenta tenacius adhæret utero, quam ut ſtatim expelli poſſit, non eſſet tutum adhibere ſternutatorium; validior enim illa protruſio ſimul forſan extruderet uterum nunc ſuo ſuſtentaculo orbatum, quod aliquoties obſervavi factum per violentiorem funis umbilicalis tractionem. Quæ uteri inverſio ſi non protinus reponatur, majus periculum eſt exſpectandum, quam a retentis ſecundinis. Majus malum eſt exſpectandum, ſi portio placentæ ſeparata fundat ſanguinem, dum altera pars magis adhærens deneget exitum; nam non ſolum periculum eſt ut invertatur uterus, ſed etiam nimia ſanguinis profuſione puerpera non raro in animi deliquium incidit, & convellitur, atque deinceps palleſcens diu vitam debilem & valetudinariam agit, bono ſanguine privata. Hanc tenaciorem placentæ adhæſionem ſæpe obſervavi in partu præmaturo, dum placenta, ante quam ejus propria extincta ſit vita, ab utero ſeparari debet. Atque hoc etiam aliquo modo culpæ obſtetricum eſt adſcribendum, quæ poſt partum non ligant portionem funiculi verſus placentam, ut per funiculi vaſa aperta effluere poſſit ſanguis, qui, hac via intercepta, magis detruſiſſet adhærentem placentam ab utero. In utroque igitur caſu cum orificio uteri aperto, quoniam non caret periculo indere ſternutatorium, ego ſoleo cingere & ſuſtentare totum abdomen, cujus adminiculo fere ſemper brevi poſt partum extrudetur placenta cum membranis: ſi autem non procedat, obſtetricem moneo, ut ſecundum ductum funiculi

culi umbilicalis immittat manum, qua artificiose, & prudenter adhærentem placentam separat ab utero, & dein unà cum manu sua, adjuvante conatu matris; placentam educat. *Gorter.*

APHOR. 50.


Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε.

Mulieri si voles menstrua sistere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone.

Extat hæc sententia in *lib. 2. Epidem. sect. 6. n.* 33.

In immoderatis menstruis cucurbitulæ mammis affixæ, revulsionem faciunt sanguinis ab utero sursum, si nempe ille sola copia & quantitate peccat. Nam dilatatis per attractionem vasculorum diametris, sanguis eo versus abripitur. Maximam vult cucurbitam Hippocrates, ut & magis & vehementius per venas communes sursum attrahat atque revellat. *Holler. Hecquet.* Sed cautela sit, ut cucurbitulæ infra potius, quam supra mammas admoveantur, ne subinde mammæ ipsæ tumefiant, aut inflammentur, non sine graviori periculo: neque insuper scarificentur, ne ulcera exinde oriantur. *Tozzi.* Præterea vero consilium Hippocratis cautius,

cautius, & non nisi præmissa venæ sectione, adsumendum esse, monemur in *Junckeri Med. Pract.* *p.* 112. Si purgatio nimia mulieri nocet, remedio sint cucurbitulæ, cute incisa, inguinibus vel etiam sub mammis admotæ. *Cels. l.* 4. *c.* 20. *p.* 233. De vasorum mammariorum cum uterinis commercio, consuli possunt notata ad 5 *aph.* 39. *Heurnius* maximo cum successu semper in immoderatiori uteri fluxu se adhibuisse refert pulverem, cujus compositio hæc est: Accipe seminis hyoscyami, papaveris albi ana drachmam unam, hæmatitæ, corallior. rubr. ana drachmam semis, camphoræ scrupulum dimidium. M. de quo mane & vesperi dimidia drachma pro dosi sumenda. Nos quoque ab ejus usu olim laudabilem effectum vidimus, sed convenit eum exhibere ubi omnia in actuoso sunt motu arteriarum pulsu celeri & vehementi, cum assidua vigilia, atque tum etiam securius ut ipsi addatur nitrum ad dimidiam drachmam; minime vero ubi vires cum sanguine exhaustæ sunt, & pulsus vix digito tangi potest. Nam a seminis hyoscyami usu paulo largiori, in dementiam conjectas fuisse quasdam personas novimus. *Hoffm. med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 119. Ex solo semine hyoscyami & papaveris albi, æquali pondere, cum conserva rosarum rubrarum factum electuarium, ab experientia laudatur in *Boyle Util. Phil. nat. p.* 230.



APHOR.

APHOR. 51.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ξυμμέμυκεν.

Quæ utero gerunt, iis uteri os connivet.

Signum hîc facti conceptus docetur, uterus clauſus: nam ovum imprægnatum clauſo ſtrictura ſuorum muſculorum utero continetur. *Boerh. J. M.* §. 675. Aſt non ſemper a clauſo utero poſſe concludi ad conceptum factum, indicat ſequens aphoriſmus 54. Non ſatis expertæ in anatomicis obſtetrices credunt os uteri eſſe eam anguſtiam, quam ſtatim in pudendis offendunt, quæ pars connivens perperam a multis vocatur os uteri, dum vero ſit externa coarctatio vaginæ, quum uteri os adhuc ſatis diſtet ab hac parte, nempe hærens in altera interna extremitate vaginæ. Qui igitur ex hujus vaginæ orificio clauſo vellent judicare num fœmina ſit gravida, omnino deciperentur. Os uteri toto geſtationis tempore manet clauſum, tam diu, donec vel partus vel abortus inſtans oris delatationem exigat. Sunt quædam fœminæ, quæ toto geſtationis tempore menſes fundunt ordinate, ac ſi non eſſent gravidæ. At inde non ſequitur, uteri os ipſis eſſe apertum; nam veriſimile potius eſt, his mulieribus menſtrua fluere non ex utero, ſed ex vagina, ſi-

quidem in hac ſimilia ſunt vaſa ſuis oſtiolis donata, uti in utero. Neque os uteri apertum fuiſſe concludi poteſt ex eo, quod fœminæ quædam paſſæ fuerint ſuperfœtationem. Nam ſi animadvertimus, quam parva requiratur apertura, ut ingrediatur ſemen, dum interim glans penis huic orificio applicata exitum intercipiat, vix verendum eſt, hoc tempore expelli poſſe ex utero contenta. Sed ut ſit ſignum graviditatis hæc duo adeſſe debent: primo iſtud os clauſum duntaxat eſſe debebat ſolo tempore geſtationis; verum utplurimum omni tempore clauſum eſt, quare deciperet eum, qui tangeret os uteri clauſum, indeque ſemper judicaret fœminam eſſe gravidam. Si vero inveniret uteri os apertum, tunc tuto judicium ferre poſſet fœminam non eſſe gravidam; aut ſi offenderet gravidam, inſtare abortum vel partum. Altera eſt difficultas, quod in non gravidis os uteri ita habeatur a pudendis remotum in quibuſdam, ut digito attingi non poſſit: in gravidis vero, maxime inſtante partu, magis ad pudenda deſcendens tactu explorari poteſt, quando non requiritur hoc ſigno uti ad inveſtigandum, num gravida ſit, nec ne. Propterea hoc ſignum & quoniam eſt incertum, atque etiam impudicum, puto nunquam adhibendum eſſe, ad inveſtigandum num fœmina ſit gravida; ſed ut cognoſcamus, num partus inſtet, obſtetrix eo ſigno carere nequit; quam diu enim ſentiet ſuis digitis, os uteri firmiter eſſe contractum, licet dolores parturientium adſint, non poteſt exſpectare fœtus excluſionem. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 52.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχέσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει· ἢν δὲ ςερεοὶ οἱ μασθοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Mulieri uterum gerenti ſi lac copioſum e mammis effluat, fœtum imbecillum indicat: quod ſi ſolidæ mammæ fuerint, valentiorem fœtum ſignificat.

Eadem ſententia legitur in *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 6. *n.* 35. 36. & apud *Celſ. l.* 2. *c.* 7. *p.* 62.

Si gravidæ molles, ſtillentque ſubinde papillæ,
Oret Lucinam, ſe male fœtus habet.
Heerkens de valet. Litter. p. 24.

E gravidæ mammis lac copioſum effluens mammarum atteſtatur laxitatem. Quid vero laxitas agit mammarum aliud, quam quod alimentum ab utero derivet, cujus carnea ſoliditas, i. e. robur & contractilitas impedit adfluxum? Unde fœtus debilitas, quemadmodum ſolidæ mammæ notant valorem & ſanitatem ejus. *Ström Theor. mot. recipr. p.* 81. Conf. 5 *aph.* 37. & *Eph. N. C. Vol.* 4. *obſ.* 66. Nam ſanguis pro fœtus alimento deſtinatus excludit lactis proventum, quam diu fœtus bene habet. Quan-

do-

docunque igitur debitum fœtui alimentum non impenditur, natura aberrans ad mammas idem facile amandat. *Wedel.*

Circa finem graviditatis, sexto, septimo & octavo mense, quando sensim debilitari incipit actio vitalis in placenta & funiculo umbilicali, mammæ sensim cum decremento hujus actionis, disponuntur ad lactis præparationem, ut tandem, quando requiritur lac pro infantis nutritione, mammæ satis validam possideant præparandi & evacuandi lactis potentiam. Si vero contingat, quod mammæ, quæ debebant sensim magis turgere & solidiores fieri, se accingentes ad lactis generationem, fiant flaccescentes, & fundentes multum lactis, ut signum & causa fœtum infirmum esse declarant. Ex eadem translatione actionis ab utero ad mammas intelligitur, mammas turgentes & solidas indicare fœtum & uterum valere: tument enim tunc & solidiores fiunt mammæ etiam in puellis, quando uterus ad concipiendum fit aptus, ut ex sororiantibus mammis, etiamsi talis puella non fundat menstrua, conjiciamus eam esse maturam: eo magis si circa finem gestationis fieri debeant lactis promptuaria, tunc enim sensim copia colostri magis turgent, ut non fiant duræ, sed solidæ & tumentes, promptæ ad fundendum lac pro infante. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 53.

Ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, ταύτῃσιν οἱ τίτθοι ἰσχνοὶ γίγνονται. ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γένωνται, ὀδύνη ἔσται ἢν ἐν τοῖσι τίτθοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

Quæ fœtus perdituræ ſunt, iis mammæ extenuantur. Quod ſi rurſus duræ evadant, dolor erit vel in mammis, vel in coxis, vel in oculis, vel in genibus, neque fœtum perdunt.

Prius hujus aphoriſmi membrum, imminente abortu mammas gracileſcere, expoſitum eſt ad 5 *aph.* 37. Secunda parte monemur non ſemper ſequi abortum gracileſcentes mammas, ſed has iterum quandoque duras fieri ſeu ſolidas & tenſas ex flaccidis; hoc tamen caſu ſuccedere alicubi *dolorem, aut in mammis, aut* &c. qui dolor eſt a ſpaſtica diatheſi, dum fatiſcentem in mammis elaterem natura erigere ſatagit, inducta mutatione diametrorum in vaſis, quo conatu (mechaniſmo) in conſenſum trahuntur aliæ corporis partes. Facta hac mutatione mulier jam non periclitatur abortu. *Hecquet.*

Durities mammarum diſtinguenda eſt a mammis ſolidioribus (*aph.* præced. 52.), quæ firmum fœtum indicabant, & nihil mali portentebant. Neque durities ſcirrhoſa vel inflammatoria, aut ſcrophuloſa eſt accipienda, quæ

æque in non gravidis, quam gravidis accidit. Ita etiam lactantibus abundantia vel concretione lactis mammæ indurescunt. Verum hæ omnes species non præsagiunt recensita mala. Quare talis durities est concipienda, quæ provenit ab eadem, sed majore causa, ex qua proveniebant mammæ solidiores & tumentes. Qui impetus major ita implet mammarum vasa sine emissione lactis, ut ad attactum non sint solidiores & firmæ, verum duræ & ita renitentes, ut ad digitos prementes non admittant foveas; & propter turgescentiam illam nimium dolorem inferant. Signum ergo est, uteri actionem validissimam esse, unde ad abortum faciendum nullum erit periculum, qui non fit valente uteri actione, sed ex ea debilitata vel perturbata. Quoniam adjacentes partes hac prævalente uteri actione simul agitantur & sanguine implentur, inde in coxis & genibus quoque dolor. An vero oculi inde doleant, dubitare possumus: sed quoniam in lactantibus observavi, quoties mammæ nimia copia lactis turgebant & dolebant, oculos quoque dolore, verisimile videtur mihi, hos oculorum dolores magis ex duris & nimis impletis mammis oriri, quam ex actione uteri validiore. *Gorter.*



APHOR. 54.

Ὁκόσῃσι τὸ ςόμα τῶν ὑςερέων σκληρόν ἐςι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ ςόμα τῶν ὑςερέων ξυμμύειν.

Quibus os uteri durum eſt, iis connivere os uteri neceſſe eſt.

Videtur hæc ſententia appendix eſſe ad 5 *aph.* 51. ubi ex clauſo utero arguebatur conceptus factus & mulier gravida eſſe. Nunc docetur, non ſemper conceptum factum indicari ab utero clauſo, quin potius impediri illum, ne fiat, ſi nempe os uteri fuerit durum, calloſum. *Si uteri tumorem durum ſenſerint, menſes abſconduntur, & eorum oſculum clauditur, neque prægnans fit. Cum ſic habuerit, ſi digito contrectaris, os aſperum deprehendes, neque digitum intromittit, febris & dentium fremitus eam prehendit, dolor imum ventrem detinet, laterum inanitatem & lumbos. Hippocr. de nat. mul. n.* 31. *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 45. 46. 50. *de ſteril. n.* 15.

Quia attactu conſtat, quoties os uteri eſt contractum, ſimul eſſe durum, licet nullus adſit tumor inflammatorius vel ſcirrhoſus, inde patet, quod hæc conſtrictio dependeat a contractione fibrarum orbicularium, qua contractione, uti omnes reliqui muſculi, hæ fibræ induratæ ſentiuntur: ſed orificii uteri dilatatio videtur præcipue oriri relaxatis fibris orbicularibus. Hinc tempore conceptus, partus, & menſtruationis,

hæ fibræ orbiculares videntur relaxari, ut transitum præbeant per hoc orificium. Si vero os apertum æque esset durum, quam dum est clausum, signum esset, orificium uteri æque suis fibris distrahi quam contrahi, quod nunc contrarium patet. Ergo quoties invenitur os uteri durum, signum quoque est istud contractum esse. Ut igitur obstetrix sciat in parturientium doloribus, num exspectandus sit partus, tangens uteri orificium, si istud inveniat durum, pronunciare potest uteri os esse clausum & propterea partum fieri non posse, & expectandum esse monet, donec uteri os mollescat. Hoc signum quoque valet in lochiis vel menstruis retentis, & in uteri hydrope: nam si detegat os uteri durum, novit os esse contractum & ita intus continere humores; si vero molle inveniat, judicare potest istorum retentionem non oriri ab ore uteri contracto. Sic valet medicus opportuna adhibere auxilia, vel laxantia vel instigantia, ut evacuet id, quod in utero retinetur. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 55.

Ὁκόσαι ἐν γαςρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσιν.

Quæcunque utero gerentes febribus detinentur, & vehementer extenuantur citra manifeſtam cauſam, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

In *Coac. ſect.* 3. *n.* 408. ita ſcriptum eſt: *Citra rationem facta colliquatio in uterum gerentibus abortiones indicat.*

In febribus abſque manifeſta cauſa extenuari, intelligimus, quando nec dolor, nec vigiliæ, neque inſignis evacuatio intercedit, aut aliud quid eorum, a quibus corpora extenuari magnopere ſolent, de quibus mentionem fecit Hippocrates in *Prognoſt. n.* 2. Idque virium imbecillitatem ſignificare docuit ſuperius 2 *aph.* 28. Stante igitur imbecillitate uterum gerentis, ſi tunc fœtum corrumpi contingat, mulierem periclitari, eſt rationabile. Verum ſi fœtus uſque ad exactum geſtationis tempus conſervetur; difficulter tamen, propter virium imbecillitatem, parit, & periculoſe: quia, etiamſi ab ægritudine ad tempus partus intervallum aliquod temporis intercedat, non poſſunt tamen, aut fœtus, aut mater priſtinum

recuperasse robur, ut labores partus absque periculo ferre possint; difficilis ergo, & laboriosus partus exspectandus est. *Martian.* p. 461. Conf. *Forest. Obs. Med.* l. 28. *obs.* 72. *schol.* p. 499. Extenuatio illa non leve vitium in sanguine, & robur destructum indicat; ubi enim cacochymia est, ibi non potest consistere virium robur: quandocunque autem corpus matris vitiosis humoribus abundat, vel intestinus calidus depascens humidum motus in sanguine custoditur, fieri non poterit quin mater & fœtus sit imbecillior. Quandoque autem accidit, quod mulieres gravidæ extenuentur, quia fœtus nimium consumit alimoniam matris; unde etiam non sine ratione scribit Hippocrates, quod tales fœminæ cum periculo pariant, quia causæ necessariæ ad partum facile tolluntur, ut sunt robur matris, viæ apertæ molles ac lubricæ. *Fr. Hoffmanni Diss. de morbis fœtuum in utero. Halæ* 1702. 4°. §. 2. 5.

Causa non manifesta extenuationem inducens est febris remittens colliquativa, quæ eo fit major, quo magis evacuamus. Igitur dum post partum emittitur magna copia sanguinis, partim sanguinis defectu, partim augmento febris colliquativæ moritur puerpera. Ab eadem hac extenuatione & febribus partus fit difficilior, quia vitio matris excluditur febris; quia vero vita placentæ extincta fœtus non conatur in lucem prodire, inde sæpe fit, quod post fœtus exclusionem placenta tenaciter utero adhærens, quia non satis exaruit, post partum non statim sequatur, sed remanens partum difficiliorem faciat & periculosum, cum stagnans, corruptionem suscipiens, febrem colliquativam augeat. Sive circa principium, sive medium, sive finem

nem gestationis gravida fœmina febribus colliquativis vexata, & vehementer extenuata excludat fœtum, idem patitur periculum. Nam & in abortu & in partu naturali, effundit majorem sanguinis copiam, & placenta tenacius adhærere solet utero, quam ut perfectum abortum facere possit. Ergo per easdem assignatas caussas in abortu fœmina ita extenuata periclitatur. *Gorter.*

APHOR. 56.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

In fluore muliebri si convulsio accedat & animi defectio, malum.

Post nimiam sanguinis jacturam, ab inanitione spasmos & animi deliquia fieri, supra 5 *aph.* 3. dictum est. At vero præsens textus non indicat immodicum vel diu durantem mensium fluxum; neque dicitur ex fluxu muliebri si fiat convulsio vel lipothymia, verum dicit huic fluxui si superveniat, id est, si talia symptomata fiant in fluxu muliebri, malum signum est. Equidem hodie pronunciamus malum, si fœmina versetur in naturali menstruatione, atque tum a convulsione vel lipothymia corripiatur; nam observavi ab his supervenientibus symptomatibus illam menstruationem non solum turbari, sed etiam in medio fluxu sufflaminari, cum multo detrimento mulieris. Novi multas

fœminas,

fœminas, quæ fæpiffime menftruationis tempore hujufmodi fymptomatibus corripiuntur, quæque per triduum vel ultra decumbere debent, donec ceffaverit ille fluxus, etiamfi non fit immodicus. Igitur convulfionem & lipothymiam non deduxi ex nimio profluvio, fed ex aliquo morbo latente, qui producit lipothymiam aut convulfionem, dum uterus fe accingit emittere fanguinem menftruum. Notum eft, homines debiles, mobilitate folidorum laborantes, his morbis fæpe tentari ex leviffima caufa. Et quoniam in multis fœminis, quibus fanguinis eft defectus, obfervatum eft, menftruum fanguinis fluxum nihilo minus ftato fieri tempore, colligere poffumus, ipfam plethoram per totum corpus non fufficere ad menftruationem, fed caufam adeffe debere moventem, quæ contentum fanguinem in arteriis magis ducit ad uterum & ibidem evacuat: quoties enim hæc caufa dirigens ceffat, etiamfi maneat tali in corpore fanguinis abundantia, menfes tamen fupprimuntur, quod experimur in fœminis menftruantibus fi fubito aliquo terrore corripiuntur. Hic nunc motus particularis derivans fanguinem ad uterum, & eum evacuans, non raro reliquum corpus in confenfum trahit: & fi hoc cadat in mulieres mobilitate folidorum laborantes, quarum corpora ex minima caufa admodum turbantur, fæpe fit, quod per confenfum hunc mulier corripiatur animi deliquio aut convulfione, quæ hodie vocatur *Convulfio hyfterica*. Quibus fymptomatibus obortis, fæpiffime in medio fluxu fupprimuntur menfes, qui deinceps difficile revocantur. Nam lipothymia, extinguens omnem motum vitalem, etiam fimul extinguit hunc motum particularum

rem uteri, qui cessante lipothymia non semper redit. Eodem modo Convulsio hysterica commutat motum alternum constringentem & dilatantem, quo propellebatur sanguis menstruus, in motum tonicum perpetuo contrahentem, quæ tetanica constrictio non solum valet cohibere menstruum sanguinem, verum etiam lochiorum fluxum, imo si parturienti superveniat, inhibet fœtus exclusionem. Igitur lipothymia vel convulsio superveniens valet supprimere naturalem mensium fluxum: quod merito dicitur *malum*. Hoc autem malum si ex spasmo fiat, menses revocari & molestiæ ex spasmo natæ minui possunt auxiliis antispasmodicis anodynis. Si vero lipothymia fuerit causa, illis admiscentur quædam spirituosa aromatica & sales volatiles cum optimo successu. *Gorter.*

APHOR .57.

Καταμηνίων γινομένων πλειόνων νοῦσοι ξυμβαίνουσι· καὶ μὴ γινομένων, ἀπὸ τῆς ὑστέρης γίγνονται νοῦσοι.

Mensibus copiosioribus profluentibus morbi contingunt; & non prodeuntibus, ab utero morbi eveniunt.

Quo tempore fœmininum corpus ad incrementum suum pervenit, in bene facta temperie plus solet conficere cruoris, quam qui vasis contineatur, unde arteriis uterinis

rinis fluoris menstrui nomine secernitur. *Boerh. aph.* 1284. Mulieri igitur tempus menstruum, in quo purgatio ipsa procedet, concedendum, quod ut brevissimum tres dies implet. plerisque autem etiam multo plures. *Hippocr. de octim. partu n.* 5. Tempore gestationis & impraegnationis fluxus ille cessat plerumque, ut & quam diu puerpera lactat. Extra hos casus menstrua evacuatio cum magno sanitatis emolumento foeminis contingit: si vero eadem aut modum excedat, aut deficiat, multorum morborum inde originem derivandam esse, quotidiana docet experientia & praesens innuit aphorismus. Nimia sanguinis ex utero effusio, ratione temporis quo impetit multum variat. Nimirum quandoque stato, quo erumpere solent menses tempore, sanguis copiose & cum impetu effertur; quandoque extra illam lunarem periodum, bis vel pluries in mense, redit fluxus; quandoque ipsa menstrua purgatio solito diutius per complures dies liberaliter succedit. Non tamen omnis larga sanguinis per uterum fluxio, quae in foeminis sanguineis subinde ob nimiam redundantiam accidit, ac si nimia & noxia esset, censenda est, sed ea demum, quae virium imbecillitate stipatur, quam postea aliae functionum laesiones conspicuae, ut inappetentia, cruditas ex mala digestione, gravativus circa ventriculi regionem sensus, foedus faciei color, pulsus languidus & frequens cum lento aestu, pedum oedematosus tumor, turbatus & minus reficiens somnus, insequuntur. *Hoffm. Med rat. T.* 4 *P.* 2. *p.* 207. Verbo: *mensibus copiosioribus profluentibus morbi contingunt*, quales ab inanitione aut nimia haemorrhagia quacunque provenire solent. Vid. 5 *aph.* 3. *Galen. l.* 6. *de*

de loc. affect. cap. 5. *Forest. Obs. Med. l.* 28. *obs.* 12. *schol. Boerh. J. M.* §. 775.

Si non prodeunt, quæ prodire debent, menstruæ sanguinis evacuationes, oritur plethora: tarditas; gravitas; pallor; dolor lumborum, inguinum; depravatæ functiones omnes fere naturales, vitales, animales; quæ facile deducuntur a vasis nimis pressis, liquido copiosiore, stagnante, suffocato. Ab eodem autem sic accumulato sæpe parantur viæ, raris secretionibus menstruis notæ; dum per oculos, aures, nares, gingivas, vias salivæ, œsophagum, alvum, vesicam, mammas, cutim, vulnera, ulcera, exire viderint Medici. Vel & sæpe labefactantur inde omnia viscera, oriturque partim a putredine concepta, partim a vasis læsis, infinitum morborum genus. *Boerh. aph.* 1285 *sqv.* Eveniunt autem morbi, non modo si supprimantur evacuationas istæ, sed etiam si minuantur plurimum. Ac primum quidem fœmina destituitur conceptione: hæc enim una est e causis sterilitatis maxima. Unde quibus, per ætatem, aut non adhuc accedunt, aut desiere, non concipiunt. Dum autem fluunt menstrua, quantum ex hac parte, semper possunt concipere; quanquam constet, multas concepisse ante quam passæ essent menstrua. Præterea uteri strangulatione vexantur, & scirrhoso tumore, & cancro, & erysipelate; & aquositate replentur, & flatibus, & ulceribus pravis gracilescunt; &c. Vid. *Forest. Obs. Med. l.* 28. *obs.* 1. *schol.* Quæ mala impeditiori sanguinis per abdominis viscera cursui debentur. Quia enim in muliebri corpore laxior fibrarum est compages, & major semper sanguinis copia generatur; suppressa consueta superflui evacuatione,

tione, vel fluxu parcius justo succedente, aut post quinquagesimum annum plane subsistente, exundans moles languidius cursum perficit per imi ventris viscera, & in nervosis eorum partibus hærens, sæva inducit symptomata, spasmis & impetuosis humorum ad certa loca congestionibus infestantia. Hinc cardialgicæ illæ præcordiorum oppressiones, faucium strangulationes, tensivæ hypochondriorum inflationes, phlogoses, artuum dolores, universi corporis languores, & hujus generis plura. *Hoffm. morb. ex hep. vit.* §. 20. Virgini si menses suo tempore non appareant, multum & febricitat, & dolet, sitit, esurit, vomit, insania vexatur, ac rursus ad mentem redit. Uteri moventur, & cum ad viscera vertuntur, vomitus & febris, ac delirium accedunt. At ubi cessant, esurit & sitit, & febris mitis ac lenta Epialos dicta detinet. *Hippocr. de superfœt. n.* 24. Cum menses in occulto latent, dolor infimum ventrem infestabit, & pondus quoddam incumbere videtur, lumbi & laterum inanitates stupendum in modum dolent. Si vero menses nullo modo prodeunt, ex morbo crassi, lenti & glutinosi redduntur. *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 10. Cum igitur exitui via minime pateat, copiosior autem sanguis per cibos & corporis incrementum affluat, tunc sanguis effluvio carens, propter copiam ad cor & septum transversum resilit. Ubi igitur hæc oppleta fuerint, cor obstupescit, indeque torpor, & ex torpore dementia invadit: tum etiam horror cum febre irruit, febres inerrantes appellant. Quæ cum ita se habeant, ob acutam quidem inflammationem insanit, ob putredinem clamat, ob caliginem terretur & timet, ob oppressionem

vero quæ circa cor eſt, ſuffocationem ſibi parat, ob ſanguinis autem vitium animus anxietudine & impotentia conflictatur & malum contrahit. &c. *lib. de virgin. morb. n.* 2. Quibus fœminis menſtrua non proveniunt, neceſſe eſt capitis acerbiſſimi dolores ſint, vel quælibet alia pars morbo infeſtetur. *Celſ. l.* 2. *c.* 7. *p.* 59. Eleganti expreſſa carmine ſunt, quæ ſuppresſionem menſtruorum excipiunt mala, apud *Coulej. p.* 85:

Succedunt gravitas membrorum udique tumores,
Fertque ſuum corpus non patienter onus;
Succedunt placitarum olim faſtidia rerum,
Ipſius & vitæ nauſea tetra ſubit;
Ulceraque, & putres ruptis fornacibus ignes,
Et vomitus miſto ſanguine terribiles.
Nunc labor, atque uteri nequicquam pugna furentis,
Et mortes anima mox titubante breves.
Pectore tardus nunc domito vix ſpiritus exit,
Mox omnes artus Tuſſis anhela quatit.
Ipſa etiam victor ſcandit Capitolia mentis,
Et cerebri gyros occupat hoſtis atrox.
Hinc vigiles noctes, vigiles ſed ſomnia terrent;
Veraque Mens patitur dum mala, falſa creat.
Jactatamque diu ſerus vitam obruit hydrops,
Atque anima e merſa naufraga puppe natat.
Ah quoties verno gemmantes flore puellas
(Multa ſagittifero jam meditante Deo)
Hic ferus exurit ſubita rubigine morbus!
Flet deceptus amor, triſtis amator abit.

APHOR. 58.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι στραγγουρίη ἐπιγίνεται. ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι λύγξ ἐπιγίνεται.

Ad recti inteſtini, & uteri inflammationem, reneſque purulentos ſtranguria ſuccedit. At jecoris inflammationi ſupervenit ſingultus.

Stranguriæ hic indicantur tres cauſæ. Dicitur Stranguria ſeu urinæ ſtillicidium, quando lotium guttatim cum ardoris ſenſu emittitur, & pro cauſa agnoſcit vel acrimoniam irritantem, vel excoriationem partium veſicæ, vel calculum occludentem, aut tumorem, in veſicæ collo, ejuſve urethra. vid. *Boerh.* *J. M.* §. 822. Eſt urinæ incontinentiæ ſpecies, præceps nempe & crebra deſtillatio, quæ redditur ægro invito, ſine periodico veſicæ conatu, qui eſſe ſolet cùm urinæ copia veſicam diſtendit, ipſamque excitat ad liberalem & liberam vacuationem rei moleſtæ. Talis invita urinæ deſtillatio quæ ſtranguria eſt, proportione reſpondet ei lienteriæ cujus præceps egeſtio eſt ab impotentia continendi ea quæ aſſumuntur, quam edit vel alvus aphthoſa, vel proritata morſu potionis aut cibi. Omnis enim ſtranguria fit, aut morbo veſicæ, aut ejus ſymptomate. Morbus quidem eſt; exulceratio, vel

coagmentatio lapidosa; vid. 4 *aph.* 75. 79. 81. Symptoma autem, proritatio quam facit triplex urinæ materia in vesicam confluens. Triplicem urinæ materiam, unde proritatio est vesicæ, Hippocrates *lib. 6. Epidem. sect.* 5. *n.* 30. docet in hac sententia: *Urina tum cibo & potioni est concolor, tum qualis esse consuevit, tum ubi est humidi colliquatio.* Ac prima quidem materia est potionis præcipitis, ut vini albi Germanici calce infecti; aquæ vini; tum vini albi, cantharidibus medicati; præterea fontium Chalcantho medicatorum, atque diureticorum omnium fortiorum. Altera urinæ materia stranguriosa, est serum biliosius eorum qui sunt in venis humorum. Atque hæc stranguria non raro est critica & salutaris, de qua illud scriptum est *l.* 1. *Epid. sect.* 2. *n.* 76: *Utile fuit unum maximumque omnium quæ apparebant signorum, ac plurimos liberavit qui erant in maximis vitæ periculis, quibus conversio facta est ad stranguriosam urinam.* De tertia urinæ materia stranguriosa, humoris liquamine, sic legitur *lib.* 2. *de morb. n.* 1: *Crebro urina redditur cum incaluerit multum caput. Siquidem in eo liquatur pituita, quæ liquata, partim quidem ad nares, partim ad os, partim etiam per venas quæ ad pudendum tendunt, secedit. Quo cum pervenerit, tum is qui mingit, patitur quemadmodum a stranguria.* Ad symptoma etiam spectat stranguriosa prostatæ glandulæ inflammatio & ulcus, unde colluvies illa fœda quæ vulgo est pissa-calida (*gonorrhœa*). *Duret. in Coac. p.* 347. In præsente aphorismo nostro *inflammatum intestinum rectum, aut uteri os*, comprimendo vesicæ collum, urinam libere effluere impedit, unde stranguria. *Vallef.* Conf. *Hippocr. de fistul. n.* 3. 4. Pus e *renibus suppuratis* in vesi-

cam delatum, acre cum sit, irritando facit stillicidium. Quod ultimo loco adfertur de singultu, id *Celsus l.* 2. *c.* 7. *p.* 62. ita expressit: *Frequens singultus, & præter consuetudinem continuus, jecur inflammatum esse, significat.* Est convulsionis species singultus in orificio ventriculi superiori, quæ pars est nervosissima, nervos habens a pari vago, communicantes cum nervis hepaticis. Præterea hepar cum diaphragmate nectitur, quod dicto ventriculi orificio seu stomacho præbet transitum. Ergo ubi est hepar inflammatum, per consensum oritur spasmodica stomachi contractio seu irritatio, singultus. Conf. 6 *aph.* 13. Qui *singultus ex jecoris inflammatione, malum,* uti habet 7 *aph.* 17. quia notat magnitudinem causæ.

In fœminis raro fit *ex intestino recto inflammato stranguria*, quia vagina interposita facit, ut inter intestinum rectum & urethram minor sit communitas quam in viris, in quibus hæ partes juxta locatæ sunt. Dein non semper ex inflammato intestino recto ita consentit vesica vel urethra ut stranguriam faciat. Tamen propter vicinitatem harum partium, & quia ex intestino recto inflammato etiam interdum afficitur vesica vel urethra, fieri potest stranguria. Propterea non debemus semper in inflammatione intestini recti quærere aliam causam stranguriam inducentem, quamvis videatur morbus novus, qum inflammatio latius dispersa, vel vesicam vel urethram in consensum trahens, stranguriam inducere possit. Hoc boni ex hac observatione habemus, ut solummodo tentemus curare intestinum rectum inflammatum, post cujus mitigationem & curationem curabitur quoque sponte stranguria. Per *uterum* in aphorismo

non

non ſolum intelligenda videtur illa pars, quam hodie uterum vocamus, verum etiam vagina, quoniam vagina magis conſentit urethræ & veſicæ, quam uterus ipſe. Quando igitur in fœmina uterus aut ejus vagina ab inflammatione tentatur, eodem modo, ut ſtatim dictum eſt de inteſtino recto in viris, ſtranguriam inducere poteſt, & curari debet. Quomodo inflammatio ab eryſipelate harum partium diſtinguatur, ſupra (*aph.* 43.) traditum eſt; interim credibile eſt, eryſipelas æque ac inflammationem producere poſſe ſtranguriam. *Renes*, ſive ex prægreſſa inflammatione formaverint pus, ſive corrodendo vel detritu calculi contraxerint ulcus pus fundens, quamdiu iſtud pus eſt blandum, redditur per urethram ſine ulla roſione; unde ſæpe in empyematicis, phthiſicis, & critica evacuatione morborum acutorum redditur cum urina pus, ſine ulla inducta ſtranguria, quoniam interna urethræ latera muco naturali obducta non afficiuntur a puris tranſitu. Si vero iſtud pus redditur acre, corruptum & ichoroſum, non ſolum ſimul in tranſitu ſuo aufert mucum naturalem, verum etiam tangens nuda latera veſicæ & urethræ, irritando facit ut involuntarie contrahantur. Hinc in principio, dum fluere urina incipit, urethra ſe dilatari permittit, ſed in tranſitu irritata ſe contrahens iterum exitum urinæ & puris intercipit, qualis morbus vocatur ſtranguria. Quoniam non omni in caſu pus ita eſt acre & corruptum, non ſemper adeſt ſtranguria. Sed ſi ſuperveniat, ſignum eſt majoris acrimoniæ & corruptionis in pure tranſeunte, quod malum eſt, & difficiliorem curationem arguit. Quando *hepatis inflammationi* ſupervenit ſingultus, hoc

 pendere

pendere debet vel ex natura aut magnitudine inflammationis, vel ex diverso loco inflammato provenire debet. Quum vero experimur interdum in graviori hepatis inflammatione non fieri singultum, qui autem supervenit quandoque leviori inflammationi, verisimile est ex parte hepatis diversa inflammata singultum nasci: nimirum quando hepatis quædam pars inflammata diaphragmati consentit, ut ita convulsive deorsum tracto subito diaphragmate, cum simul clauditur larynx, in nobis generetur singultus. Nam statuere velle ab œsophago convulso singultum fieri, id non responderet phænomenis, quia œsophagi convulsio, elevando diaphragma, extruderet aërem, dum in singultu attrahitur aër, cujus introitus simul intercipitur. Credibile ergo, ligamenta hepatis, nectentia hepar diaphragmati, esse inflammata, quando singultus supervenit. Facile ergo ex his colligitur, omnia spirituosa & arcana contra singultum hunc nihil valere, sed eum curandum esse, uti curantur omnes morbi inflammatorii. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 59.

Γυνὴ ἢ μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτω· κἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκίῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας, καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι᾽ ἑωυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Si mulier non concipiat, ſcire autem expetit num conceptura ſit, veſtibus undique obvolutæ per inferna ſuffitum apponito; & ſi odor quidem ad nares, & os uſque per corpus tibi pervadere videatur, ipſam non ex ſeſe infœcundam eſſe ſcito.

Fallax & anile experimentum eſt, & non minus indignum Magno Hippocrate, quam eſt illud ſuperius 5 *aph.* 41. Vis autem plura ejuſdem farinæ? Conſule *lib. de ſteril. n.* 6. *de ſuperfœt. n.* 9. & 10. *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 107. *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 40.



Aphor. 60.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

Si mulieri utero gerenti purgationes eant, fœtus ut bene valeat fieri non poteſt.

In *lib. de nat. pueri n.* 5. hæc leguntur: *Menſes non prodeunt mulieri, quæ prægnans eſt, ſi puer ſanus futurus ſit, præterquam quibusdam perpuſillum primo menſe.* Conf. *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 99. Hæc autem niti videntur enunciato illo, quod habetur 5 *aph.* 51. *Quæ utero gerunt, iis os uteri connivet.*

Fœtum ſanum eſſe non poſſe prodeuntibus menſtruis, intelligendum eſt de metu futuri abortus: nam *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 40. pronunciatur, *ſi mulieri fœtum duorum aut trium menſium, aut grandiorem utero gerenti, menſes confeſtim ſingulis menſibus prodeant, ea ut tum extenuetur, tum debilis reddatur neceſſe eſſe; uteros enim tunc plus æquo debiſcere & fœtus incrementum dimittere; ſi autem uteri plus æquo debiſcant, ſanguinem ſingulis menſibus, ſicut prodire conſuevit, effluere, & quod in uteris continetur tenue & debile evadere; verum ſi diligens cura adhibeatur, tum mulierem, tum fœtum melius habere, ſi vero nulla adhibeatur, fœtum corrumpi.* Et *ibid. n.* 44. ſcribitur: *Si uterum geſtent, & menſes appareant, aut abortus fiunt, ſi copioſi & graveolentes fuerint, aut morboſi fœtus redduntur.*

redduntur. Equidem inter signa imminentis abortus est, quando sanguis cum grumis sat larga sæpius copia cum summa debilitate, & frequentius animi deliquio, ejicitur, & tertio demum die fœtus expellitur. Præcedit utplurimum subitaneus corporis rigor & horror cum lassitudine, inappetentia, nausea, cordis palpitatione, lumborum dolore; circa pubem gravativus dolor atque in partibus genitalibus frigus: quo grandior autem & adultior est embryo, eo acerbiores spasmi, dolores ac majora symptomata non sine periculo observantur. Signa abortus futuri Hippocrates *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 6. ita proponit: *Ruber fluxus fluit talis, qualis recenter jugulatæ victimæ fluit, & per intervalla sanguinis grumi, quandoque vero etiam fluorem rubrum ejicit, venter imus attollitur, extenuatur, inflatur, induratur, ad contactum velut ulceratus indolescit, febris & dentium fremitus detinet, dolor est ad ipsa pudenda, pubem, lateris inanitatem, lumbos, tendinem, ventrem, pectus, & scapulas, reliquaque omnia dolent, impotentia & animi demissio detinet, & color mutatur.* Ab abortiva vero hæmorrhagia probe ille cruentus ex utero fluxus, qui multis prægnantibus fœmellis citra noxam, & abortus metum contingere solet, distinguendus est. Nam sæpissime fit, ut, quæ sanguine abundant fœminæ, secundo & tertio graviditatis mense sanguineum experiantur fluxum, citra dolores & spasmos in regione lumbari & abdomine, citra debilitatem, & præcedentem horrorem & rigorem partium extremarum. Hoc autem in casu sanguis non ex uteri cavitate, sed potius ex vasculis vaginæ uterinæ cum euphoria profluit. Atque nota sunt exempla, ubi a medio gestationis tempo-

re usque ad ipsum partum sanguis ex genitalibus effluxit, salvo nihilominus & vivaci satis prodeunte fœtu. Quare fallit aphorismus: Si mulier gravida fit menstrualis, non potest sanus esse fœtus. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 622. Conf. *Eph. N. C. Cent.* 1. *p.* 116. *Cent.* 6. *obs.* 75. *D.* 3. *a.* 3. *o.* 35. Corruunt ergo quæ ex adducto textu *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 40. pro tuenda præsentis aphorismi veritate multo molimine disputat *Martianus p.* 253 *sq.*

APHOR. 61.

Ἢν γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγενομένου, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσι, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, ciborum vero fastidia ei accidant, gravidam esse existimato.

Signa conceptus seu impraegnationis factæ hic traduntur: at quæ non sunt perpetuæ veritatis. Judicium difficile. Nec certe adeo in genere conceptionis signa, primis potissimum mensibus, existunt; quin vel falsa, vel fallacia, & aliis morbis communia eadem. *Eph. N. C Cent.* 1. *p.* 115. Legi merentur relata in *Bresl. Samml. Suppl.* 2. *p.* 133. & *Hebenstr. Anthrop. for. p.* 16 *seq.* Enim vero est status aliquis fœminarum, in quo si fuerint, sibi persuadere,

ſuadere, ſe gravidas haud eſſe, nequeunt, ſiquidem, quas uterum gerentes experiuntur mutationes, easdem ſibi quoque eveniſſe, ſenſu aliquo interno, qualis prægnantibus eſſe ſolet, percipiunt; non enim tantum uteri molem ſibi ſuccreſcere ſentiunt, ſed & lactis aliquando ſpeciem in mammis alunt, etiam ſi ea ætate fuerint, qua, fœtus concipi, frequens adeo haud eſt. Attamen maxima graviditatis ſimilitudo illis eſt, quæ corpus peregrinum, haud animatum, quod mola dicitur, utero gerunt, quando, mox hydatidas, veſiculas ſcilicet limpida aqua turgidas, easque plurimas, circa ovaria inque uteri cavo gerunt, mox materiem aliquam folliculo incluſam, atheromatis, ſteatomatis, aut meliceridis ſpecie, ventre alunt, mox aquas utero collectas, quo ille vehementer diſtenditur, circumferunt. Hi quidem matricum tumores, cum morbus ſint, & ſymptomata, qualia hydropicis eſſe ſolent, ſecum adferant, inducere nullam poterunt, ut credat, ſe gravidam eſſe, nec aliis, hac ſua ſpecie, facile imponet fœmina, nam vitalem hanc uteri plenitudinem haud eſſe, ſigna declarant, quæ deſcribuntur ab Hippocrate *de nat. mul. n.* 2: *Si hydrops in uteris oboriatur, menſes pauciores & deteriores contingunt, deinde derepente deficiunt, venter intumeſcit, mammæ ſiccæ evadunt, & in reliquis male habet, ſibique utero geſtare videtur*: & alibi: *uterus plenus inſtar gravidæ, nihil autem movetur in utero, nec lac in mammis generatur.* Sed vero eſt quædam molæ ſpecies, quæ carne fungoſa, mox uterum replente, mox ejus ſubſtantiam vehementer diſtendente, conſiſtit, & graviditatis imaginem inprimis exhibet, quandoquidem illi intercurrunt motus ſpaſtici, fœtus in

utero

utero converſionem imitantes. Ac, ne quid deſit naturæ ludibrio, lac etiam in mammis gignitur. Quin & lac ſibi generare didicerunt vaferrimæ mulieres, dum frequente ſuctu naturam irritant, & ſanguinem ſibi in mammas convocant; ſunt etiam, quæ, urticarum uſu mollique frictione, prurientes mammas ad lactis officium invitant. Vid. *Hebenſtr. l. c. p.* 185.

APHOR. 62.

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν, οὐ κυΐσκουσι, καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν, ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος· καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέας, ἐνδείῃ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίγνονται.

Quæ frigidos, & denſos habent uteros, non concipiunt, neque quæ præhumidos habent, ſiquidem in ipſis genitura extinguitur: & quæ plus æquo ſiccos, & adurentes, alimenti namque inopia ſemen corrumpitur. At quæ ex utriſque moderatam nactæ ſunt temperiem, eæ fœcundæ evadunt.

Sedes hujus aphoriſmi eſſe videtur in *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 33. *Concipit autem neque ea quæ humiditate redundat, neque quæ reſiccata eſt, niſi horum aliquid ex priſca natura inſit.*

Steri-

Sterilitatis fœminarum causæ traduntur, quas omnes fere precarias, & fabulas pronunciat *Lister*. Ad tres illæ uteri intemperantias reducuntur. Nam uterus vel frigidior est, quam par sit, vel humidior, vel denique cum caloris excessu siccior. Hujusmodi vero intemperantiæ non simpliciter accipiendæ sunt, sed totius corporis respectu. Quandoquidem plures mulieres concipere observantur, quarum uterus longe intemperantior erat, quam alterius cujusdam, quæ sterilis ob eandem intemperantiam fuerit; e. g. sit mulier toto temperamento biliosa, cujus singulæ partes totius temperamento respondeant; altera vero naturali totius temperamento frigida sit, uterum vero cæteris paribus calidiorem habeat. Harum quidem prior concipiet, quia ejus uterus a totius temperie non recedit. Posterior vero nequaquam, ob calidam uteri temperiem totius respectu consideratam. Et tamen quæ concipiet, calidiorem habebit uterum, quam quæ sterilis supponitur. In hunc igitur sensum præsens sententia recipienda est, alioqui in regionibus, & in temperaturis a mediocritate recedentibus mulieres pro majori parte steriles essent. *Martian. p.* 462. In uteri densi, frigidi & humidi, causam sterilitatis constituentis explicatione, non ad tardiorem modo succorum motum, viscosæ & serosæ abundantiam materiæ, atque ab his proveniens frigus, sed ad elasticæ etiam defectum virtutis & fibrarum vasorumque uterinorum atoniam respiciendum, quæ efficiunt, ut liquor maris genitalis in arvum muliebre projectus, tenacis copia pituitæ obrutus nihil præstare queat partim, partim ex utero nimis laxo & flaccido denuo quasi per lubricum

lubricum profundatur, aut etiam, si uteri orificium nimia pinguedine aut muco obsitum est, ne admittatur quidem. Vicissim etiam a nimia uteri siccitate, nimioque calore, e succi nutritii defectu, propter salis acris sero minus temperati prædominium, adeoque a majore, quam decet, fibrarum uteri vi elastica, altera sterilitatis causa. *Stentzel de Ven. l.* 3. §. 18. Quando vero laudatur uteri temperatus & moderatus status, eo nihil aliud, quam tonus & robur ejus æquabile, moderatum, & ad liberum sanguinis circulum aptissimum intelligitur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 632. Si non conceperit, sed postero aut tertio die quæ viri sunt nimio humore diffluentia foras prodeant, uteros humidiores esse constat. *Hippocr. lib.* 1. *de morb. mul. n.* 26. Si vero humidius uterorum os fuerit, attrahere genituram non possunt. *ibid. n.* 34. At mulieres quænam magis aut minus uterum gestare sint idoneæ, hunc in modum æstimare licet, inprimis quidem in formas intuendo. Parvæ namque grandioribus ad conceptum præstant, tenues crassis, candidæ rubris, nigræ liventibus. Præstant item quibus venæ exstant, iis quibus minime apparent. Quin etiam grandiori natu exuberans carnis moles, malo est: mammæ autem turgidæ & magnæ probantur. Atque ista quidem visui sunt exposita. At sciscitari oportet, num menstrua singulis mensibus appareant, & num satis idonea copia, & an boni sint coloris, æquali copia in singulis temporibus, & ratis mensium diebus effluant, quod quidem optimum est. Locus vero conceptui idoneus, quem sane uterum nominamus, sanus esse, & siccus, & mollis debet, ac neque contractus, neque proclivis, neque ore distor-

to aut compresso, aut diducto. Etenim quicquid horum contigerit, conceptum fieri impedit. *lib.* 2. *Prædict.* *n.* 33.

APHOR. 63.

Παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων. ἢ γὰρ δι' ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα· ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω· ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυρῶται· ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον· ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Eadem vero ratio est in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus foras dissipatur, ita ut ne semen transmittat: aut propter densitatem humor foras non excernitur: aut ob frigiditatem non accenditur, ut ad eum locum cogatur: aut ob caliditatem hoc idem contingit.

Causæ sterilitatis in viris exponuntur; de quibus idem sentit *Lister*, quod de illis in præcedente *aph.* 62. Galenus præsentem sententiam rejicit pluribus capitibus, variisque rationibus contra eam adductis: quibus non obstantibus, sententiam verissimam, Hippocrate dignam censeo, si recto sensu accipiatur, qui talis est. Sterilitatis mulierum causas ad tres in præcedenti aphorismo reduxerat: ad frigi-

frigiditatem uteri, ob quam densior effectus non concipit; secundo ad humiditatem genituram suffocantem, & tertio denique ad siccitatem urentem, genituramque corrumpentem. In hoc autem aphorismo easdem repetit causas tanquam sterilitatem virorum producentes, non tamen eodem modo, verum, ut indicaret easdem causas concurrere, dixit, *similiter autem in maribus*. Quia tamen modus, & ratio diversa est, eas subsequenter explicat; & certe si causas sterilitatis virorum diligenter consideraverimus, inveniemus omnes ad tria capita reduci. Eorum enim alii erigunt quidem, verum coïre volentes, spiritus erectionem facientes statim evanescunt, subsidetque & concidit penis, ideoque semen in uterum ejaculari non possunt, quod si aliqui emittunt in foribus pudendi muliebris illud perdunt; & de his intellixit Hippocrates dum dixit, *aut propter corporis raritatem spiritus foras dissipatur, ita ut ne semen transmittat*. Namque rationi consentaneum est, taliter affectos ob caliditatem, & siccitatem temperamenti, & potissimum genitalium, unde spiritus tenuiores generantur, quam par sit, steriles esse. Hi respondent mulieribus, quas ob siccos, & exustos uteros non concipere, sed genituram corrumpere dixerat in præcedenti. Alii secundo loco sunt, qui & erigunt, & coëunt quidem, verùm nunquam semen effundunt; & hos significavit Hippocrates dum dixit, *aut propter densitatem humor foras non excernitur*. Tales sunt, qui frigido, & sicco sunt temperamento: in quo cum spiritus sint frigidiores, non ita incalescunt, ut semen deducere, & impellere possint, Hippocrates causam reduxit in habitus densitatem, eo quod genituram

genituram a toto corpore succedere existimavit. Verum utcunque sit, certum est, primariam causam esse frigiditatem, & siccitatem temperamenti totius corporis, & potissimum testium, aliarumque partium generationi inservientium: respondetque sterilitatis mulierum causæ, de qua in præcedenti dixerat: *quæ frigidos, & densos habent uteros, non concipiunt.* Tertio denique loco sunt quidam, qui nec erigere, nec coïre possunt, quos vulgus *ligatos* vocat: quandoquidem impotentiam a frigiditate humiditati adjuncta provenire rationabile est: hosque intellexit Hippocrates dum dixit, *aut ob frigiditatem non concalescit, ut ad hunc locum congregetur;* nam cum opinio esset Hippocrati, semen, sive genituram in actu coïtus a toto corpore excerni, dixit frigiditatem esse causam, cur semen ad genitalia, unà cum spirituum convenienti copia (ex his enim genitura constat) non congregetur. Nam taliter affecti, non solum non erigunt, sed neque titillationem illam percipiunt, quam spirituum facit affluxus, quod si horum nonnulli aliquando semen emittunt, id sine erectione efficiunt, & absque spirituum concursu, ut genituræ nomen non mereatur, sed inutilis excrementi, ex quo adnotare est, summo artificio dixisse Hippocratem, *non congregatur*, quasi illud, quod modo dicto excernitur, non sit semen a toto ad pudenda congregatum, quale debet esse vera genitura. Subjungit inde: *aut ob caliditatem hoc idem contingit*, eo quod cognovit multos calido, & humido temperamento præditos, nec erigere, nec coïre posse, quod experientia ipsa sæpius nobis significavit. *Martian. p.* 462. Itaque alii sunt qui non erigunt; alii, qui erigunt

gunt quidem, sed non perdurant; aliqui perdurant aliquamdiu, sed semen emittere non possunt. *Mercur. Med. Pract. l.* 3. *c.* 39.

Quando sine voluptatis sensu, vel saltem cum sensu pauco, solitoque celerius semen destillat, affecta tantum nec dum perfecta erectione, unde præceps & involuntaria resolutio; malum hoc videtur oriri a nimia ductuum emissariorum amplitudine, per quæ semen e conceptaculis exprimitur facilius promptiusque, atque adeo ante quam omnia ad opus comparata sint. Solet gonorrhœis diuturnis succedere, si morbi naturâ aut ægrotorum negligentiâ, contumaciores fuerint. Tentetur usus remediorum omnium, cum internorum, tum externorum, quæ adversus gonorrhœas valent. Sed ne qua noxa possit inferri, a blandioribus fiat progressus ad fortiora, & hæc caute & interjecto spatio repetantur. Quando arrigitur quidem penis, nec invalide, sed nullum, vel paucum & serosum semen emittitur; vitium tunc pendere videtur ab omnimoda constipatione ductuum emissariorum, quibus vesiculæ seminariæ & prostatæ cum urethra communicant, ideoque præposterum nimiumque usum injectionum fortius adstringentium sequi, quo nonnulli ad gonorrhœæ curationem abuti solent. Nullam curationem videtur admittere. Quando penis flaccidus & vietus jacet, neque potest arte ulla exsuscitari; malum est, quod multa variaque vitia supponit latentia: 1. vel in ipsis seminis conceptaculis, ubi potissimum viget rei Venereæ sensus, nempe in prostatis vesiculisque seminariis, ut si callis induruerint, aut fungosis carnibus oppleantur, ex quo efficiatur, ut a collecto semine nullatenus, aut segnius titillen-

tur:

tur: 2. vel in musculis erectoribus, aut acceleratoribus, quorum ministerio virga rigescit & tenditur, ut si laxi & inertes ad erectionis negotium sint: quibus singulis noxis haud rarum est seminis conceptacula, musculosque erectioni famulantes, a causa Venerea patere. Hoc malum nullam videtur curationem admittere, præsertim si contra hydrargyrosin jam tenax fuerit. Tententur remedia, quæ ad callos resolvendos efficacia sunt. Imo supra perinæum fiant aquarum thermalium embrochæ, quæ adversus musculorum erectorum & acceleratorum inertiam remedio esse possunt. *Astruc morb. Vener. p.* 514.

Præter recensitas jamjam ex morbis Venereis propullulantes impotentiæ virilis causas, sunt multæ aliæ, quæ videri possunt in *Fritsch. Gesch. P.* 1. *p.* 354 *sqv.* Adde impotentiam ex frigore, pene paralytico facto, annotatam in *Eph. N. C. D* 1. *a.* 3. *o.* 41. & ab inopinato terrore, in *Select. Med. Francof. T.* 1. *p.* 119. Utplurimum impotentia Veneris pendet ab impotentia, & debilitate imaginationis, quacunque id de causa succedat, metu, pudore, judicii defectu, nimia applicatione ad studia, aut ad negotia, & nativa stoliditate mentis, & reliquis id generis. Et qui forti imaginatione præditi sunt, uti sunt, qui in arte sua supra cæteros excellunt, & præstant, utplurimum luxuriosi, & ad Venerem potentes observantur; eadem enim spirituum vis, & judicium acre reddit, & Venerem potentiorem; nisi tamen vis corporis studio, & applicatione frangatur, quo in casu judicium acre cum Veneris jungitur impotentia. *Bagliv. p.* 95.

Consentaneum est, ut adhuc aliquid adferam

de *ligatis* paulo ante apud Martianum vulgo dictis, qui aliis *maleficiati* audiunt, & apud *Tibullum l.* 1. *eleg.* 5. *devoti* vocantur. Significantur impotentes ad coïtum per maleficium, per veneficia vel incantamenta. Veneficii ſeu incantationis hoc genus, *ligatura* appellatur, item *nodatio*, *ligatio ligulæ*, *maleficium ligaminis.* Diſtinguitur ligatura, 1. in temporariam, & perpetuam; 2. in univerſalem, & reſpectivam, quarum illa notat impotentiam coëundi cum quacunque fœmina, hujus autem efficacia ſe exerit tantum reſpectu certæ alicujus fœminæ. Maleficium factum arguitur, ubi homo juvenis, vegetus, & cætera ſanus, nullum vitium corporeum præferens quod obſtaculo eſſe queat coitui, paratus ad exercitium Veneris, hoc perficere nequit, ſed membrum virile antea validum & rigidum, dum ad actum progredi parat,

- - - - - - - *non magis movetur*
Quam lentæ ſalices, laſſove papavera collo.

Artes ad ligaturam patrandam ſunt variæ; easque non nuper natas eſſe patet ex Virgilii ecloga 8. quæ elumbem hanc artem ſic docet:

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores.
Necte, Amarylli, modo: &, Veneris, dic, vincula necto.

Quæcunque autem apud auctores memorata reperiuntur ligaturas inducendi artificia, v. g. per feram clauſam, ligulam conſtrictam, cultrum parieti infixum, &c. non produnt aliquid cui nexus tribui poſſit cauſalis cum corpore ejus, cujus virilitas enervari debet. Hinc effectus

effectus maleficii adfcribitur foli imaginationi, feriæque intentioni ac impreffioni incantatoris, putaturque poffe animam humanam per fortem imaginationem, non folum in proprium, fed etiam in aliud, externum, corpus agere. Sunt etiam, qui, imaginationem extra corpus proprium tanta agere non poffe perfpicientes, cacadæmonem focium ei addunt, cujus ope ajunt fieri, permittente Deo, maleficium ligaminis. Ad quod declinandum inhibendumve, & jam factum tollendum, jactata auxilia, non minus vana, ridicula & fuperftitiofa funt, quam illa, ut vidimus, quibus inducitur; v. g. mictio per annulum fponfionis, vel per anfam lapidis fepulchralis, &c. Tempore in multis, in aliis ufu congruorum medicamentorum naturæ ignavæ excitandæ accommodatorum, in quibufdam pulfo pudore, emendata propria imaginatione, ligaturam incantamento, fi diis placet, inductam, fublatam fuiffe, docent hiftoriæ. Vid. *Fritfch. l. c. p.* 205 *fq. Lang. lib.* 2. *epift.* 9. *Kæmpf. Amœn.* 656 *fqv.* Apertum effe videtur, quod, qui referunt id genus nænias, eo ipfo illas refutare cenferi poffint. Ubi nulla caufa apparet, vel in fufpicionem venit, phyfica corpori ipfi vel partibus genitalibus inhærens, tuto poffe, arbitror, recurri ad mentem ipfius patientis, præconceptum metum, odium &c. vel ad deficientem imaginationis vigorem, ex fententia Baglivi fuperius adducta.

Obfervavit Hippocrates, uti & hodie obfervatur, quod viri interdum ex matrimonio non accipiant liberos, in quibus viris vel fœminis nullum apparet vitium fterilitatis, fœmina tamen illa in fecundis nuptiis invenitur prolifera. Propterea judicavit vitium fterilitatis

in femine virili latitare, quod quadam intemperie laborat. Galenus acriter hic infurgit credens hunc aphorifmum effe fpurium & Hippocrate indignum, quafi ex intemperie non potuiffet in mafculis fieri fterilitas. Ego vero puto hanc caufam æque valere inferre fterilitatem mafculis quam fœminis. Uterus enim non eft organum ova fœminea formans, fed ea generantur in ovario, ex humore fuis vafis allato, per actionem fpecialem: fine ovis his maturis & bene formatis nullus fit conceptus in utero, etiamfi uteri cavitas femine virili optimo effet plena. Itidem in viris per actionem teftium ex allato humore præparatur femen prolificum: fi vero illa actio teftium vel fit debilior vel aliena, conficitur quidem in teftibus liquor & ducitur ad veficulas feminales, fed quia non continet illa animalcula viventia, quæ in femine bono deteguntur microfcopiis, ille liquor feminalis, ad ovula fœminarum applicatus, ovulum imprægnare nequit. Non enim fufficit, ut ovum maturum fœmineum in utero irroretur liquore quodam ex viro proveniente, ut imprægnetur, fed requiritur femen maturum his viventibus animalculis præditum. Quia vero per intemperiem ita mutari poteft actio, quæ facit ovula in ovario, ut nullum inde perfectum & maturum ovulum prodeat, nulla videtur reftare ratio, cur non æque in viris per intemperiem prædominantem potuiffet produci liquor feminalis generationi ineptus. Imo verifimile videtur, hanc caufam frequentiffimam effe caufam fterilitatis in viris. Sed quoniam in fœminis hæ caufæ non folum inferunt fterilitatem ex imperfectis natis ovis, verum etiam fi uteri quoque corpus ea-

dem

eadem laborat, ratione incrementi fœtus, verisimile videtur hanc intemperiem frequentius in fœminis quam viris inducere sterilitatem. *Gorter.*

APHOR. 64.

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν. κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι. κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ ὑποχωρήσιες, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι, μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος· παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι.

Lac exhibere capite dolentibus, malum. Malum item & febricitantibus, & quibus præcordia sublata murmurant, & siticulosis. Malum quoque & quibus biliosæ sunt dejectiones, quique febribus acutis laborant, & quibus copiosa sanguinis dejectio facta est. At tabidis lac dare convenit, non valde admodum febricitantibus, & in febribus longis, & languidis, dum nullum ex supra commemoratis signis adsuerit; & præter rationem extenuatis.

Apud *Celsum l.* 3. *c.* 22. *p.* 170. aphorismus hicce ita legitur: *Lac, quod in capitis doloribus, & in acutis febribus, & per eas facta nimia*

 siti,

siti, ac, sive præcordia tument, sive biliosa urina est, sive sanguis fluxit, pro veneno est; in phthisi tamen, sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis, recte dari potest.

Lactis usus apud Antiquos frequentissimus fuit. Sæpe enim ad leviter purgandum: non raro ad abluendum, & attemperandum post purgationem, sæpissime ad humorum acrimoniam corrigendam: & denique ad crassefaciendum seu nutriendum lacte utebantur, & sicuti ad purgationem omnium tenuissimum eligebatur, quale est asininum, & in satis notabili quantitate exhiberi consuetum fuit; ita ad crassefaciendum, crassius præferebatur. His enim intentionibus potissimum lac ab Hippocrate usurpatum fuisse in illius doctrina colligere licet; idque ipsemet confirmavit *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 14. ubi hæc habet: *optimum est hoc, nam & purgatur, & nutritur, & fluxus obtunditur ab hujusmodi lacte* (nempe bubulo). Et quia illud copiosum dare aliquando opus erat, ne merum potatum læderet, (ut homini illi contigisse narratur, cujus historia *lib.* 4. *Epidem. n.* 23. registrata est) variis admixtis illud temperabant. Quod Hippocratem quoque fecisse legimus ubique, modo ut lactis facultates augerentur, modo, ut corrigerentur; namque sæpe mulsam, aliquando muriam addidit, ut absterforiam illius facultatem augeret; non semel vinum, ne ventriculum laxando læderet, aut humectando nimis intentæ exsiccationi non reluctaret; sæpissime aquam, ut febrienti convenire posset, & refrigerandi, vel humectandi virtus major esset. Utebantur autem & bubulo, & ovillo, & caprillo, pro rei exigentia. Hac tamen distinctione, ut, cum intentio erat pur-

purgandi, aut ſubluendi alvum, in maxima quantitate exhiberetur; nam aliquando ad congii menſuram dedit Hippocrates, in aliis vero caſibus raro duas cotylas exceſſit, ut in ventriculo detineri, & concoqui poſſet. Ac ad purgandum quidem, & ad ſubluendum, ſero lactis frequenter inprimis uti conſuevit Hippocrates; nunquam tamen illud in febre ardente uſurpavit, etiamſi omnibus intentionibus ſatisfacere poſſe videatur, quæ in hujus morbi curatione occurrunt, ita ut Galenus hoc lacti præferendum pro febris ardentis curatione exiſtimaverit. Sed ſciendum eſt, Hippocratem non conſueviſſe in febribus ardentibus medicamento purgante uti admodum frequenter. Nam cum purgatio non conveniat (ut ipſemet teſtatur *lib.* 3. *de morb. n.* 3.) quando jam febris ardentis ſigna in lingua apparent, quæ ſunt ejuſdem ſiccitas, & ariditas, ante harum apparitionem febris eſſentia nondum aperta eſt, & ſi tandem cognoſcitur, eo tempore ad eum fervorem non pervenit, ut pro purgatione ſerum, aut lac dari debeat in ea quantitate, quæ intentioni ſatisfaciat, cum ſatius ſit eo tempore medicamentum dare, quod humorem peccantem promtius purgare poſſit. Hac igitur ratione pro curatione ardentis febris, nec ſero, nec lacte quidem purgavit Hippocrates, niſi ubi ſuppoſuit ichores bilioſos in ventrem decumbentes peccare, uti in *lib. de vict. acut. n.* 34. ubi lac aſininum ſubducendi gratia probat; nam eo caſu nullum videtur excogitari poſſe remedium convenientius aſinino lacte, hoc enim purganti facultate humores dictos ad motum jam concitatos facillime educere poteſt, univerſumque corpus æſtuans re-

frigerare, & ſuccos omnes mitigare, & attemperare; & quoniam expedit poſt purgationem, alvum laxatam firmiorem permanere, lac præcoquendum jubet, quod in omnibus fluxionum generibus Hippocrati uſitatum fuit. Nec ex lacte læſionem ullam propter febrem timet, quia, cum ratione copiæ cito deſcendat, putredinem a febrili calore contrahere non poteſt, quæ ægrotanti noxam inferat. Quia igitur in hoc caſu humores ventrem obſident, & ad motum ſunt diſpoſiti, clyſtere ſubducere eos tentandum eſt prius, cui ſi non cedant, ad purgationem ex lacte confugiendum eſt. Lac autem potius, quam ſerum lactis præbet: 1°. quia ſerum fortaſſe haud ita bilioſos humores educit, quemadmodum pituitoſos, nam etiamſi ſero potiſſimum ad abluendum, & contemperandum utatur Hippocrates, in pituitoſis tamen morbis longe frequentius eo uſus eſt, quam in bilioſis, quamvis id novum quam plurimis futurum ſit; qui tamen ſi loca percurrant, in quibus de ſero lactis exhibendo fit mentio, id veriſſimum eſſe invenient. Imo idem Hippocrates *lib.* I. *de morb. mul. n.* 45. inter medicamenta pituitam ſubducentia ſerum lactis adnumeravit. 2°. Quia, cum ſerum admodum familiare ſit humori peccanti, quem ichorem bilioſum vocat Hippocrates, timet ne aſſumtum ſerum in eum convertatur; hac enim ratione ſuccorum cognationes conſiderandas eſſe admonet *lib. de Vet. Med. n.* 42. ut cavere poſſimus non ea tantum, quæ ex propria natura nobis ſunt incommoda, ſed etiam quæ talia ſunt ob cognationem, propter quam in cognatum ſuccum facile tranſmutantur. Ne igitur ſerum ob cognationem, quam habet cum humore pec-

cante,

cante, in eum forte transmutaretur, in ipsius morbi augmentum, & ægrotantis perniciem, sero dimisso lac ipse præbet. 3°. Fortè etiam serum non proponitur in hoc casu, quia supponitur esse tempus, in quo serum majorem habet acrimoniam, quam conveniat. Certum est enim, non in omni tempore serum dare antiquos consuevisse. Nam Hippocrates de eo exhibendo nunquam verba fecit, quin conditionem apposuerit, quæ peculiare aliquod, & idoneum tempus respiciat, *libro* enim 2. *de morb. n.* 13. de curatione ulcerum capitis tractans ait, *si vero tempus anni ferat, etiam serum postea bibat, sin minus, lac asininum.* Sed & *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 88. pariter, nec non *lib.* 2. *n.* 11. aliisque quamplurimis locis, eandem conditionem apposuit, etsi diversis vocibus, cum aliquando dicere solitus sit, *si adsit anni tempus*, aliquando *pro tempore*, & similibus, quæ idem important. Verum non Hippocrates modo in eo exhibendo certum anni tempus consideravit, sed etiam Medici Gnidii, quos de sero, & lacte pro tempore exhibendo scriptis tradidisse adnotavit Hippocrates in principio libri *de vict. acut.* Quamvis re vera nullibi ab Hippocrate definitum sit, quo tempore dari expediret, & quo ab eo abstinere, adeo cunctis id perspicuum erat, cavisse autem tempus æstivum ob assignatam rationem probabili conjectura ex Hippocrate elici potest. Nam de vere non potest dubitari, quin eo tempore conveniat, cum serum eo tempore sit optimum; unde curationem tabis dorsalis, quam sero, ac asinino lacte absolvit Hippocrates, in vere aggrediendam optabat *lib.* 2. *de morb. n.* 49. neque pariter de autumno, cum *lib.* 7. *Epidem.*

Epidem. n. 3. ſerum circa autumnale æquinoctium Erotolai filio datum memoretur: cur vero in hyeme dari non debeat, nulla ratio perſuadere poteſt, imo quia illud exhibere in morbis conſuevit Hippocrates, in quibus pituita prævalet, quæ in hieme viget plurimum, hoc tempus pro ſero exhibendo aptiſſimum erit, cum enim ejus uſus probatur in utero gerentibus, quæ ob pituitæ copiam periclitantur, *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 45. cui in morbo pituitoſo ab eo vocato *lib.* 2. *de morb. n.* 68. nec non in morbo craſſo, *lib. de intern. affect. n.* 51. aliisque morbis a pituita, qui hyeme potiſſimum vigent, ſi eo tempore ſuſpectum eſſet? Quare tempus æſtivum ſolum erit, in quo ſero non utebantur antiqui: unde non erit mirum, ſi pro dicta febre ardente curanda, quam æſtate fieri ait Hippocrates, ſerum non propoſuerit, ſed lac aſininum ejus ſuccedaneum, quippe quod omnia ſubterfugiat incommoda, quæ in ſero adnotavimus. Neque ſerum præſcribit Hippocrates *lib. de ſteril. n.* 22. febrienti & dolenti ex puerperio, ſed lac cum tertia mulſæ parte exhibet, ut eo mediante, & purgationis acrimonia ex corruptione contracta, quæ mulierem dolore vexet, attemperetur, & ſimul alvus adſtricta emolliatur. Eligit autem caprillum, quod in ſubſtantia mediocritatem inter tenuitatem, & craſſitudinem tenet. Nam aſininum, alioqui febrienti minus noxium, fortaſſe timuit, quippe quod alvum vehementius movere poſſet, quam in puerperis conveniat, qua ſuſpicione permotus illud decoquendum jubet, ita enim immodicæ evacuationis omnis ſuſpicio tollitur. Pinguedinem vero detrahit, tum quia hæc pariter ad alvi fluxum diſponere poſ-

ſet, tum maxime, ut febri minus officiat, cujus gratia illud frigidum actu præbet, & tertiam mulſæ partem ei admiſcet; quantitas vero, quam præſcribit duarum heminarum, animadvertenda eſt, quæ pro ducenda alvo minima eſt, cujus gratia ad ſemicongii menſuram illud exhibere conſuevit; maxima tamen propter mulſæ permixtionem, ſi nutritionis gratia exhibeatur, quo conſilio nunquam duas heminas in totum excedere conſuevit. Quare dicendum eſt, in præſenti caſu lac dari, nec nutritionis gratia ſimpliciter; nec ſola intentione purgandi: quod etiam ex eo confirmatur, quia, ſi pro nutritione tantum illud exhiberet, longiori tempore ejus uſum perſcripſiſſet, etſi in gratiam purgationis, unica vice contentus fuiſſet, nec ſubjunxiſſet, *ſi neque venter ſubeat*, ſed ut eodem tempore alvus mediocriter laxetur, humorumque acrimonia corrigatur. Neque vero purgationem aut ex lacte aſinino, aut ſero convenire docet Hippocrates *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 17. ubi de purgandis, quæ uteri patiuntur ſtrangulationem, tractat; quandocunque patientes natura ſunt lienoſæ, aut exſangues, aut doloribus, aut aurium tinnitibus vexantur; quo in loco & pluribus aliis lienoſas natura ab hujuſmodi purgatione rejicit, eas intelligens, quæ ab ineunte ætate lienis tumoribus ſunt ſubjectæ, ita ut facile iis lien intumeſcat magis. Hujus vero ea eſt ratio, quia, cum lac, & ſerum ad purgandum in magna copia aſſumi debeat, ab his lien naturali conſtitutione debilis exiſtens facile intumeſcit: quod tamen periculum non incurrunt illi, quibus lien alioqui robuſtus aliqua occaſione intumeſcit. Et ideo non ſunt reprehendendi Medici antiquiores, ſi

ali-

aliquando lienis tumores purgatione ex sero, & lacte curare tentarunt, ut videre est apud Hippocratem *lib. de intern. affect. n.* 28. & 29. & 56. ubi de lienosis tractatur. Exsanguibus vero, & pallidis alia ratione lactis, & seri purgationem prohibet, quia scilicet calor in his exiguus existens a copiosa potione obrueretur. Eundem seri, & lactis usum prohibet iis, quibus aures sonant, quia, cum hoc symptoma capitis repletionem ex imbecillitate arguat, infernum ventrem tanto humore perfundere, non est tutum: quando caput inde nimis repleri posset. Quando vero in aphorismo præsenti ait Hippocrates, *lac dare caput dolentibus, malum*, &c. de eo non intelligit, quod purgationis gratia in notabili quantitate exhibetur; id namque proprie loquendo non est *lac dare*, sed potius *lacte purgare*, & hic dicendi modus Hippocrati usitatus fuit, ut in ejus doctrina manifeste apparet. Nec lac hoc modo exhibitum ea incommoda adfert, quæ lacti alio modo exhibito imputantur, & ratio est, quia non diu moratur in ventriculo, ut in caput vapores dimittere, & flatus inducere valeat, & quia copiosum assumitur, corruptionis periculo non subjicitur (ab his enim lactis noxæ pendent). Hocque fuisse Hippocratis consilium, ex ipsiusmet doctrina demonstrari potest, quando lacte asinino, aut caprillo diluto ad purgandum utitur in omnibus casibus, in quibus a præsenti aphorismo prohibetur; eo enim in capitis ulceribus utitur *lib. 2. de morb. n.* 13. & in comitialibus *lib. de vict. acut. n.* 38 nec non in comitialibus eodem in loco, in quibus cum caput afficiatur, inconveniens esset, quatenus lac dare caput dolentibus, prohibetur. Præterea in febribus lacte

lacte asinino purgationem instituit sæpissime. Nam & in quotidiana ex bile, & in febre interficiente appellata *lib. 2. de morb. n.* 36. & 65. eo utitur, & in febre ardente *lib. de vict. acut. n.* 34. lacte asinino purgandum esse corpus jubet. Taceo alios morbos, quæ febrem acutam conjunctam habent, in quibus eodem lacte purgari jubet, v. g. in erysipelate *lib. 2. de morbis n.* 53. & alia quam plurima, quæ singula referre nimis tædiosum esset. Quare & in secundum casum peccasset, qua *lac dare febrientibus* prohibet. Similiter contra tertium errasset, quod malum esse *lac dare* inquit *iis, quibus elevata murmurant hypochondria*, quando & in hepaticis, & lienosis etiam ad hydropem tendentibus, asininum lac ad purgandum præbet, *lib. de intern. affect. n.* 26 & 28. Ulterius lac improbat iis, *quibus larga sanguinis evacuatio facta est*, & tamen *lib. de vict. acut. n.* 66. lacte asinino eos purgandos esse jubet, quibus sanguinis copia effluxit. Cum igitur lacte purgationis gratia utatur Hippocrates in omnibus casibus, in quibus per præsentem aphorismum damnatur, asserendum est, *lac dare*, non significare purgatorium, sed quod refectionis, aut alterationis gratia exhibetur: quod ex eo confirmatur, quia referens casus, in quibus utiliter exhibetur, eos tantum meminit, qui refectione egent, tabidos inquam, a febribus longis vexatos, & præter rationem extenuatos; quos lacte purgare nullo modo licet, aut saltem raro. Vid. *Martian. p.* 463. 338. 383. 298. 287.

Lustrandi sunt singuli memorati in aphorismo casus.

Lac exhibere capite dolentibus, malum. Cephalalgia intelligenda venit præsertim a repletione, seu sanguinea; in qua lac nocet, quia virtute

nutritiva sanguinis quantitatem auget. Tum vero infestum etiam est lac capite dolentibus ex vitio ventriculi, dum cruditates acres, acidæ, biliosæ, in ventriculo latitantes irritant fibrillas nervosas, quæ per consensum afficiunt meninges cerebri. Quia itaque lac ingestum ab hærentibus in ventriculo inficitur, ut acescat, vel rancescat biliosumve evadat; patet, quod, acrimonia aucta, causa mali incrementum sumat. Augetur etiam a lactis usu cephalalgia Venerea, quia Venereum miasma corrumpit ingestum lac, unde, increscente acrimonia, augetur causa cephalalgiæ. In quacunque alia denique cephalalgia, a laudabilis sanguinis atque lymphæ defectu, v. g. ex vigiliis nimiis, morbis diuturnis, laboribus gravioribus & hæmorrhagiis copiosioribus originem ducente, lac nocet, tum quia sufficientes desunt vires ad subigendum tempestive lac, (quare hærens in primis viis corruptionem subit) tum quia sæpe peccans acrimonia in humoribus lac inficit suo vitio, unde ab irritatis nervis malum. Quid? quod ab lacte acido, corrupto, corrosivo reddito, oriantur ex affectis nervis convulsiones epilepticæ, exemplo suo confirmant infantes *Nonnulli ab ulceratis uteris, capite dolentibus lac propinant, quod capitis dolore vexentur, quidam vero aquam quod animo linquantur. Ego contra, si capite doleant, & mentis læsio adsit, convenire aquam existimo; cum vero morsus & acrimonia insit, his lac bene facit. Hippocr. lib.* I. *de morb. mul. n.* 88.

Malum febricitantibus lac: quatenus febres fovet; augendo quantitatem humorum, visciditatem, acrimoniam. Nutrit enim lac abundanter; obstructionibus favet per substantiam caseosam; & rancescit in calore febrili, intuitu nempe partium suarum cremoracearum, pinguium. *Hypo-*

Hypochondriacis, seu præcordia elevata & murmurantia habentibus non convenit lac. Hippocrates hic duo symptomata simul copulavit, ut indicaret lac dari posse etiam illis, quibus suspensa (elevata) tantummodo sunt hyponchondria, & quibus murmurant solum. Nam si a bile intumescat hepar, lac convenit, unde ipsemet Hippocrates *lib. de intern. affect. n.* 31. in hepatite secunda, a bile in hepar confluente, a qua durum, & dolorosum fit, non lac asininum modo, aut caprillum ad purgandum præbet, sed etiam bubulum ad bilem attemperandam per plures continuos dies exhibet. Similiter murmurante absque tumore ventre, lac non prohibetur, quia, si a bilioso succo per ventrem discurrente murmur fiat, lac datum utile esse potest, uti videre est in *lib. de vict. acut. n.* 63. Quare lac dari vetat Hippocrates, quando elata hypochondria simul murmurant. Hæc enim a flatuum copia generationem in hypochondriis habentium dependent, cui affectioni lac noxium est, non solum, quia flatuosum est, sed etiam quia, cum taliter affecti acidæ corruptioni subjiciantur, lac in ventriculo ob analogiam facillime iis acescit. *Martian. p.* 464. Si enim hypochondria flatibus infestata & elata fuerint ab acido viscoso, crasso & crudo, obstruente, spasmodico & flatulento, lac ingestum vel coagulationem subeundo, vel corruptionem, obstructionibus & flatuum generationi copiosiori pabulum subministrat. Si ventriculus debilis est, inque eo largus acidi proventus gignitur, lac miras turbas, anxietates, flatulentias, borborygmos, tormina, excitat. quare infensus est ejus usus hypochondriacis. *Hoffm. Rem. benign.* §. 10. Apollonius, cui elata erant

viſcera, & qui flatibus abundabat, cum lacte uſus eſſet copioſo, crudo, caprillo & ovillo, vitioſaque victus ratione, inſignes omnium offenſiones factæ ſunt. Nam & febres exaſperatæ ſunt, neque memorabile aliquid ex ingeſtis alvus reddidit, &c. vid. *Hippocr. lib.* 3. *Epidem. ægr.* 13. Alius quidam a flatibus diſtentus, laterum inanitatem cum quodam dolore in tumorem ſublatam habuit, & per excretionem materiæ puri ſimilis ſanatus eſt. Excretionis autem cauſa fuit error inſignis, potus nempe multi lactis meracioris, quod in ventriculo corruptum vomitum excitavit. Adnotavit autem Hippocrates conditionem, quod meracius fuit, quia, ſi alicui liquori admixtum bibiſſet, citius a ventre deſcendiſſet, nec in eo corrutum eſſet. Eodem tempore febris ſupervenit, cujus cauſa Medicus adhibitus fuit, qui curationem ex arte inſtituit. Nam ratione doloris calefactoria adhibenda juſſit, quod per vocem ἀπτῶντι ſignificavit, & ad vomitum compeſcendum, acrimoniamque corrupti lactis, pulticulam ex farina craſſiori in cibis dedit, & ita ventriculus ſubſtitit, ſublato vomitu, egeſſitque alvus quid puri ſimile, quod nihil aliud fuiſſe videtur, quam reliquiæ lactis corrupti: quod a ventriculo deſcenderat, & in inteſtinis corruptionem, & acrimoniam majorem contrahens febrem accendere & in tranſitu ſedem inflammare potuit; ex ciborum enim corruptione in ventriculo febris ſupervenire non admodum ſolet. Hujus igitur materiæ excretione facta, & flatus diſſipati ſunt, iliique affectio ſedata eſt. Vid. *Hippocr. l.* 4. *Epidem. n.* 23. *Martian. p.* 329.

Malum lac ſiticuloſis, & quibus bilioſæ dejectiones:

nes: quia ſitis a ſiccitate, quæ a viſcido prædominante, ſeu humoris diluentis ſeu lymphæ defectu, vel ab humorum acrimonia; in utroque autem caſu lac materiam præbet augmento mali, dum viſcidum auget per caſeoſam ſubſtantiam, & acrimoniam ſuſcipit ab admixtis humoribus acidis, ſive bilioſis alcaleſcentibus.

Ubi copioſa ſanguinis evacuatio facta eſt, nocet lac ingeſtum: quoniam poſt nimiam ſanguinis jacturam, viſceribus laxis, debilitatis, vires corpori non ſunt ſufficientes coquendis aſſumtis; unde lac ingeſtum corrumpitur.

Conducit lac tabeſcentibus, non magna febre detentis &c. Notandum tamen eſt, quod ſi juxta propoſitos ab Hippocrate canones, lac ægrotantibus exhibere velimus, nullus fere locus erit illud exhibendi; nam nullum fere tabidum lacte egentem inveniemus, qui vel capite non doleat, vel hypochondria non habeat ſuspenſa & obmurmurantia, vel ſitim non patiatur, vel bilioſis quandoque non exerceatur dejectionibus, vel denique cui non nunquam ſanguinis fluxus non acciderit. Quapropter niſi omnia ſimul hæc contra-indicantia vim faciant, aliquid pro tabidis ſublevandis eſt audendum, adeoque lac propinandum, etiamſi unum vel alterum ex recenſitis ab Hippocrate ſignis obſiſtat. Etenim nullum pro tabidis nutriendis præſtantius habemus præſidium, quam lac, primum, & primis corporis noſtri ſtaminibus maxime analogum, nutrimentum, exhibere. *Cyrilli* in *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 597. Equidem ſi tabes (μαρασμὸς) revera humiditatis, quæ in ſolidis partibus ſubſiſtit, abſolutus exiſtit interitus, nullam medicinam recipit. Propter hoc igitur nonnulli Medicorum merito decepti in

difcernendo, putarunt, fe verum marafmum curaffe. Etenim fieri poteft, ut tenuitas carnium, maciefque, & veluti colliquatio earum refarciatur: primariam vero humiditatem, & quæ folida ipfa nutrire poteft, prorfus abfumtam perditamque non licet reftituere. Sic enim fenium quoque fanari nequit, ut quod naturalis fit tabes. Quemadmodum igitur fenium nulla medicina tolli poteft, fic neque ea quæ revera tabes. Attamen propter humanum benignumque artis auxilium, contendere cum morbis oportet, & non ceu deploratos omnino relinquere. Interdum enim, ubi quis naturam dextram nactus fuerit, & tabes incipiat, nondumque folidas partes torruerit, fperatum fucceffum confequi poterit. *Alex. Trall. l.* 12. *c.* 5. *p.* 729. Lac igitur omnibus hecticis, præfertim in marafmum definentibus, fi quid aliud, idoneum eft. Quapropter etiam iis valde conveniens eft, qui vires habent imbecilles, neque alimentum poffunt attrahere: & hoc folum in corpus diftribui, trahique non parum accommodate poteft. Itaque lac muliebre primum locum obtinet, fecundum vero afininum. Verum quoniam ægre nonnulli hoc affumunt, caprillum ipfis dandum eft, quod medium fere exiftit, & magis poteft nutrire. Conftat autem, etiam curam animalis habendam effe, ut nutriatur domi hordeo, myrti, lentifci, & quercus foliis. ita enim lac non amplius corrumpitur. Nam hujus folicitudo habenda eft, ut ne hecticorum alvus fubducatur, præcipue eorum qui ex frequenti fyncope, & diuturna vacuatione alvi in marafmodem febrim inciderunt. Quam ob rem quibus venter imbecillis eft, & facile fubducitur, in his etiam

lac

lac bis coquere, vel etiam fluviales lapillos in id conjicere oportet. Redduntur autem igne candentes, ut ferofum a lacte per ipfos diffolvatur. At qui lac folum nolint affumere, aut cum ptifana, aut alica, aut chytro ipfum decoctum exhibeto: ad hæc cum itrio, hoc eft libo fuminali, & fimilagine pari modo bis coctum offerto: præterea magis adhuc illis lac exhiberi debet, quibus etiam venter copiofiora & biliofiora dejicere videtur. Procedente autem tempore, ubi febres mitigatæ fuerint, & vires aliquo modo inftauratæ, molliffimum & recentem cafeum ex eo coagulatum dare ipfis non alienum eft. Quatenus enim vires augeri cernimus, eatenus nos quoque cibis adjiciemus. *Ibid. c.* 4. *p.* 725. Sanguinem ex pulmone rejicientes omnes lacte utantur, mollique & recenti cafeo, præfertim caprillo, aut bubulo. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quidpiam adeo accommodum ipfis eft, aut utile, atque lac. Et qui per initia folo ipfo conftanter longiori tempore ufi funt, omnes in totum confanuerunt. Novi autem quendam, qui cum toto anno ipfum & bibiffet, & comediffet, interim cum frumentaceo aliquo, aut fimilagine, aut libo fuminali, aut alica, aut lente, aut panico incoquens: cumque ita agendo a vino abftinuiffet, liberatus fuerit, & puris fputo, & ne poftea in phthifin inciderit. *Ibid. l.* 7. *c.* 1. *p.* 304. Quod fi poft fanguinis rejectionem puris fputum prodeat, & diuturnior affectus fuerit, & corpus totum alimentum non fentiens, contabefcere manifefto inceperit, neque thorax multum puris contineat, etiam folum ipfis lac dari debet, fi non vehementer febricitent: fi enim multo infeftante

calore exhibeatur, non item nutrire, aut humectare poterit. Nam ab eo quod contra naturam eſt, vincitur, & in alienam, corruptricemque qualitatem mutatur. Ubi calor febrilis moderatior evaſerit, lac ipſis exhiberi debet. Sin id quod rejicitur, expurgatione adhuc indigere tibi videatur, & non modo ſordidum, ſed & fœdi odoris exiſtat, aſininum omnibus aliis antecellit: quippe etiam eo quod probe purgat, omnia vincit. Item equinum ipſis propinandum eſt, quod aſinino ad omnia ſit perſimile. Quare etiam ægre ſpirantes eo adjutos ſubinde conſpexi, cum opportune eſſet datum. Omnia enim, quæ pulmonum cavernis infixa ſunt, rejectioni reddit morigera. Adjectum autem eſt opportune, ut cum hos febris non infeſtat, neque acceſſionis tempore exhibeatur. Quod ſi ægri horum animantium lac nolint aſſumere, dabitur ipſis ſecundo loco bubulum, aut caprillum. Etſi enim lac horum non adeo purgantem vim obtineat, tamen nutriendo amplius quiddam aliis præſtare poteſt. Porro ne lactis potio ægri ventriculum corrumpat, ſatius eſt ipſum ſupra carbones incoquere. Sic enim decoctio bonam ſeroſi partem auferet, ut etiam ipſum ad ventrem retinendum magis quam alia efficax evadat. Sin autem calculos fluviales candentes, excuſſoſque ut pulverem non contineant, injicias, aut ferramenta eodem modo ignita, commodius adhuc, & utile efficies. Cæterum variis modis lac ipſum comedant, interim cum ſimilagine, alias cum libo ſuminali, aut oryza, aut alica cum ovorum luteis. Sic enim appetitus quoque conſervabitur, & uſus lactis, qui omnia poteſt, faſtidioſus non erit. Etenim ulcus purgare,

gare, carne obducere, & totum corpus plus quam universa, nutrire poterit. *l. c. cap.* 2. *p.* 309. Tabis lac medela est & nutricatio, & ventris calefactio, & vesicæ lenitio. *Aret. Curat. acut. l.* 1. *c.* 3. Propinandum vero est lac maxime mulieris, quæ proxime peperit puerumque nutrit. Si lactis humani copia non datur, asinæ quæ non pridem peperit, lac accipito: tenue est enim ac fluxile hujusmodi lac. *ibid. l.* 2. *c.* 3. Lac vero assumtu suave, potu facillimum, nutritu solidum, & qualibet esca a pueritia familiarius est: præterea visui colore delectabile, medicamen arteriam non asperans, guttur lævigans, ad ejiciendam pituitam facilem spiritum reddens, inferiorem exitum lubricum efficiens, ulceribus dulce subsidium, & quolibet alio benignius. Si quis multum lactis potat, nullo alio eget alimento. *Idem Curat. diut. l.* 1. *c.* 8. Cum nihil aliud comedendum, vel bibendum, nisi solum lac, ægrotantibus conceditur, *Diæta Lactea* dicitur. Ut autem quod expertus sum dicam: Infantes, vel in prima pueritia constituti, etsi jam a lacte depulsi fuerint, & cibis solidioribus assuescere cœperint, si in tabem incidant, omni denegato cibo commode possunt nutricis iterum mammas exsugere, & Lacteam Diætam cum nutritionis commodo ferre; at qui jam adoleverunt ægre possunt, omni proscripto cibo & potu, solo lacte exsucto nutriri: nec unicum vidi ad secundam diem Diæta Lactea absque summo languore utentem. *Cyrilli* ubi supra. Quod ergo attinet Diætam lacteam pro nutriendis phthisicis & tabidis, certe legitimus lactis & quorumlibet lacticiniorum usus in omni casu multum valet, inprimis quando malum dependet ab acrimonia sanguinis & lymphæ salsa muriatica, quippe ad

quam lactis usus nobilissimus est, ubi cætera rite præmissa fuerint, & dyscrasiæ contentorum maximam partem correctæ: e contra parum proderit quoties atrophia est a colluvie aut corruptela cujusdam visceris, aut quando est a vitio stomachi, nisi hæc impedimenta prius removeantur, & ventriculi digestio plus minus restituatur; alias enim vix fieri potest, quin lac etiam corrumpatur in ventriculo. In atrophia ergo ista inprimis lac convenit, quæ est a nimia acrimonia humorum, conjuncta cum eorum caliditate vel quasi acredine massæ sanguineæ, ubi opus est, ut humectetur & temperetur. Sub ejus usu semper aliquid sacchari, vel conservæ rosarum addatur, ne tam facile coagulari possit. Porro in graviori malo, qui lacte utuntur, debent ter in die istud sumere, mane scilicet, a meridie, & vesperi, & vix alium cibum gustare, nisi passulas, aut cibum facile digestibilem: idque per aliquot septimanas, donec denuo corpus iterum proficiat: & sumto lacte, moderato exercitio corpus successive movendum est, ut facilius idem distribuatur; non enim longa in stomacho indiget digestione. In ista etiam tabe, quæ ex ulceratione pulmonali oritur, lac itidem præprimis confert; nam abstergit parte serosa, nutrit corpus, & temperat parte butyrosa. Convenit præ cæteris lac muliebre; idque, si fieri potest, ex mammis nutricis sanæ ab ægro exsuctum, ne ab aëris attactu alterari possit. Post lac muliebre est bubulum & caprillum, in specie in atrophia scorbutica, præsertim si capra prius appropriatis vegetabilibus, vulnerariis inprimis & antiscorbuticis, nutrita fuerit: item lac equinum cum pauco saccharo.

Sane

Sane in scorbutica phthisi optima sunt lacticinia, quibus instillari possunt spiritus cochleariæ, aut salis ammoniaci, aliave similia. Veteribus in usu fuit lac asininum, optime ulcus detergens, quia serosum. *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 686. In omni hectica haud postrema eo tendit indicatio, ut roscidum illud humidum, quod calor continuus non modo ex sanguine, sed etiam ex tubulis solidis, & una cum hoc ipsam tandem carnem atque pinguedinem absumit, resarciatur. Huic scopo quam maxime satisfaciunt alimenta medicinali simul virtute instructa, inter quæ palmam fert lac ipsum. Optimum humanum, quod promtius consumtum restituit humidum & calorem, idque ex mammillis suctum, ne ab aëre vitietur. Asininum minus quidem nutrit, sed magis refrigerat, calorem temperat, abstergit & aperit. Efficatius nutrit caprillum & vaccinum, sed gravius est, multumque caseosæ substantiæ habet, ideoque, ne ventriculum male afficiat, corrigendum. Mihi præ reliquis placuit Hippocratis lacte utendi methodus, quam *de intern. affect. n.* 11. sic tradidit: *Dandum est & lac asininum coctum ad subpurgationem, aut bubulum, aut caprinum. Bibat etiam crudum lac bubulum, tertia aquæ mulsæ parte admixta, per dies quadraginta quinque, admixto etiam origano.* Recte enim gravis hic auctor passim ad lenem purgationem commendat lac asininum coctum, quia sal ipsi inest dulce instar sacchari, abstergens leniter & laxans, quod, coctione difflato humido, concentratur magis. Origanum autem adjicere præcepit procul dubio ad roborandum stomachum & genus nervosum debilitatum. Ego, si lac asininum haberi nequit, ita lactis curam

adornare soleo, ut præcipiam primum, per duos, vel tres dies mane potare lac, e vaccis herbis recentibus & appropriatis pastis mulctum, ad libram unam, in qua uncia mannæ, aut sacchari rosati, vel conservæ rosarum dissoluta. Dein mensuram solius lactis quotidie bibere præcipio, addendo sacchari unciam dimidiam & nitri drachmam dimidiam. Pro circumstantiarum ratione, præsertim ubi suspicio labis in mesenterio, aut exulcerationis in viscere interno, lacti confundo ad dimidias, vel tertias, aquam, aut puram fontanam, aut longe melius Selteranam mineralem. Hac vero deficiente, aquam communem infundere suadeo cum veronica, soncho, pulmonaria, hepatica, musco pulmonario, tussilagine, hedera terrestri, scolopendrio, capillis Veneris, floribus hyperici & rosarum, & infusum hoc cum tantundem lactis, vel caprilli, vel bubuli calide bibere, adjecto saccharo, & pro meliori abstersione, aliquot guttis olei tartari per deliquium. Cura hæc minimum per sex hebdomades continuanda, ac interea vitanda omnia quæ stomachum gravant, debilitant & lac coagulant. Vinum quoque ex toto circumcidendum, & non aliud, ad stomachum fovendum, concedendum, quam parcum Hungaricum, aut mulsum ex melle Borussico confectum. Ante quam tamen cura lactis instituatur, videndum est, an ventriculus illud ferre possit. Sunt enim nonnulli, qui lac natura penitus aversantur. Notavi etiam, quod, qui diætæ vinosæ dediti cerevisiam largius potant, lac commode ferre nequeant. Tutissimum autem lac asininum, sero plus redundans, minusque caseosæ substantiæ habens. Quodsi tamen asinini lactis copia non est, substitui potest

test ferum lactis dulce. Sunt etiam qui lactis ferum in B. M. destillant & prolectam destillatione aquam mirifice dilaudant, tam potam, quam loco vehiculi assumendorum medicamentorum. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 571. Novi, solo lacte caprillo cum floribus papaveris rhœados cocto, admixta dimidia aquæ parte & adjecta portione mellis, quotidie largius assumto, immodicam etiam ex pulmonibus sanguinis profusionem optime conquievisse primum, ac postea usurpatis simul inter cibos confectis ex amylo, ex toto fuisse sanatam. Id tamen de usu lacticiniorum omnium tenendum: ut non modo ventriculi, an ea ferre possit, habeatur ratio, sed & ne simul & semel, sed parcis & repetitis vicibus, ingerantur. *Ibid. P.* 2. *p.* 44.

Serum coctum & lac asininum fere inter purgantia medicamenta numerarunt Antiqui; nostrique homines eundem effectum ex lacte asinino ad infinitum damnum phthisicorum, & a plurimis morbis convalescentium etiam inviti quotidie in hac urbe (*Londini*) experiuntur. *Lister Exerc. med. p.* 117. Asininum lac apud nos (in Anglia) maxime eligitur. Sed ubi illud non in promptu est, serum lactis vaccini, vel etiam caprini, præsertim si herbis suave olentibus pastæ fuerint capræ, in ejus locum commode substitui potest; ipsum vero lac vaccinum, quantumvis decocto hordei, ut moris est, diluatur, sæpissime non convenit. Neque alienum erit, serum illud infusis herbis quibusdam, quæ stomacho gratæ sint, & flatus discutiant, morbo accommodatius parare. At infeliciter interdum evenit, ut, cum lactis usum maxime desiderat corpus, tanta sit intestinorum lævitas, ut illud ferre non possint. Cum in

in tali igitur loco res fit, illud hoc modo componendum eft: flores rofarum rubrarum ficcatarum, balauftia, cortex malorum granatorum, cinnamomum, fingulorum drachma una, coquuntur in lactis vaccini libra una. Cum ebullire incipit, frigida aqua affunditur parva portione, ut reftinguatur & fubfidat; finitur iterum ebullire, & eodem modo reftinguitur; idque toties faciendum eft, donec libra una abfumpta, lactis fimul & aquæ quod reftat, libræ unius menfuram adæquet. Tum colandus eft liquor, quem totum, commifto faccharo, partitis, uti commodum erit, hauftibus, ægrotus ebibet quotidie. Hac via nutritur fimul corpus, & venter comprimitur; nec quicquam obftat aliorum ciborum, vel medicamentorum, ufui hujufmodi diæta. *Mead. Monit. p.* 48. Qui apud Anglos primum mos invaluit, lac cum Caffe conjungere, fimulque potare, jam in Italiam transductus eft, ut in quotidianas & populariter confuetas hæc potatio tranfierit. Re vera decoctum Caffe, lactis promptiori in ventriculo digeftioni non parum favet. Solemus & tofti panis buccellam, vel menthæ folia viridia lacti præmittere, aut fi mavis juxta Cl. Baconis a Verulamio methodum, illud per facculum pulvere menthæ & rofarum rubrarum refertum trajicere, deinde calidum propinare. Illud tamen omnino verum in praxi deprehendimus, tunc lac egregie in ventriculo confici adeoque exacte nutritionis negotium procurare, cum repurgatis quoad fieri poteft primis alimentorum officinis, ea adhibeatur induftria, ut lac in vacuum omnino ventriculum admittatur, nec nifi in vacuum jam a lacte ventriculum cibus quicunque ingeratur: eo nempe fine ut nul-

nullam in ventriculo admixtionem lac patiatur, adeoque nullum noxium saporem adipiscens, in sanum dulcemque chylum mutari queat. *Cyrilli* apud *Ettm. Oper. T. 2. p.* 597.

In febribus longis & languidis, nullo ex dictis signis seu circumstantis *præsente*, quæ prohibent lactis usum, dari potest lac, non quodcunque, sed dilutum, seu serum ejus, quo infarctus viscerum tollantur virtute diluente & abstergente. Indigitantur febres, quæ hodie lentæ & hecticæ dicuntur, h. e. quæ diuturnæ sunt & continuo, licet leniori ac remittente, æstu præternaturali, succos corporis consumendo, tabem inferunt viresque debilitant. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 553.

Uti vero in ulceribus & infarctibus pulmonum, lactis serum, seu lac asininum, egregie se gerere observatum est: ita etiam in aliis internarum partium apostematibus & ulcerationibus, exhiberi bona cum spe potest, maxime si remixtum fuerit cum melle aut sapone Veneto. Hippocrates fœminæ ex partu sanguinem vomitione rejicienti ob læsum hepar, lac asininum bibendum præcipit ad dies quinque, deinde vero lac bubulum ad dies quadraginta propinat, sub vesperam autem exhibet sesamum tritum. vid. *lib. de nat. mul. n.* 46. & *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 113. In curatione ulcerum jecoris dandum est asininum lac bilem non generans, bene nutriens, in caseum non spissescens, quæ lactis virtus est. Si vero per intestina pus educere velis, tibi lac eductorium esto, præcipue quidem asinæ: si id non adsit, capræ aut ovis. *Aret. Curat. diut. l.* 1. *c.* 13. In consummatis autem hecticis & phthisicis, inprimis si colliquativæ jam accesserint diarrhœæ, disso-

diſſolutionem univerſæ humorum maſſæ indicantes, ab omni prorſus lacte abſtinendum eſt.

Tandem *præter rationem extenuatis* lac convenire Hippocrates monet, quatenus defectum materiæ nutrientis reſtituimus uſu lactis: videmus enim γαλακτοφάγους communiter & robuſtiores & carnoſiores ac pinguiores aliis deprehendi. Vid. *A. E. Büchneri Diſſertatio de noxio & ſalutari uſu lactis juxta Hippocratis aph.* 64. *ſect.* 5. *Erford.* 1739. 4°.

Ad ſummam ſupponit aphoriſmus phthiſicos febricitare nonniſi febre hectica; ergo per febres longas, febres quædam putridæ intelliguntur, ſed cum nec in omnibus febribus putridis tuto lac conveniat, duæ adduntur conditiones requiſitæ: 1. ut cum ejuſmodi putridis non jungatur capitis dolor, neque iliorum murmuratio, neque ſitis &c. 2. ut febribus ſimilibus laborantes, toti quaſi conſumti conſpiciantur. Atqui in tali ſtatu fuit vir ſexagenarius, cum ultra annum febre quartana intermittente ſimplici preſſus eſſet, cui omni die, qua a febrili paroxyſmo immunis erat, lac caprinum exhibitum fuit, unde, ubi per aliquot tempus continuaſſet, notabiliter incraſſari, refici & viribus reſtitui cœpit, redeunte appetitu, & paulo poſt medicamentis antifebrilibus ſumtis febris deſiit. Vid. *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 1. *o.* 22.

Lac alimentorum eſſe optimum & naturæ amiciſſimum, vel ex eo colligi poterit, quod chylus, qui proxima materia ſanguinis eſt, lac ſit, & lacte omnis generis animantia juniora, etiam ipſi infantes, quam optime nutriantur & membra teneriora non modo inde nutrimentum, ſed & primum robur accipiant. Solo quoque lactis uſu corpora firma ac robuſta red-

di

di & conſervari poſſe, nonnulli Helvetiæ populi ſuo exemplo nos docent, qui ſolo lacte veſcuntur. At vero cum non omnium corporum ſive naturarum eadem ſit ratio, neque ventriculus apud omnes eodem modo conſtitutus, lac vero facile in coagulum caſeoſum abire queat: hinc non omnibus etiam æque utile eſt. Sicuti vero lac iis, qui nimis fluidos & ſalſos habent humores, macilenti ſunt, & vaſa aperta habent, motu gaudent & febre carent, amiciſſimum eſt: ita omnibus repletis, pituitoſis, viſcerum obſtructioni obnoxiis, & qui ventriculi ſunt imbecillioris & copioſum acidum in eo fovent, inimiciſſimum eſt. Et quoniam ex ventriculi vitio, ejuſque ab acidis & corruptis humoribus infarctu, facile caput dolet, hinc rectiſſime Hippocrates, *Lac dare capite dolentibus*, &c. Quare *Aëtius l. 2. c.* 90. præclare monet, quod ii, qui lacte uti velint, latas debeant habere ac amplas venas & apertos viſcerum meatus. Nocet vero lactis uſus maxime iis, qui calculo tam renum, quam veſicæ laborant, quia caſeoſa, quam lac continet, materia ad calculi concretionem non parum contribuere videtur. *Fr. Hoffmanni Diſſ. de diætæ vitio multorum morborum cauſa. Hal.* 1715. 4°. §. 32.

Ex huc uſque propoſitis explicari quoque poſſe putem, quæ ſcribit Plinius *l.* 28. *c.* 9: Lactis uſus contrarius capitis doloribus, hepaticis, nervorum vitiis, febres habentibus, vertigini (præterquam purgationis gratia), gravedini, tuſſientibus, lippis.

APHOR.

APHOR. 65.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, ȣ μάλα σπῶνται, ȣδὲ μαίνονται. τȣτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν, σπασμοὶ, τέτανοι· τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν, μανίαι, ἢ ὀδύναι πλευρȣ̃ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη, ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus in ulceribus tumores conſpiciuntur, ii fere neque convelluntur, neque in furorem aguntur. At iis derepente evaneſcentibus, quibus quidem id a tergo incidit, convulſiones, & nervorum diſtentiones fiunt: quibus vero ab anterioribus, furores, aut lateris dolores acuti, aut puris collectio, aut inteſtinorum difficultas, ſi rubri tumores fuerint.

Legitur hic aphoriſmus in *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 3. *n.* 129 *ſq.* his verbis: *Tumores in ulceribus a convulſione & inſania vindicant. Qui ſi derepente diſparent, his quidem quibus a tergo fuerant, convulſionem cum dolore: illis vero quibus a fronte, inſaniam aut acutos laterum dolores, aut ſanguineam inteſtinorum difficultatem convehunt.* Celſus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 62. ita habet: *Si tumores ſuper ulcera ſubito eſſe deſierunt, idque a tergo incidit, vel diſtentio nervorum, vel rigor timeri poteſt: at, ſi a priore parte*

parte id evenit, vel lateris acutus dolor, vel insania expectanda est. Interdum etiam hujusmodi casum, quæ tutissima inter hæc est, profusio alvi sequitur.

Omne ulcus tumorem adjunctum habet, quia divisa vascula, dum se retrahunt vi elateris naturaliter fibris insiti, humores continent, qui per illa integra & continua libere fluebant, jam vero hærent & stasin faciunt, unde attollitur in tumorem pars ulcerata tam diu donec perrumpentes humores, qui stagnabant, puri materiam præbent. Si jam tumores vasculorum repente evanescunt absque eo, quod suppuratio eveniat, significatur humores aliorsum translatos, qui excitatis spasmodicis motibus aliorum, originem præbent enarratis malis. Hujus observationis insignem fidem faciunt aliæ historiæ, quæ scabie & pustulis in cute subortis melancholiam decrevisse memorant. Ita puellam maniacam per ulcera in crure orta curatam refert Forestus, sicut e contrario ab occluso ulcere melancholiam cœpisse auctor est Amatus. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 205.

Si morbi materia ex uno loco ad alterum feratur, quando vocatur *metastasis*, talis translatio bona esse potest, & mala. Nam ut bona sit, omnis materia est transferenda ex parte magis principe ad minus principem, ex loco ubi exonerari non potuit ad aliquod emunctorium conveniens: ita enim æger liberari potest ab omni materia morbi. Si vero imperfecta sit translatio, vel ad partem, ubi eadem materia majus periculum inferre potest, augebitur morbus. Ambitus ulceris vel ora ejus vel tument, vel non elevantur, prout fluens humor morbosus in istis colligitur, vel non. Si multa sunt ulcera dispersa per cutim, ut hic

habetur in plurali, non possumus accusare vitium locale, sed humorem morbosum per totum corpus dispersum, uti in variolis. In tali nunc statu morboso observavit auctor ægros non valde convelli, aut insanire, id est, rarum est, si ora ulcerum turgeant, quod tunc ægri corripiantur convulsione vel insania. hoc etiam observamus in variolis; quoniam morbi materia per corpus dispersa tunc colligitur ad ulcera, propterea non fertur ad encephalon, ut irritando nervos inferret convulsionem vel insaniam. Si vero illa intumescentia evanescat, facile fieri potest, ut ad encephalon delata materia morbosa istos morbos inferat. Non tamen illa intumescentia tam certum est signum, ut nunquam inde fieri possit convulsio aut insania; nam observavi in ulceribus cum læso nervo vel tendine intumescentiam magnam præsagiisse convulsionem vel insaniam. Hujus discriminis ratio est, quoniam alia pars in consensum potest trahi, & per metastasin recipere morbi materiem. Quod si vero ex intumescentia læsi nervi vel tendinis generetur convulsio aut insania, hi morbi non superveniunt ex metastasi, sed ex consensu, qui non admodum frequens est in ulceribus cutis. Disparentia tumorum in ulceribus (materia nempe per apertum ulcus nondum beneficio maturationis evacuata) semper mala est; verum non determinat, qualis morbus sit expectandus; nam prout illa retrogressa materia in hanc vel illam partem deponitur, ita quoque morbus erit varius, & magis minusve periculosus. Si feratur ad nervos motorios, inducit motum involuntarium validum; sed si feratur ad partes acuto sensu donatas, idem tunc acre validos

dolores

dolores infert, qui hic dicuntur *dolores lateris*, qui locus solus non est obnoxius huic receptioni. Observavi quoque ex tali disparentia natos fuisse dolores capitis & ventris: sed quoniam ille dolor pectoris observatus fuit ab auctore, eum pronunciat; sed propterea non negat alias quoque partes dolore corripi posse. Si delata fuerit materia ad eum locum cerebri, in quo mens nostra sensus internos exercet, eum locum in suo placido motu ita perturbat, ut mens tali modo afficiatur ex hac commotione interna, ac si agitaretur perturbatis quibusdam sensibus externis, & quoniam tunc anima nostra ex perturbato motu interno ratiocinatur, & operatur, talis actio dicitur *Insania*. Hoc autem mirabile observavit auctor in hac metastasi, quod ex ulcerum detumescentia in partibus posterioribus frequentius generetur convulsio & tetanus; sed ex metastasi partium anteriorum frequentius insania & laterum dolores. Quomodo autem ex hac detumescentia generari possit suppuratio vel empyema, primo intuitu videtur conceptu difficile. Sed quoniam materia purulenta in marginibus ulcerum confecta, uti alibi in corpore, inde reduci potest, & humoribus circulantibus misceri, ex communi observatione translationis puris satis evincitur, suppurationem alibi in corpore, vel in cavo pectoris, fieri posse. Neque obstat nimia puris crassitudo, & quod nulla patens via sit ex una parte in aliam. Nam sæpe experimur in empyematicis pus evacuari per urinas, non quod ex pectore ad renes sit canalis apertus transmittens pus; sed pus aliquo modo liquatum, venulis absorptum, cum sanguine circulante circumductum, actione renum

iterum separatur & cum urina exit. Quoniam translatio a peripheria corporis ad interiora semper est mala, facile intelligitur, quod talis suppuratio non solum mala sit, sed & revocationem ad priora loca relicta exigat. Per *dysenteriam* intelligenda est frequens alvi dejectio cum dolore, sive sanguis exeat, sive non: & addita verba illa, *si tumores rubri fuerint*, referenda duntaxat esse videntur ad hanc metastasin ex ulceribus ad intestina; nam si rubedo illa major adsit in oris ulcerum, significatur materiem erysipelatosam vel & aliam acrem irritantem adesse, non vero purulentam, uti in præcedente metastasi; & si illa materia acris rubedinem inducens, quæ Veteribus dicitur biliosa, miscetur sanguini circulanti, illa quoque frequentissime deponitur ad intestina, ubi sua irritatione generat dolorem & tormina, & quoniam ad partem stimulatam magis confluunt humores, intestina irritata magis mota, majorem copiam recipientia, generant dysenteriam humoris acrioris, qua egestione continuata tandem egeritur etiam ipse cruor. Quamvis vero metastasis fiat ad organum excretorium, non tamen ita bona est censenda, nam id acre obambulavit prius totum corpus, ubi reliquos quoque humores inquinare potuit; ulcus eo fluxu non est sanatum, unde fit imperfecta metastasis, quæ semper mala; evacuatione hac sæpe etiam exulcerantur intestina, ut ita augeatur malum; contenta alimenta in intestinis tali corrupto humore perfusa non concoquuntur, & unà cum corrupto humore eliminantur, atque ita privatur corpus suo naturali pabulo. *Gorter.*

Aphor. 66.

Ἢν, τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν, οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Si magnis, & pravis exiſtentibus vulneribus tumores non conſpiciantur, ingens malum.

Deſumta eſt hæc ſententia ex *lib.* 2. *Epid. ſect.* 3. *n.* 128.

Facto vulnere vaſa diviſa a ſeſe mutuo recedunt & tumere incipiunt a ſtagnante in illis humore, uti modo dictum eſt ad *aph.* 65. Tumor præſens ſpem facit futuræ ſuppurationis: contrarium ergo malum, quia abſens tumor indicium eſt, fluxionem divertiſſe ad partem aliquam nobilem. Hinc bene Celſus *l.* 5. *c.* 26. *n.* 26: *Nimis intumeſcere vulnus, periculoſum: nihil intumeſcere, periculoſiſſimum eſt. illud indicium magnæ inflammationis: hoc emortui corporis eſt.* Hinc tumores mediocres optimi ſunt. *Heiſter Chir. p.* 49.



APHOR. 67.

Τὰ χαῦνα, χρηστά· τὰ δὲ ἔνωμα, κακά.

Molles boni, at crudi mali.

Est pars seu continuatio præcedentis aphorismi, & in *lib.* 2. *Epid. sect.* 3. *n.* 128. ita legitur: *Si laxi & molles fuerint bono sunt, si vero sursum serpant damno.*

Molles intelliguntur tumores, qui vergunt seu proclives sunt ad suppurationem; crudi seu duri i. e. coctu seu suppuratu difficiles.

APHOR. 68.

Τῷ τὰ ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνεομένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα ὠφελέει.

Ei, qui parte capitis posteriore dolet, recta in fronte incisa vena prodest.

Totidem verbis habetur hæc sententia in *lib.* 6. *Epid. sect.* 2. *n.* 48.

In omni, a quacunque etiam causa proficiscatur, dolore cephalico, initium curationis ab injectione enematis, item a venæ sectione, si plethora id exigit, faciendum est, ita tamen ut alvi apertio huic præcedat. Sæpius plethora

ra ſoluta, ad meliorem derivationem cauſæ peccantis a parte affecta, frontis venam aperire expedit. Et tunc *Heurnii* monitum dignum utique obſervatione eſt. Suadet nempe, *ante ſectionem, ut vinculum collo injiciatur, quo intumeſcat frontis vena, quæ oblique erit ſecanda, cavendo diligenter ne lædatur tunica pericranii. Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 202. Licet vero venæ ſectio in fronte, in morbis qui caput gravius offendunt, experientia teſte, eximiam conferat opem; id tamen non univerſale eſt, neque omnibus omni tempore convenit, ſed ſimul conſideranda eſt ipſius corporis conſtitutio. Nam ſi ejuſmodi capitis morbis magna vaſorum plenitudo juncta, vel etiam ſpaſmi vehementiores in inferioribus, ſanguinem ἀθρόως (confertim) & cum impetu ad caput urgent, verendum eſt, ne dato per apertam ibi venam vacuo ſpatio, major cruoris copia eo invitetur. Quapropter Veterum peritiſſimi unanimi ſuffragio, ut vena ſimul in brachio vel pede ſolvatur, ſuadent. Sic *Alex. Trallianus l.* 1. *cap.* 16. *Si*, præcipit, *circa caput aliquid moliri cogites prius quam totum corpus recrementis liberum reddideris, offendes magis quam juvabis, copioſiorem materiam ad locum affectum attrahens.* Hinc neque in hemicrania, ſeu capitis dolore contumaci, vertigine chronica, melancholia, venæ ſectio in fronte quippiam adjumenti afferre poteſt, quia major inde ſanguinis ad caput affluxus proritatur & vaſa membranarum cerebri obſtructa magis infarciuntur, ſed præſtat tunc ſanguinem ex inferioribus ducere. Vid. *Hoffm. l. c. T.* 3. *p.* 608. 612.

APHOR. 69.

Ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν. ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν, ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπό τε πηχέων, καὶ μηρῶν. ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν, δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores mulieribus quidem initium ducunt ex lumbis magis, & per dorſum ad caput perveniunt. Quin etiam viris parte corporis poſteriore magis, quam anteriore, veluti ex cubitis, & femoribus. Quod & indicat cutis raritas, quam etiam pilus oſtendit.

Extat aphoriſmus hic in *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 3. *n.* 111 *ſq.* & *l.* 6. *ſect.* 3. *n.* 30 *ſq.*

Quo molimine, & qua intentione Naturæ fiant rigores, & quotuplices ſint, dictum eſt ad 4 *aph.* 29. ubi etiam videre eſt, quod præſens aphoriſmus intelligendus ſit de rigoribus criticis & periodicis. Galenus exponens primam ejus partem, inquit: propterea rigores incipere a lumbis, quia partes illæ ſunt frigidiores & magis ſenſiles; ſunt debiliores, ut propter hoc citius ſentiant læſionem humorum acrium: addit Galenus, potiſſimum hoc contingere mulieribus, quia ipſæ ſunt natura debiliores & frigidiores viris. Quod autem communicetur hic rigor per dorſum capiti, cauſa hæc

hæc eſt, quia lumbi ſunt admodum connexi ipſi medullæ, ita ut communicatus rigor medullæ communicetur capiti, cui connexa eſt medulla. De ſecunda particula dicit Galenus, propterea viris a partibus poſterioribus incipere rigorem, quod illæ partes ſunt debiliores, & frigidiores. Atque cum cubiti coxæque ſunt membra frigidiora & debiliora, utpote remota maxime a corde; in his rigor prius incipit. De tertia parte; Hippocrates cum vidiſſet dubium eſſe poſſe, an partes anteriores ſint calidiores, & poſteriores frigidiores, dicit hoc ſignificari ex raritate: quæ fit a caliditate. Si itaque ſunt rariora, ſunt ſane calidiora. Quod autem hoc verum ſit, inquit Galenus, probare Hippocratem ex pilis animalium, quia ubi ſunt plures pili, partes ſunt rariores & calidiores. Sed non caret hæc Galeni interpretatio nobiliſſimis dubitationibus. Primum dubium eſt, an rigores in mulieribus & viris ſemper inchoant a partibus poſterioribus & a lumbis, quia *Ariſtoteles ſect.* 1. *problem.* 26. ſcribit: Medicos conſueviſſe præcipere ægris, ut ante febres contegerent pedes, eo quod rigores incipiant a pedibus: & huic ſententiæ experientia adſtipulatur, quandoquidem nullus eſt, qui in actu practico non experiatur ſemper prius frigere nares & pedes. Sed quod magis eſt, idem Hippocrates *lib.* 6. *Epid. ſect.* 5. *n.* 47. rigores ait magis fieri circa ventrem ſuperiorem, febrem in inferiore: ſuperior venter qui ſtomachus eſt, in parte anteriori magis eſt collocatus; ea propter videtur inferre rigores magis incipere a partibus anterioribus. Dupliciter mihi videtur reſponderi poſſe: uno modo, Hippocratem non dicere quod a lumbis ſemper

fiant rigores, sed quod magis ab his. Sed alia responsio accommodatior est, rigorem dupliciter considerari posse, vel prout a refrigeratione primo perdurat usque ad calefactionem; vel considerari potest secundum impetum illum & vehementem concussionem. Si consideretur primo modo, vere rigor semper inchoat a naribus, & pedibus. & hoc pacto loquitur Aristoteles quando dicit rigorem incipere a pedibus, intelligens totam illam refrigerationem a principio usque ad finem, & hoc verissimum est. Si alio modo consideremus, rigor a partibus posterioribus semper incipit, quia vere illa percussio oritur a partibus posterioribus, a medulla. Ad Hippocratem vero dicendum, comparare ventriculum, & intestina quoad rigorem & febrem, ac dicere, ventriculum ob sui sensum exquisitum ab humoribus acribus magis excitare rigorem, h. e. agitationem totius corporis pro depellendis succis mordacibus; intestina vero, cum sint putredinis loca, magis febrem facere: non propter hoc tamen negat, quin in febribus, ubi locus putredinis non sit in aliqua parte, inchoet a lumbis. Sed hic quoque aliquod dubium oritur, quomodo dicat mulieribus rigorem oriri a lumbis; viris non ab his incipere afferat, sed a partibus posterioribus; præterea, quæ est ratio, quod a pedibus non incipiat? Primum responderi potest, hoc maximo judicio dixisse Hippocratem, quia viris vere incipiunt rigores a dorso, a parte posteriori; mulieribus a lumbis, quia uterus subtus lumbos est, unde fit, ut ratione uteri partes lumbi sint debiliores & frigidiores, & lucta potissimum fit circa has partes. Secundæ dubitationi respondendum, pedes non percipere

percipere rigorem, quia in ipſis non fit luɛta, cum partes illæ non ita offenduntur. Sed quæ eſt hujus rei cauſa? Natura cum animadverteret pedes debere continuo calcare terram, & conſequenter impingere rebus duris, ne læderentur fabricavit eos ligamentis, nervis duriſſimis: ut propter hoc nequaquam vellicentur ab humoribus acribus. Circa poſtremam partem eſt non levis, nec inutilis dubitatio; ſcilicet, utrum verum ſit, pilos animalium magis abundare in partibus anterioribus quam poſterioribus: nam ſi diligenter videamus bruta animantia, ſive in ipſis faciamus partem poſteriorem dorſum, ſive caudam, quælibet harum piloſior eſt, quam anteriora ſunt, excepta tamen ſimia: imo *Ariſtoteles ſect.* 1. *probl.* 52. quærens rationem, propter quam animalia bruta habent partes poſteriores piloſiores, homo autem anteriores, idcirco eſſe inquit, quia natura ſemper tegit partes debiliores magis, ut cum in homine ſint partes anteriores debiliores, in brutis poſteriores, jure magis ſint pilis tectæ. Itaque non eſt verum, ut inquit Hippocrates, pilos oſtendere raritatem cutis, quia, ut inquit Galenus, pili ſunt plures in anterioribus partibus quam poſterioribus. Pro ſolutione dupliciter reſponderi poteſt; partes, quæ ſtatim ſe offerunt obtutui, & oculis noſtris, ac proinde injuriis externis, & præſertim aëris, anteriores eſſe, ſcilicet partes pectoris; quod ſi verum eſt, neceſſarium eſt anteriora eſſe piloſiora. Sed ſi hoc non placet, eſt alia ratio ſolvendi hunc nodum, ſcilicet delendam eſſe vocem *animalium* in textu *l.* 2. *Epid. ſect.* 3. *n.* 112. ut intelligatur de pilo humano; unde ſi deleatur hæc dictio, neceſſe piloſiores, quia

revera

revera calidiores: quod sit delenda, ex eo colligo, quod in *l. 6. Epid. sect.* 3. *n.* 30 *sq.* nequaquam est. Ut jure existimet Hippocrates, partes anteriores esse rariores, quia sunt pilosiores. *Mercur. Præl. in l.* 2. *Epid. Hipp. p.* 202 *sq.*

Ex tota theca vertebrarum nullibi plures emergunt nervi, quam ex vertebris lumborum, inde enim remergunt nervi, qui ad omnia viscera ventris tendunt & ad pedes. Lumbi etiam constituunt partem infimam medullæ spinalis, ubi illa medulla in caudam veluti compactam, non amplius mollem medullosam, abit. Hoc etiam in loco infantes frequentissime patiuntur spinam bifidam. Humor roridus nutriens, vagina medullæ spinalis coërcitus, hic satis magna copia colligitur, & nudis nervis accumbit. Ideoque nervi in hoc loco maxime sunt expositi rebus acribus applicandis: quoties enim aliquod acre in illo succo hæret, ob locum decliviorem & ampliorem ad nervos hic nascendos applicatum, horrorem & rigorem inducit. Quia omnes hæ concurrentes causæ minus inveniuntur in locis reliquis, magis hoc in loco habetur rigoris origo in lumbis, quam in partibus cæteris. Si jam perpendimus, capsulam nervi ruditer tactam concitare rigorem, & capsulam nervi continuatam esse vaginæ medullæ spinalis, plane constare potest, per irritatam capsulam medullæ spinalis in lumbis, irritamenti propagationem fieri posse usque ad meninges, quum meninges cum vagina hac unam continuatam membranam constituant, quæ omnibus nervis per totum corpus dispersis largitur capsulam. Quod autem in mulieribus frequentius in lumbis quam in viris incipiant

cipiant rigores, inde forsan est, quod fœminis major concessa sit pelvis ossea, & in ea uterus locatus, plures nervi hic oriantur quam in viris, & ita major proventus hujus succi, qui acrimoniam illam irritantem continere potest. Pilos copiosiores nasci in viris quam fœminis constans est observatio, præprimis quando ad maturam ætatem pervenerint. An vero inde major vel minor cutis raritas possit probari, non caret dubio: nam pili per cutis poros transeuntes, istosque implentes, minorem raritatem relinquerent, quum spatiola raritatem facientia impleantur. Nec video, ex qua ratione illa raritas probaret frequentiores horrores fieri ex dorso, sed absentia pilorum, uti in fœminis, indicaret horrores fieri debere ex lumbis. *Gorter.*

APHOR. 70.

Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται· ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

Qui quartanis corripiuntur, fere convulsione non tentantur: quod si prius corripiantur, deinde quartana superveniat, liberantur.

Hic aphorismus in *l.* 6. *Epidem sect.* 6. *n.* 16. ita legitur: *Qui Quartana vexantur, non ullo magno aliquo morbo corripiuntur: quod si antea corripiantur, Quartana succedente liberantur.*

Qui

Qui febres serviant solvendis morbis, & quibus, notatum est ad 2 *aph.* 26. Intermittentes quidem, quando rite tractantur, corpus a colluvie vitiosorum humorum liberant & expurgant, & purius ac siccius efficiunt. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 16. At omnium est tutissima Quartana, placidissima, & longissima. *Hippocr. l.* 1. *Epid. sect.* 3. *n.* 17. Secundùm *River. p.* 177. „ Quartana febris, epilepsiæ „ superveniens, & diu perseverans, eam sol- „ vit: quandoquidem a calore febrili materia „ morbifica sensim absumitur, si pituitosa sit; „ vel si melancholica fuerit, a parte affecta trans- „ mittitur in locum, ubi minera morbi resi- „ det, ut novis paroxysmis materiam suppe- „ ditet ". Ex nullis siquidem febribus ulla magis saluti hominibus est, quam tertiana & quartana, quod etiam vulgo notum est. Hæ si recte percurrant tempora, neque nimis diu perseverent, nec in ætate plane decrepita & viribus consumtis fiant, sanguinem egregie depurant & obstructiones circa mesenterii venas potenter tollunt, nec non humores concretos, congelatos, crassos & viscidos, qui variorum spasmorum causæ sunt, resolvendo, auferunt, & nervos præhumidos exsiccant, nimis resolutos ac laxos firmant & roborant, unde vulgi persuasio, quod quartanæ magnum robur ingenerent corpori, ut is, qui tertiana vel quartana fuerit correptus, intra aliquot annos degat liber & immunis ab omnibus morbis. *Hoffm. de sal. febr.* §. 30. Oportet autem, ut quartana sit genita, absque lienis aut alterius visceris affectu. Quandoquidem ex liene sæpenumero graviter vidimus, inquit Galenus, homines febre laborasse quartana, ac deinde collecta

aqua inter cutem esse defunctos. Verum ipsa sua sponte quartana absque aliquo visceris affectu, præsertim magno, periculo vacat, neminemque jugulat, ut inquit *Celsus l.* 3. *c.* 15. *p.* 146. & ab aliis etiam morbis liberat. Quamvis autem dictum sit ab antiquis, quod quartana sit salubris, neminemque jugulet; id quidem intelligi debet non simpliciter; senes enim magna ex parte interficit, juxta parœmiam vulgarem Italicam, *Quartana el jovane sana, el sene amassa:* nam juxta Hippocratem, senibus si ægritudines diuturnæ fiunt, commoriuntur: inde credo natum proverbium, *Quartana juvenem sanat, senem interficit.* Licet hæc regula non semper sit vera: nam & seniores aliquos curavimus; nisi de decrepitis intelligatur & valde senibus, qui rarius curantur, ob virtutis debilitatem & defectum. Est & apud Italos aliud proverbium, *La quartana non fa sonare la campana*: quod quoque intelligitur de juvenibus & non de senibus; cum senes magna ex parte moriantur, & juvenes curentur. *Forest. Obs. Med. l.* 3. *obs.* 32. *schol.*

Quum Convulsio sit morbus ex variis causis natus, atque hinc non habeat antidotum constans, cui omnes ejus species auscultent, ideo incertum quoque est præsagium, an Quartanis correpti non admodum corripiantur convulsione; cum quædam causæ convulsionem inducentes æque generari possint, sive Quartana sit præsens, vel absens. Imo observavi levissimas convulsiones hystericas frequentius fieri in iis, quæ quartana febre laborant, quam in perfecte sanis. Nisi ergo addatur certa convulsionis species ex sua latente causa, non possumus pronunciare, an quartanarius liber mansurus sit a convulsione,

vel

vel non. Possunt quædam esse causæ convulsionem inducentes, quæ a superveniente febre quartana subigi possunt, & cum sudore subsequente expelli: sed & sunt plures aliæ causæ convulsionem inducentes, quæ potius per quartanam intenduntur. Quapropter, nisi per multiplicem experientiam constet, quænam species convulsionis a Quartana subigatur, tam diu incerta manebit & hæc prædictio. *Gorter.*

Aphor. 71.

Ὁκόσοισι δέρματα περιτείνεται καρφαλέα, καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρώτων τελευτῶσιν· ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ, καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Quibus cutis obtenditur arida, & dura, ii sine sudore moriuntur: at quibus laxa, & rara, cum sudore vitam finiunt.

Desumta est sententia ex *lib.* 6. *Epidem. sect.* 6. *n.* 29.

Inter pessima signa, qua mortem indicant in febribus acutis, est ubi, qui antea molli erat cute, jam est scabra & arida; indicium enim est consumtæ humiditatis. *Holler.* Utplurimum experimur, instante morte, ex tota facie sudorem guttatim exprimi: ne autem hoc phœnomenon expectemus ante quam quis moriatur, hoc aphorismo addisci potest, interdum sine apparente sudore homines mori. Sed ut prædicamus, num prius sudor

dor fit expectandus, vel nullus, indicia ex cute desumenda: nam quibus tota *cutis* est *arida & dura*, hi sine sudore moriuntur. Talis est cutis in iis, qui ex marasmo moriuntur consumtis omnibus humoribus; vel & etiam in validissima febre ardente, dum omnes humores in lentorem fuerint compacti, & tamen vehemente tali motu vitali instigato, ita destruuntur solida & consumuntur spiritus, ut æger in vigore febris moriatur. Frequentius autem diminutis viribus & colliquatis humoribus homo moritur; in quali statu ante mortem cutis defectu contractilitatis *laxa* est, & tenuitate corrupti humoris undique fit uliginosa. *Gorter.*

Aphor. 72.

Οἱ ἰκτερώδεες ὀ πάνυ τι πνευματώδεές εἰσιν.

Qui morbo regio laborant, non admodum flatulenti sunt.

Hoc est, non infestantur ructibus, torminibus, vel flatibus. Intelligendus est aphorismus de ictericis natura, h. e. de hominibus biliosis, quibus non symptomatice sed naturali habitu bilis diffusa est per totum corpus: hujusmodi enim homines sunt calidi. *Heurn.* Alias icterus, sive a spasmodica contractione ductus choledochi, impeditum in hepate secernendi aut secreti liquidi liberum fluorem supponens; sive a viscida, amurcosa & inerti, vel ab acri, fervida & commota bile nascatur;

flatuum exortui non obſtat, quinimo favet. Nam in primo caſu bilis in inteſtina effuſio intercepta permittit ut ingeſta alimenta ſponte fermentando aërem artificialem ſeu flatum producant; hinc icterus a calculo obſtipante exitum bilis in duodenum, atque hepatis ſcirrhoſa induratio irritando flatum producit: in ſecundo caſu fervidior æſtus prædicto effectui edendo magis adhuc congrua exiſtit cauſa. Ictero affectos perſæpe flatuoſos eſſe, exemplum adfert ipſe Hippocrates *l.* 3. *Epid. ſect.* 3. in hiſtoria Apollonii, qui mortuus eſt ictericus, & tamen, ut ait, *flatibus abundabat.* Præterea ictero tympanitem ſupervenire non infrequens. Hippocrates igitur minus recte aphoriſmum hunc protuliſſe videtur; cujus tamen hic eſt ſenſus, ictericos non ita valde flatibus obnoxios eſſe, quia, juxta divinum ſenem, flatus a debili calore fiunt, & e contra in ictericis bilioſus humor, morbi parens, acrem & mordacem movet æſtum. Notandum denique, Hippocratem ſermoni ſuo adjeciſſe, *non admodum*, perpetuitatem quidem negationi ſic adimentem, ut obſervavit Galenus, flatum cum ictero occurrere poſſe. *Gorter. Combaluſ. Pneumat.* §. 187.



HIPPOCRATIS

APHORISMORUM

SECTIO SEXTA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM SECTIO SEXTA.

Aphor I.

Ἐν τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγενομένη, μὴ γενομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In diuturnis inteſtinorum lævitatibus, ſi ructus acidus, qui antea non extitit, ſuperveniat, bonum eſt ſignum.

Lib. 2. *Epidem. ſect.* 2. *n.* 49 *ſq.* unde absque dubio deſumtus eſt aphoriſmus, hæc ſententia legitur hoc modo: *Diuturnis & trahentibus inteſtinorum lævitatibus; ructus acidus bono eſt qui prius non adfuit, qualis Demænetæ contigit. Quem & arte parare forte licet. Nam & hujuſcemodi perturbationes, prioris ſtatus immutationes afferunt; forte etiam inteſtinorum lævitatem acidi ructus ſolvunt; ſanatus eſt veratri potione.* Quo quidem dicendi modo dubitaſſe videtur Hippocrates, an hujuſmodi ructus eſſet bonum ſignum tantummodo, an etiam ut cauſa prodeſſe poſſet? & an illum provocare expediat? Quia, ſi ut cauſa juvat, certum eſt, illum eſſe excitan-

dum, si vero ut signum tantummodo, frustra illum provocamus. Veruntamen si eundem Hippocratem diligentius examinabimus, inveniemus, hujusmodi ructum lientericis etiam ut causam prodesse. Ructus enim acidos facere, & pinguia, & caseosa, & mellita, & ex sesamo parata edulia testatur *lib. de affect. n.* 44. contra eos, qui acidos ructus a frigidis excitari credunt, dum ratiocinationibus nimis intenti, quæ sensibili experimento (quo dictante sua quæque docet Hippocrates) dignoscuntur, neque percipere possunt. Prædicta igitur omnia ructus acidos movent, quæ cum calida sint, & difficilis transitus, totis viribus diuturnam lienteriam sanare possunt, nam quatenus calida concoctricis facultatis debilitatem, quæ a frigiditate ortum ducit, corrigunt, quatenus vero tarde descendunt, ipsi symptomati occurrunt, quod in celeriori ciborum descensu consistit. Quibus si turbatio addatur, quam eadem inducunt, hac mediante, fluxioni valde conferunt. Turbatio enim humores ad superiora conturbat, ut navigationis exemplo demonstrat Hippocrates, unde motus ad inferiora retrahitur. Verum si acidi ructus (objiciet aliquis) pro curatione lienteriæ adeo rationabiles sunt, cur dubitanter hanc sententiam protulit, dum dixit: *fortassis autem licet etiam arte parare*? Quia rationibus nunquam adeo credidit Hippocrates, ut absque experientia aliquod remedium nobis tradere ausus fuerit, & fortasse etiam, quia observaverat, aliquando ructum acidum arte inductum lientericos minime curasse, quippe qui eo casu majori auxilio egerent, quod observaverat in Demæneta, cui ructus hujusmodi supervenientes morbum ex parte

parte leviorem fecerunt quidem, veruntamen ad perfectam curationem helleboro opus habuit. Quod etiam ulterius dubitandi occasionem ipsi præbuit, an, sicuti ructus acidi in longis intestinorum lævitatibus supervenientes semper juvant, ita aliquando integram sanitatem afferre possint, & causa dubitandi ex eo provenit; quia hujusmodi ructus lienteriam sanant, aliquando non, sanant, quando neque in ventriculo, neque in reliquis corporis partibus humoris copia viget, quæ morbum foveat, nequaquam vero ubi prædicti humores abundant: quo casu helleboro, aut aliquo alio medicamento sursum purgante pro integra curatione egent, sursum enim in hoc morbo purgandum esse, non deorsum, præter evidentem rationem, quæ id suadet, ut revulsio fiat in contrarium; ex ipsomet Hippocrate colligitur, non solum, quia Demænetam helleboro curavit, qui sursum purgat, sed etiam ex 4 *aph.* 12. ubi monet in hoc morbo sursum non esse purgandum in hieme: quasi id cæteris anni temporibus communiter faciendum sit. Humores enim ad contrariam partem sunt ducendi, ei scilicet, ad quam symptomatice fluunt, juxta illud 6. *Epidem. sect.* 2. *n.* 9. *Dissimilia, si sursum sublata tendant, per inferiora solvere convenit, atque his contraria facere.* Hac eadem ratione in cholera morbo, in qua majus est quod infra dejicitur, quam quod evomitur, helleboro utitur Hippocrates 5 *Epidem. n.* 4. & in fluxu ventris diuturno, *lib. de affect. n.* 26. Vid. *Martian. p.* 464 & 306. Ructus acidus lientericis superveniens signum bonum, non propter aciditatem ructuum, sed propter contractilitatem ventriculi auctam, ad ructus expel-

 lendos.

lendos. *Strœm theor. mot. recipr. p.* 29. Nam a labefactata contractilitate ventriculi & intestinorum est lienteria.

Tenax gluten corruptum lateribus intestinorum adhærens suo speciali stimulo in intestinis producit motum ad exonerandum disponentem, & quia simul obstipata a viscoso sunt oscula absorbentia, & tunc simul non fit ille motus vermicularis, qui requiritur ad pellendum chylum in lactea vasa, cuncta quæ tunc egeruntur, non mutata per intestina trajiciuntur & egeruntur. Quia vero talis spontanea corruptio diu perseverare potest, & corruptum tenaciter adhærens lateribus intestinorum, expelli nequit, necesse est, ut talis lienteria interdum duret per multos annos. Constat ita, putredinem chronicam permanentem esse causam lienteriæ diuturnæ. Ergo ex ructu acido superveniente constare debet, causam hanc ructum producentem tollere posse antecedentem putredinem. In ructu acido duo sunt observanda, primo ructum fieri motu ventriculi inverso, quo truditur aër in ventriculo contentus per œsophagum; & secundo, ut ille aër impraegnatus sit vapore acido. In vetusta lienteria continuus motus erat deorsum, sed quoniam nunc fit ructus, signum est, eum motum deorsum non ita constantem esse, sed quoque incipere sursum; hinc spes est, fieri posse, ut restituatur motus peristalticus, qui vicissim operatur sursum & deorsum in intestinis, quali modo agit in sua actione naturali, qua præparantur alimenta; & quia in ordinem redire incipit, signum est, causam priorem, eam propulsionem facientem, incipere minui. Hinc solus ructus, si prius non adfuit, bonum signum præbet.

Sed

Sed si ructus fiat acidus, eo signum est melius; quia ex ructu acido scio, eum nunc hominem, qui tam diu laboravit putredine, nunc laborare acido fermentato, quod generatur ex assumtis vegetantibus per fermentationem in acidum commutatis. nam ructus acidus sine fermentatione in nobis nunquam generatur. Si ergo ructus acidus superveniat, signum est, motum peristalticum in ordinem redire; putredinem cessare; sed laborare hominem morbo ex acido, qui cum possit actione nostri corporis subigi, certe tale signum est bonum. Ex istis facile decernere possumus, an succi vegetantium saponacei acidi ita sint vitandi in diuturna lienteria; an debeamus adstringentibus talem lienteriam compescere; an jura carnium sint danda ad majorem nutritionem, ut multi præcipiunt. *Gorter.*

APHOR. 2.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηρότερον· οἷσι δὲ τὰναντία, ὑγιεινότερον.

Quibus nares natura sunt humidiores, & genitura humidior, ii morbosiore sunt valetudine; at quibus contraria sunt, salubriore.

Quia plurimum genituræ a capite provenit, ut ipsemet Hippocrates *lib. de genitura n.* 3. testatur, hinc fit, ut genitura naturale cerebri temperamentum sequatur: ita ut,

ut, quibus caput, sive cerebrum natura humidum est (hoc indicant nares sæpe fluentes, quas humidiores appellat), iis genitura humidior est, & hi (subjungit statim) morbosius sane degunt, hoc est vitam ducunt non solum morbis obnoxiam, sed in tempore sanitatis valetudinariam; his vero contrarii, firmiori, & stabiliori valetudine utuntur. Quod quidem indicat, quantum ad corporis valetudinem conferat capitis optima dispositio, quod summa cum ratione morborum radix appellatur. Et hic est germanus præsentis aphorismi sensus; alium tamen Hippocratem habuisse indicantea, quæ *lib.* 6. *Epid. sect.* 6. *n.* 37. leguntur, unde forsan aphorismus desumtus est, hunc in modum: *Quibus nares natura humidiores, & semen genitale humidius ac copiosius, ii minus salubriter degunt. Plurimi autem, quibus ex morbo istud accidit, contra se habent.* Quorum verborum sensus est. Eos, quibus multa e naribus ex natura erumpunt, & ex consequenti cerebrum humidius habent, & genituram pariter humidiorem, & copiosiorem emittunt, eos imbecilles esse & valetudinarios. Qui vero tales sunt, non ex natura, sed ex morbo, eos saniores esse, indicant enim hæc expultricis facultatis robur, quæ humores noxios facile a se excutit. Addidit vero *plurimi*, quia hæc regula non omnibus fortasse competit. *Martian. p.* 464. Debiliore fruuntur ac morbosa sanitate & morbis sunt obnoxii, qui fibrarum syntaxi donantur laxa; contrarium autem dicendum, si nares post morbum humidæ, quia signum est solutionem fieri salubrem. *Vallesf.* Ergo humidum, de quo agit Hippocrates hoc loco, est malum sanis, bonum ægris. *Holler.*

Omnes

Omnes fere Commentatores cum Galeno per *genituram* intelligunt semen virile, & inde ex ejus majore humiditate præsagium formant. Ego autem puto, genituram in h. l. non notare semen, sed partes genitales tam virorum, quam mulierum, quoniam γονὴ æque notat partes genitales quam semen, & hoc loco agitur de naribus humidioribus, non vero de muco humidiore: itaque conveniens est, ut hic quoque accipiantur partes genitales, non vero semen. Propterea concipiendum est, Hippocratem intellexisse humiditatem partium genitalium utriusque sexus. Quæ humiditas in his partibus eodem modo, ut in naribus, oritur ex laxitate & deficiente motu in partibus his. Quamvis vero inde non sequatur, ut inde homo aliquo morbo dicatur laborare, quum tam levis sit partis affectio, ut non mereatur morbi nomen; attamen non est perfecta sanitas, tam ratione signi, quam ratione causæ; sæpe enim fit, ut, si quadam in parte conspiciatur debilior actio, etiam in reliquo corpore actio habeatur languidior, maxime si duobus simul in locis talia signa inveniuntur, uti hic in partibus genitalibus & naribus. Atque humores his in locis stagnantes, minus commoti, sensim corrupti & minus præparati traduntur communi circulationi, ubi totam massam inficiunt humore crudo & leviter corrupto, qui quidem actione vitali emendari potest, sed tamen inde non fruitur ille homo perfecta sanitate. Si vero partes, quæ ex natura sunt laxiores & uliginosæ, modice siccæ inveniuntur, signum est, huc confluentes humores ita attenuari, ut per insensibilem perspirationem evolent: nam actio validior in his partibus non solum propter ma-

jorem

jorem concitatum calorem ex hoc motu, & promptiorem expulsionem minuit hujus partis humiditatem, verum etiam reducit per vasa absorbentia & venosa eam humiditatem, quæ alias ibidem subsisteret. Hinc ratione signi & causæ harum partium siccitas modica est bona, quum notet actionem valentem, & non permittit, istos humores stagnando corrumpi. *Gorter.*

APHOR. 3.

Ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι κακόν, καὶ σὺν πυρετῷ, κάκιον.

In longis intestinorum difficultatibus cibi fastidia malum denuntiant, & cum febre pejus.

Extat hic aphorismus in *lib.* 6. *Epid. sect.* 8. *n.* 1.

Quando per morbosam aliquam causam deletur famis sensus, etiamsi in corpore habeatur alimenti defectus, qui naturaliter in nobis famem excitat, proprie vocatur inappetentia; sed quando simul capienda alimenta aversionem pariunt, *fastidium*, ἀποσιτία, dicitur. Experimur fastidium fieri, si motus ventriculi fiat inversus, ut in nauseosis, vel quando aliquid putrefactum in ventriculo hæret. Si ergo aliquis fastidiosus fiat, signum est, ventriculum consentire & putrefactum quoque in eo hærere. Dysenteria autem est morbus intestinorum, & fastidium

morbus

morbus ventriculi: ergo causa mali latius est dispersa, quod malum est. præterea per fastidium designatur, dysenteriam abiisse in putredinem, quæ commutatio quoque est mala. Denique corpus per dysenteriam ita exhaustum nunc privatur simul suo naturali nutrimento, quod amissum restaurare debebat. Hoc in longis dysenteriis periculosum est, quarum causa est constans. Si dysenteria *cum febre* incepit, & tamen non cessat dysenteria, signum est, febrem non valere causam dysenteriæ superare & expellere: interim tam longa fuit facta evacuatio, ut vires vitæ per imperfectam crisin fuerint exhaustæ; quare vix ulla spes superest curationis. Si vero in principio non adfuerit febris, sed postea superveniat, talis febris vel accenditur per consensum ex motu perturbato intestinorum, vel ex translatione materiæ ex cavo intestinorum ad organa circulatoria. Utrumque malum est. Nam motus febrilis in organo circulatorio per consensum concitatus non compescet motum turbatum intestinorum, neque emendabit corruptos humores in intestina confluentes, verum utraque hæc potius augebit. Si humor corruptus ex intestinis, ubi est scaturigo in dysenteria diuturna, feratur ad organa circulatoria, tunc simul tota massa sanguinis hoc putrefacto infecta citiorem interitum minabitur. Recte ergo ait Auctor, *cum febre pejus*; quoniam latiorem consensum & translationem indicat, quam quæ observatur a sola apositia superveniente. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 4.

Τὰ περιμάδηρα ἕλκεα, κακοήθεα.

Ulcera undiquaque glabra, maligna.

Eadem verba leguntur in *lib. 6. Epid. sect. 8. n. 2.*

Ulcera circumglabra dicuntur, ex quorum ambitu & circa illorum labia pili decidunt, neque iterum renascuntur. Notantur acres, erodentes, succi. *Tozzi.* Aliæ etiam partes glabræ dicuntur, si squamulæ epidermidis secedant & quasi politam superficiem relinquant. Sed præcipue tunc habentur glabræ partes, si earum superficies obducta sit muco tenaci, ac si esset pinguedo corrupta tenax parti adhærens. Hæc ultima species an sit concipienda ac si solummodo haberet in ambitu glabritiem, an vero etiam in ulceris cavitate, disputari potest; nam si ulcus ipsum & ejus margines sint glabræ, tale ulcus quoque circumglabrum dici potest. Talia nunc ulcera pronunciantur maligna, quia designant, hic colligi corruptos humores, & difficilem curationem admittunt. Si enim pinguedo naturalis circa partem exulceratam hærens corrumpitur, illa vel abit in ichorem tenuem, qui cuncta, quæ tangit, liquefacit, ut inde squamulæ epidermidis decidant & pili defluant; vel abit in tenacem & corruptum mucum, qui omnem consolidatio-

nem

nem impedit. Monemur ergo, quam diu videmus ulcera circumglabra, nos non posse expectare curationem, sed transitum in majorem malignitatem. Hinc omni ope tentanda est emendatio & ablatio corrupti per externa abstergentia antiseptica applicata, & per interna, quæ usus docuit summopere cohibere progressum putredinis. *Gorter.*

APHOR. 5.

Τῶν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν (μέρεσιν), εἰ μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Dolores & in lateribus, & in pectore, & in cæteris partibus, num multum differant, perdiscendum.

Hic aphorismus primo aspectu Hippocraticæ dignitatis minimum retinere videtur. Quis enim Medicus adeo negligens est, qui dolorum vehementiam, aut majorem, aut minorem non consideret, cum præsertim ægrotantium querelæ ad hujusmodi considerationem compellere etiam invitum possint? Quare dicendum est, præsentem aphorismum idem naufragium cum aliis multis incurrisse, ob negligentiam illius, qui eos collegit. Nam clariori, & veriori sensu ita legitur *lib.* 6. *Epid. sect.* 7. *n.* 83: *In doloribus laterum, pectoris, aliarumque partium, tempora num multum inter se differant, animadvertendum est, quando nimirum melius,* aut

aut rurſus pejus habeant, nihil in hoc delinquentes. Sententia quidem aurea, qua admonemur repentinæ doloris ſublevationi non eſſe fidendum, nam ſæpe paulo poſt derepente, nullo errore accedente, ſæviores repetunt: quare ut fida ſit alleviatio, paulatim, & per ſua tempora fieri debet; & quamvis hæc ſententia in omnibus verificetur, magis tamen in doloribus laterum, & pectoris contingit, ab hujuſmodi enim partibus non cito, & facile infixus humor diſcutitur, quemadmodum ſi in alvo, aut ventriculo peccet. *Martian. p.* 464. Quin, ipſa doloris idea, magnitudo, æqualitas vel inæqualitas, tum aſſiduitas vel intermiſſio, cujuſmodi ſit ea partis afflictio plane oſtendit, medentemque docet, quomodo ſe gerere debeat in ejus curatione. Sic e. g. *Dolores lateris in febribus æqualiter ibi & abſque ſignis ſubſiſtentes, venæ ſectio lædit, quamvis averſum a cibis animum, ac ſublatum* ſeu tumidum *hypochondrium æger habeat.* Coac. ſect. 3. n. 342. In quo textu pro *in febribus* fortaſſe melius *ſine febribus* legitur. Nam lateris dolor cum febre non ita reſpuit venæ ſectionem, quam ſine febre. *Duret. in Coac. p.* 371. Sive autem in citata Coaca emendationem Dureti optes, ſive retineas lectionem communem (quam defendit *Martianus p.* 590. intelligens dolores lateris a materia tenui & biliosa ventriculum obſidente, non admodum fixos & ſtabiles, ſine ſignis doloris per excellentiam pleuritici ſeu lateralis dicti, quos ut purgatio ſive alvi excretio juvat, ita phlebotomia lædit, quia ſanguine miſſo, humor noxius tenuitate peccans adhuc tenuior redditur, & accedente febre, tenuitas augetur, & acrimonia.) illud manet ratum, Medici prudentis eſſe, diſtinguere

dolores

dolores ab invicem, quo felices muneris sui successus expectare possit.

Aphor. 6.

Τὰ νεφριτικὰ, καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

Renum, & vesicæ vitia in senibus ægre curantur.

In *lib. 6. Epid. sect.* 8. *n.* 4. hæc leguntur: *Renum vitia supra quinquagesimum annum sanata non vidi.*

Senes renum & vesicæ morbis obnoxii sunt, juxta 3 *aph.* 31. Difficulter autem sunt sanabiles, quia ætas senilis excrementis & cruditatibus abundat, quibus vitia illa augmentum capiunt; & quia vasa habent angustiora, rigidiora, quæ non favent perficiendis coctionibus.

Omnes morbos nephriticos, ut sunt renum infarctus, inflammationes, exulcerationes, dolores ex calculo, difficilius in senioribus sanari experientia confirmat. Nam sicut læsiones & exulcerationes internarum partium, propter humorum intemperiem & excrementorum abundantiam, quæ in provectiori ætate increscit; ita etiam, quæ renibus & vesicæ inhærescunt, propter urinæ ingentem acrimoniam, difficillime ad sanationem perducuntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 367.

APHOR. 7.

Τὰ ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα· τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

Dolores qui ad ventrem fiunt, sublimes quidem, leviores: non sublimes vero, vehementiores.

Sublimes dolores hic dicuntur extimi & superficiem attingentes; non sublimes, intimi. Illi, in abdominis musculis, mitiores; hi, in visceribus, vehementiores. Ita censent omnes auctores, qui sequuntur expositionem Galeni. *Gorterus* vero putat, si voluisset Auctor illam doloris differentiam indicare, quod dixisset dolores externos & internos. Neque etiam illa sententia ubique vera inveniretur, quia in partibus externis æque vehementes dolores oboriuntur, etsi minus periculosi, quam in partibus interioribus. Quare credit per μετέωρα tales dolores intelligi debere, qui ventris (abdominis nimirum) inflationem seu elevationem faciunt, quando nempe per dolores intenditur venter, quasi flatibus distenderetur. Si enim causa dolorem faciens valide agit, eo majorem dolorem facit, quo fibra magis manet renitens, quando talis pars simul non tumet, sed in sua constrictione persistit: si vero fibræ dimittant tensionem, pars ea tumere incipit, & tunc fit doloris lenimen: quod podagrici

ſæpe experiuntur. Hoc omnino verum eſt in ventris doloribus, ſi motu inordinato inteſtinorum producitur aër artificialis, cujus expanſio impeditur per validam fibrarum tenſionem, immanis fit dolor: ſi vero relaxatis fibris aër permittitur expandi, ſtatim miteſcit dolor. Hinc calida & humida, quæ fibras laxant, applicata cum ventris intumeſcentia leniunt dolores.

APHOR. 8.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν σώματι, οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

Hydropicis orta in corpore ulcera, non facile ſanantur.

Bene *Celſus l.* 3. *c.* 21. *p.* 161. *Communis*, inquit, *omnium hydropis ſpecierum eſt humoris nimia abundantia: ob quam ne ulcera quidem in his ægris facile ſaneſcunt.* Quia nempe indeſinenter affluens ſerum prohibet ſanationem. Nam in genere & axiomatis inſtar practici habendum eſt, omnia iſta ulcera, quæ ex cauſa proveniunt interna, & magna ſuccorum ſeroſorum impuritate ſuſtentantur, nunquam fere non difficilis eſſe ſanationis. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 5. *p.* 258.

APHOR. 9.

Τὰ πλατέα ἐξανθήματα ȣ̓ πάνυ τι κνησμώδεα.

Efflorescentiæ latæ non admodum pruriginosæ.

Desumta videtur hæc sententia ex *lib.* 6. *Epid. sect.* 2. *n.* 52.

Hujus generis pustulæ seu exanthemata notant succos minus acres, qui acriores magis in profundo latentes pustulas creant fastigiatas.

APHOR. 10.

Κεφαλὴν πονέοντι, καὶ περιωδυνέοντι, πύον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νȣ́σημα.

Capite dolenti, ac vehementer laboranti, pus, aut aqua, aut sanguis per nares, vel os, vel aures effluens, morbum solvit.

In genere omnis doloris cephalici causa, a liberiori & æquabili sanguinis per vasa sanguifera, quibus cutis capitis, pericranium, ipsaque dura mater instructa sunt, progressivo &

& circulari motu impedito, tanquam a fonte derivatur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 190. Ubi itaque fientibus evacuationibus, in aphorismo memoratis, accumulatorum circa caput humorum, reddita libera sanguini circulatio est, doloris cephalici contingit solutio; quæ pluribus apud Hippocratem locis memorata est: *Coac. sect.* 2. *n.* 21. 25 *sq.* 59. *de Judicat. n.* 12. *de salub. diæt. n.* 14. *lib.* 7. *Epid. n.* 30. *lib.* 2. *de morb. n.* 4. 12. 16. *lib.* 3. *de morb. n.* 2. Conf. *Cels. l.* 2. *c.* 8. *p.* 70.

Capitis dolor ex impetu majore natus optime liberatur narium hæmorrhagia, quæ minuendo sanguinis copiam majorem, simul conpescit illum majorem impetum & inde natum dolorem. Sed circa finem morborum acutorum, si per metastasin ad caput delata est materia purulenta, aut quando in interioribus capitis fuerit exulceratio capitis dolorem inferens, sæpe observavi, puris evacuatione per aures homines fuisse liberatos, interdum etiam per os & nares: sed minus frequens per hæc emunctoria eliminatur pus. Humor autem serosus acris, capitis dolorem inferens, sine multo discrimine per tria hæc emunctoria eliminatur. *Gorter.*



APHOR. II.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσιν αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Melancholicis affectibus, & renum vitiis ſupervenientes hæmorrhoïdes bonum.

Iiſdem fere verbis aphoriſmus hic legitur in *lib. de Judicat. n.* 10. ubi interpretes Cornarius & Foeſius, contra textum græcum, pro nephriticis poſuere phreniticos.

Melancholici ſanguine ſpiſſo & atro vix meabili donantur, unde ſtaſes; nephritici fiunt a ſtaſi vel congeſtione ſanguinis ad renes. Superveniens ergo hæmorrhoïdum fluxus ſolvet morbum, quia tollit cauſam; derivando ſanguinem deorſum, unde ſpaſmi vaſorum oppletorum ſolvuntur. Aphoriſmus non dicit fluentes, ſed ſupervenientes vel *ſuccedentes* hæmorrhoïdes: nam ſufficit quandoque, etiam citra evacuationem, mutata directio peccantis humoris. *Hecquet.* In melancholia attulit ſæpe curationem ſuperveniens tumentium valde hæmorrhoïdum fluxus. *Boerh. aph.* 1110. Nephritis ſanatur hæmorrhoïdibus initio morbi large fluentibus. *Ibid.* 996. Hoc itaque Naturæ conſilium in avertendis his morbis Medici merito imitari debent, & vel hæmorrhoïdes ad fluxum perducere, vel pedum venas aperire. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 258.

APHOR. 12.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

Hæmorrhoïdas diuturnas fananti, nifi una fervetur, periculum eft ne hydrops, aut tabes fuperveniat.

A Celfo *l.* 2. *c.* 7. *p.* 62. hic aphorifmus ita fcribitur: *Si ora venarum, fanguinem fundere folita, fubito fuppreffa funt, aut aqua inter cutem; aut tabes fequitur.*

Ora venarum in ano, αἱμοῤῥοΐδας Græci vocant, fi mediocriter & cum fanitate hominum fanguinem fundant, tantum abeft, ut in morbis hæmorrhoïdes iftæ ponendæ, multo minus fupprimendæ fint, fed ut falutares potius quam plurimis reputari atque adeo naturæ vigori ac beneficiis accenferi debeant, quæ hac ratione fanguinem abundantem & noxium per intervalla e corpore expellit. Siquidem tum infigniter fæpe a variis noxis, cumprimis malo hypochondriaco, melancholia, renum morbis, mania, podagra, afthmate, ifchiatico malo corpus levatur atque excitatur. Ubi vero nimis magna copia fanguinis ex his venis ex ano profluit, ita ut ægri vires amittant, periculum utique videtur, ne paulatim corpus cum egregio virium detrimento exhauriatur, vel hydrops inde fequatur: ita ut opportuna

tum curatio instituatur, ipsa renum necessitas postulat. Atque Veteres quidem, ubi medicamenta adstringentia parum proficiebant, escharotica imponebant; ferramentis candentibus urebant; capitula turgentia, si aderant, exigua cum basi tenui, lino adstringebant, atque sic eorum casum procurabant, vel, si essent illa majora cum basi latiori, paululum supra basin incidebant, loco qua capitulum incisum erat, acum immittebant, infraque eam lino id capitulum alligabant. Vid. *Hippocr. lib. de hæmorrhoïd.* & *lib. de Vict. acut. n.* 67. *Cels. l.* 6. *c.* 18. *n.* 9. & *l.* 7. *c.* 30. *n.* 3. *Paulus l.* 6. *c.* 79. *Aëtius l.* 14. *c.* 5. Recentiores autem, vel ipsa experientia magistra, didicerunt, veterem hanc curandi rationem, præsertim quæ igne instituitur, non nimis tantum crudelem esse, sed & plerumque prorsus perniciosam; & rectius plerumque facere, qui aut nullam prorsus ad hæmorrhoïdes fluentes curationem adhibent, si præcipue mediocriter ipsæ fluunt; aut, si justo largius sanguis effunditur, saltem nonnisi ab internis, eisque non adstringentibus, cumprimis fortioribus, sed temperantibus solum medicamentis sanitatis præsidia repetunt: non neglecta sanguinis abundantis per venas detractione. Si nihilo tamen minus operatio requiritur chirurgica ad sistendum largius sanguinis profluvium: tunc ante omnia sanguis multus per venam detrahitur; deinde alvus lenibus ac temperatis remediis ducitur, aliaque idonea remedia a Medico ordinantur, ac denique sex vel quatuor ante operationem horis, ad eluenda atque exhaurienda intestina, clyster sive lotio adhibetur: ac his factis, venæ hæmorrhoïdales vel filo ligantur, vel for-

fice

ſice reſcinduntur, vel erodentibus applicatis exeduntur aut obturantur. Vid. *Heiſter. Chir. p.* 1111 *ſq*. Quia vero magno beneficio ſunt ſanitati hæmorrhoïdes, proſpiciendum, ne omnes abſcindantur aut obturentur, ſed ſaltem una ſervetur, quæ purganti ſe naturæ emiſſario ſit, hoc enim penitus occluſo, ad vaſa majora remeans ſanguis, creabit hydropem, aut tabem. *Hecquet*. Plura alia incommoda creari ab importuna hæmorrhoïdum ſanatione, memoratum legimus apud Hippocratem *lib. de humor. n.* 11. *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 3. *n.* 65. *l.* 5. *n.* 10. & *lib.* 4. *n.* 31. In præſenti tamen aphoriſmo duorum tantum meminit tanquam frequentiorum, hydropis inquam ſcirrho in hepate, a craſſo ſanguine ibi conculcato, & tabis, ſanguinis ſputo intercedente. *Martian. p.* 465. Qui evacuabatur per vaſa hæmorrhoïdalia & excerni ibi locorum cum euphoria debebat ſanguis craſſus, jam vero non excerni amplius poteſt, in hepar regurgitat, ibique ob languidiorem motum ſpiſſior factus, excitat infarctus, indurationes, & facile ſcirrhum producit, unde generatur hydrops. Ita Trajanus Imperator, ex retentione hæmorrhoïdum aſciticus factus & curatus, ſed recidivam paſſus mortuus legitur apud Dion. Caſſium. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 439. Phthiſis autem ſeu tabes creatur poſt ſuppreſſum hæmorrhoïdum fluxum, a redundante ſanguine vaſa pulmonum infarciente, diſtendente, rumpente, unde hæmoptoë, & hinc phthiſis.

APHOR. 13.

Ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι, λύουσι τὸν λυγμόν.

Singultu detento si sternutamenta accedant, singultum solvunt.

Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. ita habet: *Singultus sternutamento finitur.*

Ratio, quia motus singultus est stomachi elevatio, quem sternutatio aliquantum deprimit, alioque motum divertit. Primo enim ex ingesto nimium cibo oriri singultum videmus (præcipue in pueris) unde stomachi extentio. Acidus quoque cibus & potus vellicando stomachum eundem causatur, cessatque hic motus aut divertendo aut spiritum detinendo. Prius fit in sternutatione, alterum patet ex eo, quod spiritus detentus ex parte singultum tollit. Idem senties converso ad seria animo, uti vulgo fieri solet; & aceto naribus admoto aut gargarisato, qui adstringit motumque spirituum inhibet. *Baco H. N.* §. 686. Videsis etiam *Aristot. Probl. sect.* 33. *n.* 1. & 8. Sternutatio est convulsio, & motus oppositus singultui. Hinc tollitur etiam cachinnis, terrore, & iracundia, quibus nervi quodammodo in tonum, & tensionem rediguntur. *Brin. de spir. an. p.* 348. Proxima singultus causa est materia lædens, a qua irritata ventriculi facultas, ut noxium expellat, motum illum facit, quæ quidem materia,

ria, ſternutatione ſuperveniente ventriculum concutiente, ab ejus fibris diſcutitur, quibus inhærens ſingultum faciebat: ſicque ceſſat ſingultus. Quæ quidem ratio omnibus ſingultus ſpeciebus convenit. Nam & qui ab hepatis, aut ventriculi inflammatione dependet, proximam cauſam habet materiæ præſentiam, a qua facultas ventriculi irritatur: qua quidem per ſternutationem diſcuſſa ceſſat ſingultus, etiamſi non in totum auferatur, remanet enim affectio, a qua nova materia genita ſingultum denuo movet. Quare ſummo artificio dixit Hippocrates *ſingultum ſolvunt*, ut indicaret, ſternutationem quidem ſingultum quemlibet ſedare, morbum autem, & cauſam illius non ſemper in totum auferre. *Martian. p.* 465.

Eſt ſingultus convulſio momentanea inter gulam & abdomen, ſedem habens in parte ventriculi nervoſiſſima, ubi nempe os ejus ſuperius committitur diaphragmati, ſub inſpiratione contingens cum ſonora aëris per os exploſione. Vel: ſi violenter diaphragma contrahitur, & thorax dilatatur, aër magni vi, nec ſine ſtrepitu, in pulmones impellitur, ſingultus ſit; juxta *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 124. Sternutatio fit convulſis muſculis abdominalibus & intercoſtalibus omnibuſque partibus exſpirationi dicatis, cum forti ac ſubita aëris inſpiratione ejuſque paulo poſt valida ac ſubita exſpiratione vehementer concutiente partes in thorace & abdomine contentas. Ergo ab vehementi concuſſionis motu in ſternutatione fiet diſcuſſio materiæ, vel mutatio oſcillationis, unde erat natus ſingultus.

Singultus a leviori cauſa exortus ſine medicamentis ſæpius feliciter ſiſtitur, quando videlicet

licet sub motu thoracis magis voluntario ipsum diaphragma cogatur, adeo ut fibræ ejus motrices tendantur vel relaxentur. Illud fit fortiori inspiratione, per cursum, per saltum, per vehementem equitationem; hoc vero per exspirationem fortiorem, per vociferationem, & si thorax fascia, seu zona constringatur; quod simplex & extemporaneum sæpe est remedium. Et hujus generis est sternutatio, quæ uti spontanea singultum tollit, ita Naturæ bene operantis minister, Medicus, arte eam provocare debet; & maxime, quando vel lenta & in flatus abiens materia ventriculi tunicis aut partibus proximis inhærescit, ad eam ipsam per vehementem exspirationem, dum viscera abdominis & inprimis ventriculus vehementer conquatitur, dejiciendam: minime vero sternutatio arte producta locum habet, ubi inflammatio vel subtilis caustica virulenta materia, altius nervosis partibus sese insinuaverit *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 437.



APHOR.

APHOR. 14.

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ, τοῦ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Ab hydrope detento, ubi aqua secundum venas in ventrem fluxerit, solutio fit.

Hæc sententia legitur iisdem fere verbis *in Coac. sect.* 3. *n.* 289. sed in *lib. de Judicat. n.* 11. h. m. *In aqua intercute detentis, si aquosus humor per venas in alvum aut vesicam effluat, solutio contingit.*

Intelligi debet aphorismus de anasarca & leucophlegmatia seu hydrope ad vasa aut secundum venas apud Hippocratem dici solito, eo nempe hydropis genere, ubi suis vasis serosus latex adhuc continetur; qui *secundum venas* per arterias lymphaticas *in alvum* effluens seu eructatus & per anum evacuatus solvit morbum, juxta 7 *aph.* 29. Oportet autem, uti non longe a morbi principio id contingat ægroti bono antequam partium tonus labefactatus sit, juxta monitum Hippocratis *l.* 2. *de morb. n.* 69. Conferantur annotata ad 7 *aph.* 29.

APHOR. 15.

Ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγενόμενος, λύει τὴν διάῤῥοιαν.

Longo alvi profluvio detento, spontanea accedens vomitio, alvi profluvium solvit.

Desumtus videtur aphorismus ex *lib.* 1. *de morb. n.* 6. ubi habetur: *Vehementi alvi profluvio detento, succedens vomitus bono est.* Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. ita reddidit: *Longas dejectiones supprimit vomitus.*

Fit revulsio materiæ morbificæ in contrariam partem; & illa revulsio ostendit naturam refici, ac vires resumere. Ut enim Medicus eorum, quæ ad partem aliquam fluunt, retractionem molitur; ita natura, cum prævalere incipit, humoris ad partem affectam confluentis revulsionem facit, dum illa pars refici ac roborari incipit. *River. p.* 283. Itaque vomitus solvit diarrhœam mutato impetu, quo deorsum irrumpebant succi, non ineunte morbo; sed cum jam materia prava vacuata est. *Heurn.* Hinc magnum nomen meruit Ipecacuanha in inveteratis diarrhœis. *Hecquet.* Alvum coactam vomitio solvit, & plus æquo fluidam sistit, illam quidem humectando, hanc vero siccando. *Hippocr. l.* 2. *de diæta n.* 36. Vomitus evacuationem sedat. *de loc. in hom. n.* 45. Hinc in intenso

tenſo lumborum dolore & alvi ſubductione largiore, ſumto veratro, ſpumoſorum crebra vomitio prodeſt. *Coac. ſect.* 3. *n.* 7. Cætero, aphoriſmi veritas non videtur univerſalis. Quod ſi enim alvi profluvium diuturnum naſcatur ex humorum colliquatione per totum corpus, qui continuo deponuntur ad inteſtina, vel ex debilitate inteſtinorum, qua aſſumta ſponte permittuntur corrumpi in inteſtinis, vel a vitiata bile, quæ omnis ex veſica fellea evacuari nequit, vel per ductum hepaticum continuo deponitur, his omnibus in caſibus & in multis aliis vomitus ſi accedat, augebit morbum: minuetur quidem quantitas dejectionis, ſed totus ille compoſitus morbus fiet gravior. Si eſſent ſigna indicantia hanc vel illam latentem cauſam proritare diarrhœam diuturnam, aliquid certi ex ſuperveniente vomitu hauriri poſſet; ſed quoniam hæc ſigna admodum ſunt ambigua, nihil certi ex vomitu ſuperveniente deduci poteſt. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 16.

Ὑπὸ πλευρίτιδος, ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγενομένη, κακόν.

Morbo laterali, aut pulmonum inflammatione conflictato, succedens alvi profluvium, malum.

In *lib.* 1. *de morb. n.* 6. eadem sententia legitur ita: *In morbo laterali aut pulmonis inflammatione detento, aut suppuratum thoracem habenti, alvus perturbata, malo est.*

Pleuritis & peripneumonia sanguinis sunt stases inflammatoriæ, pulmonibus & pleuræ insidentes, sputis solvi solitæ: diarrhœa vero superveniens subtrahit futura sputis pabula, unde pulmones arescunt, & acribus succis depasti, necrosin concipiunt. *Hecquet.* Secedente enim per inferiora humore, superiora siccescunt, neque sputum per superiora repurgatur. *Hippocr. l.* 3. *de morb. n.* 17. Malum inquit aphorismus, non letale, ut significet aliquos servari eorum, qui non admodum graviter laborent, hæc est enim proprietas vocis malum, ut indicet, ægrotantis conditionem deteriorem reddi, quod quidem in diarrhœa superveniente duplici ratione contingit, primo quia sputum supprimit, quæ sola tuta via his morbis recte terminandis censetur: qua quidem ratione omnis inferna purgatio in hujusmodi affectibus a

præ-

præceptore damnatur *lib.* 3. *de morb. n.* 22. quando morbus jam firmatus eſt, & ſputum procedere incepit (*Jam vero bilioſa exſpuenti, medicamentum ne exhibueris. Si enim exhibueris, ſputum per ſuperiora prodire minime poterit*, &c.); ex quo fit, etiamſi diarrhœa his morbis ſuperveniens ſemper ſuſpecta ſit, eo tempore tamen, quo ſputum nondum apparuit, non adeo malam cenſendam eſſe, imo aliquando obſervatum eſt, prædictis morbis per ſputum ſufficienter expurgatis, adhuc febrem perſeverare, quæ tandem per ſupervenientem alvi ſubductionem in totum ablata ſit. Nocet ſecundo diarrhœa ſuperveniens antequam concoctus ſit morbus, communi illa regula: nullam evacuationem a principio factam ſalutarem eſſe poſſe; quia talis evacuatio non a natura recte operante, ſed a vi morbi naturam exagitante ortum ducit, unde, cum per eam nec tollatur nec minuatur morbus, de hoc caſu dici poterit: Critica non judicantia, partim letalia ſunt, partim difficilis judicii. Non prætereundum eſt *lib.* 1. *de morb. n.* 6. ubi eadem ſententia legitur, additum eſſe *aut ſuppuratum thoracem habenti*, & jure merito: quia præter cauſas relatas, quibus hæc evacuatio mala eſt, peſſima eſt ſuppuratis, qui a ſuperveniente alvi fluore frequenter e medio tolluntur. *Martian. p.* 466. Conf. 5 *aph.* 12. Ergo mala hic diarrhœa ut cauſa, quia non juvat, ſymptomatica enim eſt, vires debilitans; ut ſignum, quia notat, ventriculum & inteſtina eſſe in conſenſum tracta. *Sebiz. Exerc. Path. T.* 1. *p.* 244. Etenim, non qualia purgari oportet, purgantur, juxta 1 *aph.* 2. Cæterum vero ignorari non debet, quod in recenti pleuritide & peripneumonia

aliquando divertat materia ad inteſtina, nec tamen lædat hujuſmodi alvi profluvium; imo judicet. *Holler.* & *Valleſ.* Quinimo ipſe Hippocrates 3 *de morb. n.* 17. ita præcipit: Primis quidem quatuor aut quinque diebus, paulo magis alvum ſubducere oportet, quo febres retundantur, & dolores leniantur; & *n.* 22: Si æger natura biliofus fuerit, & minime purgatus morbo correptus ſit, prius quam bilioſum ſputum exſpuat, medicamento etiam bilem probe purgato. Obſervatum vero quoque eſt, alvi fluxus etiam tardius evenientes ſalutarem tuliſſe opem. Juvenis annorum viginti, affectus pleuritide, ſumma cum ſpirandi difficultate, valida preſſus tuſſi, nihil exſpuebat, febre interim indies augeſcente, extreme poſtremo imbecillis, dum moriturus credebatur, oborto citato alvi fluxu ſub decimum quartum diem, ſanitati reſtitutus eſt. Vid. *Valleriol. Obſ. l.* 1. *obſ.* 4. Puer octo annorum pleuritide gravi cum febre acutiſſima laborans, ſine ſputo ullo procedente, tuſſi validiſſima infeſtante, difficili ac præfocativo ſpiritu, & cum ſtertore emiſſo, tum etiam delirio, & clamoribus horrendis: & convulſione tandem ſecuta, ſummaque virium defectione, pro deplorato habitus, prorogato in vigeſimum diem morbo, profluvio alvi circa id tempus oborto, eoque copioſo, incolumis evaſit. *Ibid. obſ.* 5.



APHOR.

APHOR. 17.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

Lippitudine laborantem alvi profluvio corripi, bonum.

Excerptus est hic aphorismus ex *lib. de Judicat. n.* 12. & *Coac. sect.* 2. *n.* 133. Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. eum ita expressit: *Omnis dejectio lippienti prodest.*

Ratio est, quia fit revulsio a supernis deorsum materiæ sive humoris ophthalmiam facientis. Debet ergo Medicus naturam imitari, cum illa morbum sanat. *Cardan. p.* 622. Conf. *Duret. in Coac. p.* 120. Enim vero optime caput ab humorum affluxu liberant laxantia, vel etiam pro circumstantiarum ratione purgantia. Et Galenus gravis testis est, nonnullos, quibus oculi inflammati, sola purgatione per alvum una die sanatos. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 525. Conf. 6 *aph.* 31.



APHOR. 18.

Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

Cui veſica perfecta fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum transverſum, aut tenue quoddam inteſtinum, aut ventriculus, aut jecur, letale eſt.

In *Coac. ſect.* 3. *n.* 387. ſcriptum eſt: *Ex vulnere autem fere mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum transverſum, vel cor, aut veſica, aut quædam grandis vena.* Eadem etiam habentur *l.* 1. *de morb. n.* 3. & *ibid. n.* 7. dicitur, quod *nervus præciſus non coaleſcat, neque veſica, neque aliquod ex tenuibus inteſtinis, neque vena multum effundens ſanguinem.*

Letalia pronunciantur vulnera veſicæ, cerebri &c. partium organicarum. Sed hoc aſſertum magna reſtrictione eget: obſervatum enim, homines hiſce vulneribus ſupervixiſſe. Hippocrates ipſe *lib.* 2. *Prædict. n.* 19 *ſq. Vulnera autem*, ait, *fere quidem mortem afferunt, quæ magnas venas, quæ ſunt in collo & inguinibus, læſerunt, deinde quæ cerebrum & hepar, deinceps quæ in inteſtina & veſicam pertingunt. Quæ ſane omnia magnam perniciem afferunt, non eam tamen, ut (quod quidam exiſtimant) nemo ex his ſervari poſſit. Nam & his nominibus præditi loci multum inter ſe differunt,*

runt, atque ipsi modi. Nec parum etiam cujusque corporis constitutio differt. Incidit enim interdum, ut neque febre, neque inflammatione tentetur sauciatus, interdum etiam nulla ex causa febricitat, nec aliquam corporis partem inflammatio prorsus occupat.— Ex cujusvis generis vulneribus homines mori contingit. Multæ namque in corporibus venæ tum tenues tum crassæ, si eo sponte sua ferri contingat, sanguinis profusione interimunt, quæ si alio tempore pertundantur, utilitatem afferunt. Non pauca autem vulnera, quæ in contemnendis locis, ac nulla re formidabilia esse videntur, in iis tanto dolore plaga cruciat, ut ægri respirare nequeant. Quidam vero præ vulneris dolore, quod nullo merito terreat, spiritum quidem traxerunt, delirio tamen ac febre perierunt. Quibus enim aut corpus ad febrem est opportunum, aut mens prompte perturbatur, iis talia contingunt. Ex quibus arguere licet: vulnera, quæ in uno homine mortem adferunt, in alio sanari; &, vulnera letalia evadere posse, quæ ex sua natura talia non sunt, ex constitutione nempe corporis in sauciato, propter funesta symptomata, quæ superveniunt, & sanguinis profluvium. quare etiam concludit Hippocrates, quod ex cujusvis generis vulneribus contingat, ut homines moriantur. Sic v. g. parvum vulnus, quod nemo letale dixerit, mortem inferre potest in corpore per phthisin exhausto. Si itaque letale intelligas pro eo, ex quo moritur æger, nulla non essent vulnera vocanda letalia. Distinctionibus uti oportet ad dirigendum circa letalitatem vulnerum judicium. 1. Dicuntur vulnera *per se*, seu *simpliciter* & *absolute* letalia, quæ nulla arte sanari possunt, sed inevitabili necessitate mortem inferunt. Talia sunt: ubi læsum est tale vas, vel viscus, quod sine cir-

culatione sanguinis sublata lædi non potest, v. g. si aorta mox ex pericardio egrediens discissa fuerit, aut cor profundius vulneratum, &c. Quæ influxum nervosi liquidi a cerebello in cor intercipiunt; quo pertinent læsio medullæ oblongatæ, & compressio aut corruptio ejusdem a cruore intra cranium effuso, item læsio aut præcisio nervorum cardiacorum, &c. Quæ respirationem integre tollunt, abscissa arteria aspera, insigniter læsis bronchiis, perforatis thoracis cavitatibus cum admissu aëris, vulneratis item mediastino, atque diaphragmate, maxime in tendinea ejus parte, &c. Quæ chyli ex ventriculo & intestinis transitum ad cor tollunt, vulneratis ventriculo, intestino tenuiori, ductu thoracico, œsophago, &c. Quæ inflicta partibus, ex quibus emanans cruor, aliusve humor, bilis, urina, chylus &c. derivatur in loca, unde educi nequit. 2. Vulnera *per se* & *sibi relicta* letalia, arte vero curabilia, si Chirurgus in tempore adveniat: v. g. sunt vulnera encephali terebra levanda, vasorum majorum, ad quæ datur manui chirurgi accessus, &c. 3. Vulnera *casu* sive *per accidens* letalia; culpa Chirurgi, vel ægri, & temperie hujus seu naturali seu morbosa. Vid. *Boerh. aph.* 150--153. & 170--172. *Heister Chir. p.* 50 *seq. Hebenstr. Anthrop. for. p.* 344. 357. Solet aliquando letalitas vulneris definiri per tempus, intra novem dies, &, si intra hunc terminum vulneratus moriatur, mors tunc fuisse dicitur effectus vulneris. Sed prudentiores in judiciis de ejusmodi rebus ferendis Medici, probe edocti, non semper ad letalitatem constituendam sufficere mortis celeritatem, nec ad eam tollendam, tarditatem, arbitrantur; neque

que letalitatis vulnerum rationem a tempore insequutæ mortis determinandam, sed ab ipsius partis læsæ nobilitate & vulneris conditione, aliarumque circumstantiarum diligenti pensitatione petendam esse pronunciant. Vid. *Hebenstr. l. c. p.* 362. Exempla vulnerum absolute letalium post sex septimanas demum mortem inferentium videri possunt in *Eph. N. C. vol* 5. *obs.* 140. *an.* 6. *obs.* 123. Conf. *Wolf. Obs. p.* 8 *seq.*

Nunc ostendendum est, cum quibus restrictionibus vulnera in præsenti aphorismo recensita, letalia appellari queant.

Sectio *vesicæ* letalis est, quæ fit in superiori ejus seu membranacea parte, quæ alias vocatur fundus vesicæ; nam tunc non modo intestina statim per vulnus exeunt, sed & urina in cavum abdominis influit, putrescit, & hominem sic interficit. Non autem esse letalem, si fundus vesicæ evitatur, inciso tantum vesicæ corpore, super ossibus pubis nimirum, in spatio quod est inter ossa pubis & peritonæum, monstrat lithotomiæ illa species, quæ vocatur methodus Franconica seu apparatus & sectio hypogastrica. Nec est letalis sectio in collo vesicæ, ut fit in lithotomiæ apparatu dicto magno, & in methodo laterali. Neque letalis est vesicæ punctura seu punctio non solum in perinæo sed etiam in hypogastrio instituta ad educendam in ischuria urinam. Vid. *Heister. Chir. p.* 914. 925 *sq.* 942. 957. 984. 1006. & conf. *Hebenstr. l. c. p.* 562. Miles plumbea glande ictus, cum effracto pubis osse, vesicam habuit summe dilaceratam; cujus tamen vulnus ad cicatricem perductum est. Vid. *Tulp. l.* 4. *c.* 30.

De *Cerebro* rariſſime contingit, ut vel exiguo vulnere tactum mortis cauſam non adferat, corpore partim reſoluto, partim convulſo. *Cardan. p.* 625. Notabile tamen eſt, quod nulla cerebri vulnera, ſi modo ſtagnantibus humoribus exitus mature poſſit concedi, in ſe ſint letalia, quod ingens clavus ſalva vita per caput & cerebrum canis, modo non ſinus cerebri vel medulla oblongata tangatur, transfigi poſſit. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p* 466 *ſq.* Vulnera quidem Duræ matris haud vacant diſcrimine: & ſingulis diebus exempla ante oculos habemus, ubi minima punctio, in parte adeo exquiſito ſenſu prædita, inflammationem, febrem, delirium, mortemque accerſiverit. Quamobrem Albucaſis magnopere caveri jubet, dum membrana hæc ab oſſe ſeparatur, quod terebræ ope facile fieri poſſe inquit; & quo omnis ejus offenſa vitetur, marginem quandam inſtrumento aptari imperat, quæ id nimis alte deſcendere prohibeat: quod inventum poſtea, alis inſtrumento adjectis, Fabricius ab Aquapendente in melius mutavit: neque dubitari poteſt quin omnis iſta circumſpectio in operatione perquam neceſſaria ſit. Utcunque id eſt, haud modo vulnera in iis menbranæ hujus partibus, quæ vaſis ſanguiferis paulo grandioribus vacant, facta novimus, ſed membranæ quoque particulas ab ea ſeparatas, ac materiam, quæ vel ſub ea vel in duplicatura ejus jacet, eo pacto effuſam, integritate poſtea ægris reddita. Quodque validius argumentum eſt, etiam cum aliquid ex ipſa cerebri ſubſtantia prodierit, homo aliquando ad ſanitatem perductus eſt. *Freind. H. M. p.* 260. Ruptis meningibus, ut conſpectui pateret cerebrum,

cujus

cujus & dein portio non exigua exemta fuit, cum in putredinem tenderet, puer arte ſanatus legitur in *Eph. N. C. Vol.* 4. *obſ.* 90. Alia exempla ſanatorum, quibus de ſubſtantia cerebri aliquid ablatum fuit, vid. apud *Blank. Coll. Cent.* 3. *obſ.* 43. & 72. *Hildan. Cent.* 1. *obſ.* 13. *Helw. Obſ. p.* 63. Cardanus *l. c.* ex Braſavolo refert de quodam, cui in cerebro vulnerato tanta cerebri ſubſtantiæ quantitas exivit, quantum eſt gallinæ ovum, & tamen evaſit: licet deinceps probe loqui & expedite non potuerit, ſtupidus quoque & ineptus reliquo vitæ ſpatio, quod tamen triennium non exceſſit, ſupervixit. Et de milite *ibid.* legitur, cui ferme capitis dimidium cum ſua cerebri portione ablatum fuit, convaluitque: ſed neque recordabatur, nec loqui poterat, ſed ſtupidus nihil ad propoſita reſpondebat, ſtercus & urinam demittebat in lecto, nec comedebat, niſi quæ in os imponerentur, infantis omnino mores habens. Conferri merentur ſcripta ab Ill. Ellero, in *Hiſt. ac. ſc. Berol.* 1752. *p.* 306 *ſq.* item *J. C. Teubeleri Diſſ.* ſub præſidio A. E. Buchneri, *de vulneribus cerebri non ſemper letalibus. Halæ* 1740. 4°.

De *Corde* palam eſt, non plerumque ſolum, ſed ſemper vulnera ejus mortem afferre. *Cardan. p.* 624. Si cordis ſubſtantia, præſertim ad cavitates penetrante vulnere, læſa ſit, celerrime mortem inferri neceſſe eſt. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 48. Vulnera cordis mortalia ſunt, non quia cor vulneratum eſt uti pars, & membrum vitalia principia producens, ſed uti pars, quæ debebat fluida vitalia in gyrum impellere: diſſoluta enim vaſorum, cavitatumque cordis textura, quæ recipere, & repellere fluida vita-

lia debent, consequenter cessare etiam debet in ipsis fluidis motus, ac proinde vita. *Bagliv. p.* 276. Conf. *Hebenstr. Anthrop. for. p.* 480. Sanatum cordis vulnus, ventriculos ejus non penetrans, vid. in *Wolf. Obs. p.* 90. Miles quidam, vulnere in cavitatem cordis penetrante, ut ex cadaveris dissectione patuit, cum insigni inflammatione dies novem superstes fuit. Alius vulnerato dextro ventriculo ad sextum diem spiravit. de quo Bartholinus *H. A. Cent.* 1. *hist.* 77. vid. *Rhod. Cent.* 2. *obs.* 39. De pericardii vulneribus non letalibus legatur idem Rhodius *Cent.* 1. *obs.* 38.

Septi transversi vulnera absolute letalia statuuntur, maxime si ea inflicta fuerint parti ipsius tendineæ; quia ejus actio requiritur ad respirationem, illoque agere cessante viscera abdominalia truduntur in thoracem, & sic expansionem pulmonum impediunt. Interim observatum est, hominem diaphragmate vulnerato, globo sclopetario, per octo annos incolumem vixisse, qui post strenuum in castris Veneris conflictum, dyspnœa laborans, materia purulenta rejecta, mortuus est. In ejus cadavere pulmones sani inventi, nisi quod alterius lobi margo tenerior justo, & carni maceratæ similis diaphragmati adhæserit, & apertis ad sensum tubulis, in foramen diaphragmatis, pugnum fere admittens, hiaverit, per quos materia illa purulenta pulmonibus ab aëre incumbente impacta & tussi rejecta fuit. A vulnere diaphragmati olim inflicto ulcus hîc & vomica generata fuit, quæ foramen diaphragmatis tantisper occlusit, & aëri interno viam intercepit, donec a rupta vomica pureque rejecto foramen redintegratum spirandi effecit difficul-

tatem. *Valent. Polychr. exot. p.* 78. Diaphragma, ob vaſorum, arteriarum, nervorum, ac venarum, quibus omnibus phrenicis nomen eſt, copiam, hinc ob ſummam ſuam, in qua ſemper eſt, tenſionem motumquè illum perpetuum, ſine quo reſpiratio atque vita ſtare nequeunt, vulnera accipit periculoſiſſima, &, prout cadunt, abſolute letalia. Poſſet vulnus inter infimas coſtas inflictum pulmones præterire, atque in carneo ſepti limbo ſubſiſtere; tali vulnere, ſi ſolum eſt, niſi a cauſa aliqua interveniente, nemo interit; quamvis enim ſumma reſpirandi difficultas tunc ſit, & fere ſuffocatio; attamen, cum vaſa ibi diſſecta ſanguinem copioſum haud fundant, nec tendo ibi ſit, majorve nervus, ex ſymptomate magis, quam ex vulnere, ſi quis perit, moritur, paraphrenitide ſcilicet aut ſepti inflammatione, quam repetita ſolvere potuiſſet ſectio venæ, cum aliis pharmacis gangrænam cohibentibus. Aſt, ſi vel tendo diaphragmatis, vel, qui illum perforat, œſophagus in os ventriculi ſuperius excurrens, ſimul læſus eſt, vel vaſa, vena cava, quæ dextra parte per ſeptum adſcendit, vel aorta, inter crura diaphragmatis prope vertebras lumborum deſcendens, vel nervi majores ſepto proprii, vulnerantur, ſique propinqua viſcera, hepar a dextris, lien a ſiniſtris, læſa ſimul fuerunt, atque etiam, ſi ſolus diaphragmatis tendo læſus eſt, mors evitari haud potuit. Eſt etiam incruenta aliqua diaphragmatis læſio, quæ, ex tremore & convulſione occidere potuit, ſi, ob inflictum ſcrobiculo cordis, veluti dici ſolet, ſeu regioni epigaſtricæ, ictum, mors conſecuta eſt, quæ de neceſſitate eveniſſe tunc dicitur. *Hebenſtr. l. c. p.* 496.

Inteſtina

Intestina tenuia vulnerata mortem inferunt, quoniam tunc nec excrementa continere possunt: nec, si non contineant, consolidari, nec si transmittant, perpetuo supervivere homo potest. Ob id si quid horum ita vulneretur, interit homo ferme semper. *Cardan. p.* 627. De jejuni vulnere latiori, sola pulveris terebinthinæ coctæ adspersione, & strictiori diæta sanato, est observatio apud *Blegny Zod. an.* 1. *p.* 6. Ilei intestini insignes portiones ablatæ mulieri superstiti; *ibid. an.* 3. *p.* 57. De vulnere ilei, cum hiatu per inguen dextrum permanente, non letali, historia est in *Eph. N. C. vol.* 3. *obs.* 71. De ileo in hernia incarcerata gangræna affecto, post integumenta cultello chirurgico dissecta, denudato, aperto, fundente interdum assumta per vulneris aperturam, ægra tamen superstite, legi potest *ibid. vol.* 9. *obs.* 3. Equidem vulnera intestinorum tenuium, licet summe periculosa sint, curam quandoque recipiunt, si vulnus amplum est, ut consui intestinum possit, cum possibile est, vulnus dilatare & intestinum læsum ad oram vulneris externi adducere, inque illo glutinare. Hæc vero opportunitas ægroto non ubique favet, sed, etiamsi vulnus patens est, si intestinum totum præcisum fuit, & tubus ejus in abdomen hiat, atque sua contenta illuc dejicit, nisi Deus, nemo hoc vulnus sanabit. Omnis denique spes evanescit, si, cum intestino, membrana quoque, qua illud vincitur atque colligitur, mesenterium scilicet, vel mesocolon, sauciantur. Intestinum duodenum, quod ventriculi continuus tubus est, atque sese ab ejus ostio inferiore ad usque mesocolon exporrigit, a quo principium jejuni ducitur, ita abscondi-

tum

tum sub hepatis sinistro lobo ponitur, ipsiusque ventriculi fundo subjacet, ut, nisi his perfossis, sauciari nequeat, adeoque absolutam, si læsum est, letalitatem adfert; deinde, in se spectatum, spem curæ aliquam facere propterea nequit, quoniam ex ejus vulnere & ventriculi liquida omnia & utraque bilis, tam, quæ ex hepate ipso, quam, quæ ex vesicula fellea descendit, & liquor ille, qui ex pancreate, mediante ductu pancreatico, ad duodeni tubum vehitur, in cavum abdominis effunduntur, ibidemque putrescunt letaliter. *Hebenstr. l. c. p.* 345. 539. Exemplum ilei intestini disciffi, auxilio futuræ persanati legi potest in *Phil. Trans. vol.* 50. *p.* 35. Conf. *Franc. Mery Quæst. An tenuium intestinorum vulnus letale? Paris.* 1734. 4°. *Haen. Rat. Med. P.* 7. *p.* 174 *sqv.*

Vulnera *ventriculo* inflicta, alia sunt letalia, alia non; pro loco nempe illius, cui illata fuerint. Leve vulnus orificio ejus sinistro seu superiori inflictum solet esse letale, nam ibi est inprimis sensilis ab insignes nervos circa illud intrantes. Ubi stomachus (summum scilicet ventriculi os) percussus est, singultus & bilis vomitus insequitur: si quid cibi vel potionis assumtum est, id redditur cito: venarum motus elanguescunt: sudores tenues oriuntur; per quos extremæ partes frigescunt. *Cels. l.* 5. *c.* 26. *n.* 15. Letalia etiam sunt vulnera magna ventriculi, quæ efficiunt ut humores ejus in cavitatem abdominis effundantur; item si arteriæ ejus lædantur in forti ejus contractione, quæ tunc multum sanguinis in dictam eructant cavitatem. Sunt vero multæ annotatæ observationes, quæ testantur alia ventriculi vulnera non letalia. Sic de vulnere ventriculi ultra

undecim

undecim annos aperto, ſuperſtite viro, legi poteſt in *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 5. *obſ.* 1. Extat *Aug. Wenckeri Diſſertatio inaug. ſiſtens obſervationem rariorem de virgine, ventriculum per viginti tres annos perforatum alente. Argentor.* 1735. 4°. Prodiit poſtea Pars Diſſertationis hujus altera, quæ inſcribitur: *Chriſtiani Wencker Diſſ. inaug ſiſtens virginis per viginti ſeptem annos ventriculum perforatum alentis hiſtoriam & ſectionem. Argentor.* 1743. 4°. Nata erat perforatio ex rupto abſceſſu. De ulcere ventriculi, in regionis epigaſtricæ latere ſiniſtro patente, per quietem curato, eſt in *Eph. N. C. vol.* 3. *obſ.* 52. A ſpica hordei deglutita perforatus ventriculus, illa per formatum in latere abſceſſum exitum ſibi parante, vulnus vero ſponte naturæ ſanatum eſt. Vid. *Journ. Sav.* 1688. *P.* 2. *p.* 343. Alia exempla foraminum in ventriculo ſponte naturæ conſolidatorum, ex ſectionibus cadaverum relata ſunt *ibid. p.* 360. Ligula (inſtrumentum ferreum exacuendis cultris apud lanios deſtinatum) deglutita, perforato ventriculo prodiit per excitatum in hypochondrio dextro abſceſſum, & homo ſanationem recepit: qui idem poſtmodum deglutiit cultrum vaginæ incluſum, quem hiatu facto paulo ſupra & ad latera vertebrarum lumborum, terram ligone verſans, excluſit, ſanuſque iterum evaſit. Vid. *Blegny Zod. an.* 1. *p.* 87. Jo. Jeſſenius *Relationem* dedit *de ruſtico Bohemo cultrivorace*, quæ extat cum *Dunc Liddelii Arte Medica, Hamb.* 1628. 8°. excuſa. Hiſtoria ibi deſcribitur de deglutito cultro, qui applicatis ventriculo ſuppurantibus, poſt nonum menſem ex inguine egreſſus eſt. Dicitur vulgo ruſticus ille cultrivorus Pragenſis. Anno 1658. Moguntiæ in Germania, ancilla

qua-

quadraginta circiter annos habens, ſub delirio melancholico-hypochondriaco mortem ſibi conſciſcendi animo deglutivit cultrum octo tranſverſos pollices longum, qui per decem hebdomadum & quinque dierum ſpatium in ventriculo deliteſcens, in latere ſiniſtro per abſceſſum ſponte naturæ factum extractus eſt, ægra perfectæ ſanitati reſtituta. Vid. *Com. Litt.* 1743. *p.* 127. Eſt hiſtoria ruſtici Poloni, a filio D. Ericii Puteani viſa. Agreſtis homo tentaverat ſibi anguinam in gutture aperire, brevi cultro, quem incautus deglutivit, eundemque tandem dextro abdominis latere, cum multo pure, poſtque multas anxietates reddidit, & incolumis ſupervixit. — Ambroſius Paræus refert de quodam, quem latrones coëgerant deglutire cultrum, quem dein ſoſpes reddidit per apoſtema lateris. Vid. *Helmont. p.* 476 *ſqv.* De cultro deglutito per apoſtema in abdomine factum protracto, in puero cultrivoro Halenſi Saxonico, vid. *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 10. *o.* 1. & *p.* 419. & *Wolfg. Chriſtoph. Weſener der Hälliſche Meſſer-Schlucker. Hal.* 1692. *fol.* Præterea novimus cultros deglutitos e ventriculo exſectos, patientibus operationi chirurgicæ ſuperſtitibus. Duæ nempe extant hiſtoriæ, quæ utræque contigerunt in Pruſſia. Altera eſt de cultrivoro Pruſſiaco communiter appellato, quam deſcripſit Medicus qui operationem direxit, Daniel Beckher, hoc titulo: *De cultrivoro Pruſſiaco obſervatio & curatio ſingularis, decade poſitionum, variis variarum obſervationum hiſtoriis refertarum, illuſtrata. Regiom.* 1636. 4°. Recuſus eſt libellus hicce *Lugd. Bat.* 1638. 8°. & iterum 1640. 8°. cui tertiæ editioni acceſſerunt teſtimonia, ſimileſque aliquot admi-

randæ

randæ curationes. Relatio de hoc cultrivoro, ſine dictis acceſſionibus, prodiit etiam germanico idiomate, auctore eodem, cum hac epigraphe: *Hiſtoriſche Beſchreibung des Preuſſiſchen Meſſer-Schluckers. Regiomonti* 1643. 4°. & extat in *Chr. Hartknochi* Chronico Pruſſiæ (vernacule *Alt und Neues Preuſſen*) *Francof. & Lipſ.* excuſo 1684. fol. *pag.* 349--355. Conf. *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 8. *obſ.* 167. Altera hiſtoria concernit cultrivoram Warmienſem (in Pruſſia) an. 1720. a Medico Henr. Bernh. Hübnero feliciter curatam, qui de hoc caſu edidit *Relation von der Ermlændiſchen Meſſer-Schluckerin. Regiom.* 1720. 4°. & de eodem legi poſſunt *Bibl. German. T.* 3. *p.* 260. *Breſl. Samml.* 1720. *Jul. p.* 96.

Poſſunt ex vulnere ventriculi convaleſcere illi maxime, quibus plenus, cum vulnus acciperet, ventriculus fuit; nam vomitu facto, rejectiſque contentis, in ſe contractus criſpatuſque, ſuum vulnus ille claudit. Hinc valida muſcularis ventriculi tunica glutinari; clauſo manente vulnere, atque applicari medicina ore infuſa poteſt, imo vaſa ſanguiflua per planum ſuperius ambulantia, etiam majuſcula, ſi diſſecta ſunt, contracto in ſeſe ventriculo, contineri poſſunt, ac vomitus, tanquam ejusmodi vulneris ſymptoma ſolemne, valida ventriculi contractione, ipſum vulnus magis claudere poſſe videtur. Præterea, ſi victus ſervatur tenuis, ſi vena aliquoties ſecatur, ſi emulſa, cum nitri particula, parvis hauſtibus, deglutiuntur, ſi colon ægri enemate repletur, ſanari poterit, qui vulnus, intactis partibus aliis, ſolo accepit ventriculo, poteſtque, ſi in cura commiſſum aliquid eſt, quod vulnus exaſperare potuit, vel ex neglectu, vel ex

cauſa

causa aliqua alia interveniente, defunctus esse perhiberi, qui vulnus tale accepit. Sed, nisi cibo potuque repletus est ventriculus, attingi ille, a vulnere, visceribus aliis simul haud læsis, nequit, cum, si vacuus est, sub hepatis lobo sinistro, atque musculis abdominis rectis sternum attingentibus, alte sit reconditus. Nemo adeoque vellet excusare ventriculi vulnus, quod simul vel hepar, vel lienem, vel diaphragmatis carneam partem in alterutro latere transfodit. Opus etiam est, quo illi, qui ex vulnere ventriculi sanari potuisse dicitur, adfuerit euphoria & symptomatum remissio. Quod si autem nullo medicamine vomitus, singultus, cardialgiæ, motusque convulsivi impediri potuerunt, si ista symptomata a vulnere accepto ad mortem usque duraverunt, etiamsi vulnus in funere visum magnum non est, vasa magna dissecta haud sunt, sanguis in cavum abdominis haud confluxit, mortem tamen necessitate absoluta attulisse læsio videbitur, quia causa mortis alia haud adest, symptomata letalia ex vulneris natura fluunt, & quoniam ex vulnere ventriculi, in cavum abdominis atque inter intestinorum circumvolutiones, alimenta ante assumpta effusa fuerunt, quæ sua putredine mortis causam simul attulerunt. *Hebenstr. l. c. p.* 534 *sq.* Denique allatis hactenus superaddamus casum rarum, qui doceat, vulnera ventriculi non omnia letalia esse, licet consolidationi non auscultent. Reperitur in Diom. Cornarii *histor. admir. p.* 37. (quæ prodiere cum Ejusd. *Consiliis Medicinalibus. Lips.* 1599. 4°.) his conceptus verbis: „ An. 1566. in Bohemia „ rusticus quidam in venatione ictus est ve- „ nabulo lato in stomachum, sub καρδίᾳ, seu

„ ejus orificio. Vulnus hoc letale & amplum,
„ nulla arte, vel consilio consolidari potuit,
„ paulatim vero labia vulneris tractu temporis
„ occalluere, ita quod vulneratus per annos
„ plures supervixerit. Hic vero tandem se-
„ cundum artem instrumentum quoddam vul-
„ neri applicavit, interdum drupis & pannicu-
„ lis lineis hiatum vulneris infarsit, & ita af-
„ fabre obturavit, ut, quum vellet, stoma-
„ chum per supernas partes elueret, & cibos
„ ac potus ingurgitatos ex stomacho per vul-
„ nus emitteret, quando liberet ".

Jecoris vulnera, etiam magna, teste Galeno, non prorsus mortalia sunt, imo præcisa extrema parte effatu digna aliqui supervixerunt: quoniam in his neque præ dolore, neque ob aliud mors, quam ob sanguinis exitum, contingit. *Cardan. p. 626.* Vulnera hepati inflicta ægerrime sunt sanabilia, quia non contingere possunt sine læsione vasorum sanguiferorum; gibba tamen ejus superficies vulnerara consolidari interdum patitur, si non alte penetraverit vulnus, & extravasatus sanguis deferatur per poros bilarios in ductum choledochum & ex hoc in intestinum duodenum, ut per anum evacuari queat: ast cava hujus visceris pars, utpote majoribus & pluribus donata vasis, judicari solet letalis, quia sanguis in abdomen effusus putredinem induit; cui malo accedit, quod ibidem stagnans ægre educi queat. Vid. *Hebenstr. l. c. p.* 546. 550. *C. F. Kaltschmied Diss. de vulnere hepatis curato, cum disquisitione in letalitatem vulnerum hepatis. Jenæ* 1735. 4°.

APHOR.

APHOR. 19.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

Os cum perfectum fuerit, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coalescit.

Paulo aliter hæc scribuntur in *Coac. sect.* 3. *n.* 381 *sq. Præcisus nervus, aut quod in gena est tenue, aut præputium, non coalescit. Neque corporis os quodcunque rejectum, neque cartilago augetur.* Apud *Celsum l.* 5. *c.* 26. §. 3. malum dicitur vulnus, *quodcunque musculum, aut nervum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læsit.*

Partes dictæ, quæ sat inconsulte vocari consuerunt spermaticæ seu similares, nec augentur, nec coalescunt juxta hunc aphorismum. Vulnera illarum vel sociam habent propriæ substantiæ deperditionem seu jacturam, dum ab illis aliquid abscissum; vel integra manente partium substantia, simplices continui sunt solutiones. Si jactura substantiæ facta fuerit, resarciri nisi cicatrice rudi, vel incomptâ nequit, interposita solum succorum quasi farragine, qui decurtatis vasorum extremitatibus adscititiæ appendices facti, legitimas quæ periere partes non restituunt, at supplent spurias. Si facta

fuerit tantum textûs fciffura, difficilis fiet coalitus, hincque ulcera & fiftulæ, nervofarum partium adeo familiares. *Hecquet.* Si coalitus difunitarum partium eft difficilis, haud eas coalefcere, non dici poteft. Quam ergo veritatem præfens nobis narrat aphorifmus? Nonne vulnera illis inflicta partibus quotidiana fere experientia confolidari conftat, effufo nempe ex vafis cuique parti propriis, vel ad illam defmentibus, humore illi in unitate folutæ rurfus connectendæ apto? *Offa* fiffa, fracta, diffecta, coalefcere rurfum, docet *Heifterus* in *Chir. p.* 216 *fq.* Albucafis, fcriptor Arabs, in errore eos verfari contendit, qui *cartilaginem* vulnere divifam coire rurfus non poffe afferunt. Vid. *Freind. H. M. p.* 270. Vid. etiam *Heifter Chir. p.* 216 *fq.* & *Hebenftr. Anthrop. for. p.* 472. De *nervis* dubitari póteft an coalefcant. „ Nam quo-„ ties nervus aliquis præcifus fuit, rigidum pro-„ tinus, amiffoque fenfu tabidum redditur illud „ membrum, in quod nervus ille difciffus exten-„ ditur. Ut adeo mirum non fit, ftatim exfpi-„ rare illos, quibus nervi ad cor feptumque „ transverfum tranfeuntes difrumpuntur. Pe-„ riculofum quoque vulnus eft, ubi nervus ali-„ quis nonnifi ex parte fuerit incifus. Quic-„ quid enim in fibrillis læfum eft, retrahitur, „ contra vero quicquid integrum in illis eft, „ nimium quantum diftenditur: unde fieri haud „ poteft, quin acutiffimi dolores & fpafmi, „ convulfiones item, inflammationes & gan-„ græna, quin & ipfius quandoque mortis pe-„ riculum fuboriantur ". *Heifter ibid. p.* 47. Suturæ forte beneficio nervi penitus difciffi coalitum promoveri, innuere videtur experimentum in cane captum, quod eft in *Scultet.*

Armam.

Armam. p. 494. & aliud in homine, recensitum in *Bresl. Samml.* 1722. *Decemb.* p. 685. Conf. *Eph. N. C. D.* 1. a. 1. *obs.* 124. De *genæ*, & *præputii* ut partium cutanearum vulneribus consolidandis rescire volentem Scriptores Chirurgici non destituent.

APHOR. 20.

Ἢν ἐς τὴν κοιλίην αἷμα ἐκχυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si sanguis in ventrem præter naturam effusus fuerit, ut in pus vertatur necesse est.

In *lib.* 1. *de morb. n.* 3. sententia hæc legitur in hunc modum: *Quod si sanguis ex vulnere aut vena in superiorem ventrem fluxerit, id in pus verti necesse est*: quæ quidem indicant, quid per *ventrem* intellexerit aphorismus, & quid hoc verbum *suppurari* significet. Non nego tamen eum, qui aphorismum collegit, longe clariorem & fideliorem sententiam transferre potuisse. *Martian.* p. 467. Clarius loquitur Hippocrates *lib. de flat. n.* 17. *Sanguis in alienum locum effusus, mora computrescens in pus vertitur.* Ita etiam *sanguis in pulmonem effusus, in eo putrescit, cumque putruerit, pus facit*; *l.* 1. *de morb. n.* 10. Vid. *ibid. n.* 12. & 15. De sanguine item, qui in utero quinque aut sex mensibus moratus fuerit, scribitur, quod *ibi putrescens in pus vertatur*; in *lib. de nat. puer. n.* 7. Celsus aphorismum ita red-

 didit

didit *l.* 2. *c.* 7. *p.* 62: *Si in ventrem ſanguis confluxit, ibi in pus vertitur.*

Intellige, quod ſanguis in ventrem ſeu cavitatem aliquam corporis ex vulneratis vaſis effuſus putreſcat; quod ſuppurare vocat Hippocrates ut videre eſt *l.* 1. *de morb. n.* 11. Hinc præceptum apud *Boerh. aph.* 236: Sanguis in cava corporis per vulnus delapſus inde ocyus educendus ſitu corporis, ſuctu per fiſtulam, ſi recens, vel dilutus primo, apertura vulneris dilatata, vel nova.

APHOR. 21.

Τοῖσι μαινομένοισι, κιρσῶν, ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγενομένων, τῆς μανίης λύσις.

Inſanientibus ſi varices, aut hæmorrhoïdes acceſſerint, inſaniæ ſolutio fit.

Apud *Celſum l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. hic aphoriſmus ita ſcribitur: *Varix ortus, vel per ora venarum ſubita profuſio ſanguinis, vel tormina, inſaniam tollunt.*

Omnes maniaci a ſupervenientibus varicibus, aut hæmorrhoïdibus liberantur, facta revulſione humoris maniam facientis ad inferiores partes. *Martian. p.* 467. Intellige varices, i. e. venas ultra conſuetum dilatatas & in tumorem elevatas, in cruribus. Nam hi varices indicant impetum ſanguinis a capite ad crura & pedes converſum fuiſſe, atque uti adſcenſus violentus

tus ſanguinis ad caput ejus venas diſtendit, easque varicoſas reddit; ita ſi iidem humores ad inferiores partes ſe convertunt, itidem varices in iis generant, atque tunc varicibus internis & ſuperiorum partium ſuccedunt externi & inferiorum partium, quod bonum eſt, & inſaniam ſolvit, tranſlata humorum copia a partibus nobilioribus ad ignobiles. *Fric. Parad. med. p.* 114. Hæmorrhoïdes tanquam varices quoque ſunt. *Liſter.* Varices, aut hæmorrhoïdes, profunt etiam vacuando nihil; ſed ſufficit dum vel determinatio fuerit ſanguinis facta mutata, & ſanguinis ſtaſis a parte nobiliori ad ignobiliorem tranſlata. *Hecquet.* Phreniticis varices, vel hæmorrhoïdes fluentes proſunt. *Boerh. aph.* 779. Maniæ fruſtra tentatæ per omnia remedia, varix, hæmorrhoïs &c. accedentes, ſalutaria fuerunt. *ibid.* 1124. Conf. *Hoffm. Med, rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 205. Sideratis (apoplecticis) ſuccedentes hæmorrhoïdes utiles. *Hippocr. Coac. ſect.* 3. *n.* 318.

APHOR. 22.

Ὁκόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομίη λύει.

Rupta, quæ ex dorſo ad cubiti articulos deſcendunt, venæ ſectio ſolvit.

Sive legas *ruptiones* ῥήγματα, ſive *fluxiones* ῥεύματα, ſive etiam *dolores* ἀλγήματα, res eodem redit. Ruptiones hic ſignificabunt toni

 partium

partium ruptas aut fractas resistentias, unde violatis vasorum diametris, inæqualis fit sanguinis circuitus, hinc Helmontio *inæquabile partium robur*, quod rumpi est partium æquilibrium. Quasi ergo diceret Hippocrates, quando sub rupto partium æquilibrio franguntur resistentiæ partium, quæ brachium protegebant ab humorum a dorso irrumpentium affluxu, aut ab oscillationum spasmodice undulantium eò descensu, unde stases humorum, spastici dolores, molestiæ, aut ad motum difficultates, tunc venæ sectio auxilio est; duplici autem de causa, tum quod ad oppositas partes aversum sanguinis fluentum, materiæ minus sufficiat brachii molestiis, tum quod sic detumendo vasa in se concidant, ad proprios redeant diametros, nativamque recuperent soliti toni modulationem. Sic humorum ad brachium affluxus prohibetur, suaque circulationi restituitur æquabilitas. *Hecquet*. Hæc in clariorem lucem ponuntur per ea, quæ *Hippocrates l.* 1. *de morb. n.* 16. docet: Quibusdam cum imbecilla in carnibus ac venis convulsa facta, non suppurant, sed diuturni fiunt dolores, & ruptiones vocantur. Et quæ quidem in carne fiunt, ad hunc modum fiunt. Cum caro aut divulsa, aut ex plaga, aut aliquo modo affecta, dolorem aliquem habuerit, livida evadit, non sincero sanguine, sed tenui & aquoso, eoque pauco. Ubi vero plus solito resiccata fuerit, tum incalescit, tum dolorem exhibet, & ad se ex venis & carnibus propinquis humiditatem trahit, ac ubi supra modum humectata fuerit, eaque humiditas a carne admodum incaluerit, per totum corpus, qualis attracta est dispergitur. Et magis sane in venas quam in carnes spargitur,

ſpargitur, cum hæ magis quam carnes trahant, quanquam etiam carnes trahunt. Cum vero ad copioſam corporis humiditatem pauca a carne attracta fuerit, obſcura & doloris expers evadit, & pro morboſa temporis tractu ſaneſcit. Quod ſi caro tum magis incaluerit, tum copioſam humiditatem traxerit, dolorem exhibet, & ad quamcunque corporis partem ab ipſa cum impetu delata fuerit ac incubuerit, dolorem gravem excitat, & quibuſdam videtur ruptum tranſmutatum eſſe, quod tamen fieri non poteſt. Sed quæ ſunt ejuſmodi & alia prope ad ulcus accedunt. Humiditas autem de carne per venas prorumpit, cumque incaluerit, & craſſior copioſiorque evaſerit, dolorem exhibet, donec reliquo humori tenuitate & frigiditate ſimilis extiterit. Quod autem attinet ad ea, quæ in venis fiunt, ipſa quidem vena in quantum convellitur, loco manet, cum vero convulſa fuerit (quod contentione & vi accidit) ſimilis fit varici. Incaleſcit autem & ad ſe vaporem quendam humidum attrahit, qui ex bile & pituita provenit, cumque ſanguis & humiditas de carne permixta fuerint, incraſſeſcit ſanguis, ipſeque multis modis, qua parte venam convelli contingit, ſe ipſo morboſior & longe ſtabilior evadit, cumque copioſior extiterit, plenitudo quolibet transfertur, ita ut quibuſdam ruptum loco migraſſe videatur. Quod ſi ad humerum tranſierit, gravitatem in manu & ſtuporem ac torporem inducit. Et ſi in venam incubuerit, aut ad humerum & dorſum tendat, confeſtim plerumque dolor ſedatur. Ex hac Hippocratis doctina elucet, quod duplex ipſi ſtatuatur ruptionum genus, alterum in muſculis, in ve-

 nis

nis alterum, ibi ecchymosis, hic varicosus tumor; utrumque excitatum a plaga, casu, contentione vel alio quopiam violento motu: unde spastici dolores, & in præsente aphorismo a varicosis tumoribus ortæ in brachiis molestiæ venæ sectione solvendæ. Conf. *Gorr. defin.* voce ῥῆγμα.

Quotiescunque per causam aliquam distendentem solvitur vel membrana, vel fibra, vel caro musculosa, pars talis *rupta* dicitur. Si igitur in palæstra vehementi conatu membrorum quædam fibræ musculi vel tendinis in dorso fuerint ita ruptæ, ut dolor hujus læsionis usque ad cubitum protendatur, signum est, dolorem per consensum etiam partes remotiores afficere: Ut nunc illa doloris propagatio minuatur, qui ex ruptione fuit natus, admodum conducit sanguinem mittere. Qualis vena autem sit aperienda, non indicat auctor; sed quia ad motum majorem compescendum optimum est proximas venas aperire, ut ita eo in loco maxima fiat depletio, non inconveniens videtur, venam istius cubiti esse aperiendam, ad quem dolor descensum fecit. Si vero esset humor tenuis & acris, qui ex dorso descendit ad cubitum, uti in morbis catarrhosis, minus conducere arbitrer venæ sectionem, quum humor acris non latitet in sanguine arterioso, qui rediturus est per ejusdem brachii venam, verum potius in succo nervoso, qui humor non facile evacuari potest sanguine evacuato ex aliqua vena. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 23.

Ἢν φόβος, καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

Metus, & triſtitia ſi diu perſeverent, melancholicum id ipſum.

Celſus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 62. hunc aphoriſmum ita exponit: *Si longa triſtitia cum longo timore & vigilia eſt, atræ bilis morbus ſubeſt.*

Sub metu & triſtitia ſtringuuntur vaſa, arctantur diametri, ſegneſcunt oſcillationes, tardantur fluida, ſpiſſeſcunt, ſtagnant, unde melancholicæ diatheſes. *Hecquet.* Longa triſtitia, animique angor ſolvit partium robur, vires depaſcit, circulum ſanguinis lentiorem facit, adeoque obſtructiones vaſorum, viſcerumque infarctus gignit. Vid. *Hoffm. Idea fund. Med. cap.* 7. & *Med. rat. T.* 2. *p.* 167. In moerore & triſtitia inprimis affici videntur ventriculi fibræ membranaceæ tenuiſſimæ inter diaphragma, ventriculum, hepar & lienem ſitæ, quarum magna vis eſſe poteſt in comprimendis nervis, & mutandis diametris vaſorum, hinc depravandis ſecretionibus. Manifeſtior effectus deprehenditur in ventriculo, de cujus languore primo conqueruntur moerentes, mox de inappetentia, oris amaritie, & ſiti circa horas matutinas, cruditatibus acidis & nidoroſis, flatibus & tenſionibus hypochondriorum, apepſia. *Albrecht effect. Muſ.* §. 200. Moerore & timore perſpirat levius; ponderoſius vero relinquitur.

tur. Hinc timentes & moerentes facile obstructiones, partium duritiem, & affectus hypochondriacos patiuntur. *Sanct. Stat. Med. sect.* 7. *aph.* 2. 3. Sed potest etiam aphorismus noster intelligi, quod indicet, a perseverantia metus & tristitiæ jam præsentem denotari melancholiam. Equidem, ut ait *Aretæus l.* 1. *de caus. diut. c.* 5. inter notas melancholicorum evidentiores sunt, quod quieti aut tristes, abjecti torpentesque sint absque ratione. Adeo ut dicti magni affectus animi faciant humorem atrabilarium seu succum melancholicum, tum vero ab hoc, etiam aliunde nato, vicissim producantur, foveantur & veluti pabulum suum recipiant. Vid. *Boerh. aph.* 1093 & 1094. Moestitia & timor impediunt perspirationem crassorum excrementorum perspirabilium: & perspiratio impedita a quacunque causa moestitiam & timorem facit. *Sanct. l. c. aph.* 8. Quibus a sanguine crasso vasa magna distenduntur, minima vero in superficie inania coalescunt, cutis est strictior, illi sunt meticulosi. *Albrecht l. c.* §. 209. Qui laborant ventriculi debilitate, diarrhoeis, tensionibus hypochondriorum & obstructione hepatis & lienis, ad moestitiam, levissima, & sæpe nulla data occasione, sunt proclives, ut observatur in hypochondriacis & melancholicis. *ibid.* §. 207.

APHOR.

APHOR. 24.

Ἐντέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται.

Ex tenuioribus inteſtinis ſi quod perfectum fuerit, minime coaleſcit.

Deſumtus eſt hic aphoriſmus ex *Coac. ſect.* 3. *n.* 379. & explicatus habetur ſub 6 *aph.* 18.

APHOR. 25.

Ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

Eryſipelas foras effuſum intro verti, minime bonum: at ab interioribus foras, bonum.

Extat hic aphoriſmus in *l.* 1. *de morb. n.* 6. *Eryſipelas* inflammatio eſt flavo-rubra, ſuperficiaria, in ipſa quaſi cute terminata, ſedem ſuam habens in vaſis ſeroſis per dilatata oſcula ſua admiſſum etiam ſanguinem rubrum continentibus, nec illum per fines tranſmittere potentibus; quæ cum bonis ægri rebus per procuratam auctiorem tranſpirationem ſolvitur, juxta notata ad 5 *aph.* 23. Uti vero retrogradorum

dorum morborum quorumque pessima est ratio atque eventus; ita etiam erysipelatis ab exterioribus ad interiora conversio *minime bonum est*, ex eo, quod materia morbifica ad interiora relegata nervosas maxime partes obsideat, in quibus gravissima pathemata producit, nec tam facile ex iis rursus evelli potest. Quare oportet utique Medicum hos omnes morbos, qui facile ab exterioribus ad interiora revertuntur, cautissime tractare, & ab omnibus iis, quæ ullo modo repellendi facultate pollent, uti sunt externa constringentia, item purgantia, emetica, sanguinis missiones, ab ambitu corporis humores revocant, abstinere. Contra nihil præsentius est, quam ejusmodi in morbis corpora in perpetua leniori & æquabili transpiratione servare, & omni modo a topicis sibi cavere. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 145. *T.* 3. *p.* 187. *T.* 4. *P.* 1. *p.* 307. *P.* 3. *p.* 523. Hinc in *Coac. sect.* 3. *n.* 103 & 104. *erysipelas foris quidem extare utile, intro autem vergere letale. cujus quidem rei indicium est, cum rubore evanescente pectus gravatur, & ægrius spiritum trahit æger.* Conf. *l.* 1. *de morb. n.* 13. *Prænot. n.* 23.

Erysipelas ab interioribus foras verti, bonum, ut signum & causa: ac signo quidem, victricis naturæ quæ sponte sua deponit ad cutim capacem, materiam quæ sibi negotium facessebat: ut causa autem, vacuitate symptomatum intolerabilium, & restituta libertate spirandi & deglutiendi: quæ duo sunt officia ad vitam tuendam necessaria. *Foras vero effusum intro verti, minime bonum*, ut signo & causa. Ac signo quidem, superstitis empyreumatis in foco unde prorupit humor, cujus etiam manet vis effera in tenui substantia, & qualitate acri, unde attractio

&

& impulsus: causa autem, quoniam humoris feritas, partis ipsius quò cursum inflectit substantiam labefactat. Sed in respirationis œconomia mortifera est talis palindrome: propter excellentiam præstantiamque partium spirabilium, quarum officio, pene dixerim, ad punctum temporis vita carere non potest. Talis palindrome respirationem adimit. Quicquid autem respirationem adimit, vitam tollit. *Duret. in Coac. p.* 222. Matrona annos nata 67. erysipelate pedis per hiemem totam vexata, vere primo disparente illo tumore convaluisse existimabatur: sed supervenit lethargus, obmutuitque illa, ac septimo die placidissime exspiravit. *Act. Hafn. vol.* 1. *obs.* 14.

Causa nimirum materialis Erysipelatis videtur causticæ, acris & putrefacientis indolis esse. vehemens enim ipsius in partes nervosas operatio, totius corporis œconomiam functionum illico graviter turbans. Longe gravior adhuc, quando expulsa materia retrocedit, quippe quæ tum haud secus ac venenum, cito deliria, inflammationem internam, asthma convulsivum & spasticas stricturas ciet sæpe letales. Ne dicam gangrænam & sphacelum, quæ erysipelas inprimis male tractatum facile excipiunt, virulentiam materiæ luculenter satis prodere ac indicare; quæ videtur ex bile variis ex causis vitiata & corrupta reddita, in duodeni flexura stagnante diutius, ibi cum succo pancreatico confermentata quasi & caustica facta, conflari, inde successive ad sanguinem & cerebri spinalisque medullæ membranas ferri, universum nervosarum & vasculosarum partium systema male afficere, febrem efficere, donec demum ad externum corporis ambitum

ambitum pellatur. Elucescit ita veritas alterius in aphorismo effati, quod *bonum* sit, si *ab interioribus foras* vertatur erysipelas; idque eo magis, quod salubritatis plane notam quandoque ferat, quum observatum sit, alios morbos, præsertim asthma convulsivum, nec non colicam convulsivam, erysipelate superveniente, fuisse feliciter sublatos. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 306. 308.

Id quod de erysipelate hic vidimus, idem etiam de omnibus inflammationibus valere observatur in praxi medica. Exemplo anginæ confirmatur doctrina hæc in *aph.* 37. huj. sect. Verum in reliquis etiam omnibus abscessibus, præcipue si in ipsis emunctoriis, aut circa eadem fuerint, idem utplurimum observare licet. Emunctoria enim cum partes sint raræ, molles, laxæ, spongiosæ ac debiles, materia ab illis facile ad partes nobiles, quæ eis sunt proximæ, repellitur. Vid. *Hildani Cent.* 3. *obs.* 77. Sed nonne præsens aphorismus pugnat cum illo qui est 23. sect. 5. ubi de aquæ frigidæ usu externo, repellendi fine, dicitur, quod erysipelas quidem lædat exulceratum, juvet vero non ulceratum; ergo repellere licebit erysipelas quamdiu non fuerit ulceratum; juxta præsentem vero aphorismum minime bonum censeri debet, si erysipelas intro vertatur? Conciliationem tentat Vesalius *p.* 1067. dicendo, in præsente aphorismo sermonem esse de jam facto erysipelate, in quo jam putruit materia, & propter putredinem acquisivit quodammodo naturam veneni, & ideo tunc malum esse ipsam intus propellere; in altero autem aphorismo materiam repercutiendam præcipi principio fientis erysipelatis, seu primo

insultu

insultu materiæ, ut tumoris generatio impediatur. Attamen neque sic omnino sublata esse videtur dicta textuum oppositio: nam identidem observatum est, quod, si nimis mature, ubi in expellendo noxio humore adhuc occupata est natura, tumores erysipelacei repulsi fuerint applicatis camphoratis, res infelicem sæpius habuerit successum; quum tamen eadem remedia conferant, ubi ad exitum properat affectus, eo videl. fine, ut partibus per decubitum materiæ debilitatis pristinum reddatur robur. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 523.

Aphor. 26.

Ὁκόσοισιν ἂν πυρετοῖσι καυσώδεσι τρόμοι γένωνται, παρακοπὴ λύει.

Quibus in febribus ardentibus tremores contingunt, delirium solvit.

In *lib. de Judicat. n.* 11. legitur: *Tremores in febribus delirium solvit*; & in *Coac. sect.* 1. *n.* 185. ita: *In febribus ardentibus tremores delirio solvuntur.*

Tendinum subsultus in febribus ardentibus, malum; accedens delirium illos solvit, translata phlogosi ad cerebrum, sed extrema vitæ simul portendit. *Hecquet.* Febris ardens cum tremore abit in delirium, inde in mortem. *Boerh. aph.* 741. An per delirium ac febrim promtius extenuabuntur, & dissolventur humores nervorum fibras vellicantes, adeoque

ſimul ab utriſque æger evadet? Juxta hunc ſenſum ſententiam vertit *Celſus l.* 2. *c.* 8. *p.* 69: *Cui calor & tremor eſt, ſaluti delirium eſt.*

APHOR. 27.

Ὁκόσοι ἔμπυοι, ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται, ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου ἢ τοῦ ὕδατος ἀθρόως, πάντως ἀπόλλυνται.

Qui pus thorace colligunt, aut hydropici ſunt, ſi uruntur, aut ſecantur, aut pus, aut aqua confertim effluxerit, omnino intereunt.

Nam, ſive aqua inter cutem quem implevit, ſive in magno abſceſſu multum puris coiit, ſimul id omne effudiſſe, æque mortiferum eſt, ac ſi quis ſani corporis vulnere factus exſanguis eſt. *Celſ. l.* 2. *c.* 8. *p.* 73. Quippe ſimultanea emiſſio humoris in magna copia alicubi hærentis, ſive hydropici, ſive ſuppurati, gangrænam ſphacelumque adfectæ partis induxiſſe obſervatum eſt. Partes enim vicinæ, ab humore ſeroſo (in hydropicis), vel purulento (in ſuppuratis), præternaturaliter collecto admodum preſſæ tenſæque, ſubitanea evacuatione vel eductione flaccidæ valde fiunt, magnamque liquidorum continuo allatorum copiam admittunt, quæ autem ob imminutam vaſorum reſiſtentiam eorumque elaterem libere avehi, viciniſque ſanis tradi nequeunt, ideoque accu-

mulata & ſtagnantia tandem corruptionem putrilaginoſam ſubeunt, & ſic gangrænam ſphacelumque ſuccedentem poſt ſe trahunt. Ubi tamen effuſi humores in tali corporis loco hærent, ubi pro ratione factæ, vel fientis evacuationis partes faſciis inductis firmari iterum poſſunt, vel copioſæ evacuationes non adeo ſunt reformidandæ. *Schulz. de abſceſſ.* §. 26. Hinc & recentiori methodoper paracenteſin abdominis in aſcite educitur confertim, imo omnis aqua, obſervando ut abdomen a ſuperioribus ad inferiora manibus fortiter comprimatur, dum aqua profluit, & poſtquam omnis effluxit, ut faſciis illud ſatis vehementer adſtringatur. Vid. *Mead Monit. p.* 145.

APHOR. 28.

Εὐνȣ̃χοι ȣ̓ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίγνονται.

Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt.

APHOR. 29.

Γυνὴ ȣ̓ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτέῃ ἐκλίπῃ.

Mulier podagra non laborat, niſi cum menſtrua ipſi defecerint.

APHOR. 30.

Παῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

Puer podagra non tentatur ante Veneris uſum.

Hos aphoriſmos *Celſus l.* 4. *c.* 23. *p.* 237. ita reddidit: *Quæ in podagricis chiragricisve eſſe conſuerunt* (vitia), *ea raro vel caſtratos, vel pueros ante fœminæ coitum, vel mulieres, niſi quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, tentant.*

Eadem cauſa, quæ Eunuchos a calvitie tuetur, eadem a podagra eos præſervat, Hanc aſſignavit *Ariſtoteles lib.* 5. *de generat. anim. c.* 3. *quia in fœminam mutantur.* Eadem igitur cenſenda eſt cauſa, cur podagra non laborant, quia nec mulier podagra laborat, niſi menſtrua defecerint. Sed adhuc dubitari poteſt, cur mulier podagra non laboret? Non quidem (ut multi credidere) quia in illis materia deficiat, quæ ſingulo menſe per menſtruas purgationes educitur; ſi enim hoc verum eſſet, ſequeretur, mulieres non a podagra modo, ſed ab aliis etiam morbis præcaveri, qui a materia dependent, quod experientiæ adverſatur: præterea etiam pueri non laborant podagra, & tamen humoribus ob ingluviem abundant. Quare, cum nec pueri, nec mulieres, nec Eunuchi podagra laborent, cauſa indaganda eſt, his omnibus communis; hancque eſſe dicerem humorem quendam tenuem, & acrem, qui ſan-

ſanguini commixtus ad articulos confluit, in quibus ſenſim accumulatus corruptionem a bile, & pituita contrahit, ſanguinemque ſimul corrumpit. Podagræ enim generationem deſcribens *Hippocrates lib. de affection. ſect.* 2. *n.* 32. *Et eſt quidem* (inquit) *hic morbus ſanguinis in venulis a bile, & pituita corrupti.* Cum igitur hic humor potiſſima ſit cauſa generationis podagræ, ideo evenit, ut nullum efficacius remedium excogitari poſſit pro præſervatione ab hoc morbo, quam vini abſtinentia, & eorum omnium, quæ acrimoniam in humoribus inducere poſſunt; ſed vini loco, ſimplicis aquæ potu, cibiſque omni acrimonia expertibus uti, quo quidem præſidio nonnullos in totum a podagra liberatos eſſe novi. Prædictus ergo humor in pueris, & eunuchis non generatur, propter humiditatem temperamenti; in mulieribus vero quibusdam etiamſi generari contingat, quia tamen per menſtruas purgationes ſingulo menſe educitur, podagram in illis inducere non poteſt, niſi menſtrua deficiant. Hac igitur ratione ſtante, perperam ex aphoriſmo 28. colligunt, coitum maxime ad podagricas affectiones diſponere, præterquam quod experientia hanc opinionem evidenter damnat, cum videamus maximam partem eorum, qui in monaſteriis degunt, a podagra vexari, cum tamen caſtitatem obſervent. Hanc igitur iſtius aphoriſmi veram rationem eſſe exiſtimo, cujus veritati non ſtatim detrahendum eſt, ſi mulier, aut eunuchus articulorum doloribus vexari conſpiciatur. Nam dolor ille non erit podagra, ſed arthritis: quorum affectuum non levis eſt inter eos differentia. Nam, ut lib. cit. Hippocrates teſtatur, arthritis juvenum peculiaris eſt, & tam mulieribus, quam viris commu-

nis, uti experientia demonſtrat. Podagra vero potius ſenibus convenit. Quæ non animadvertens Galenus, in hac materia ſibi parum conſtans, arthritidem podagræ conſectariam facit; unde in commento ait, arthriticos fere omnes prius podagricos fieri, cum tamen in ſubſequenti commentario a rei veritate compulſus, arthritidis naturam a podagra diſtinctam olfecerit. *Martian. p.* 467 *ſq.*

Hippocrates in libro cit. *de affection. n.* 31. 32. arthritidis geneſin adſcribit bili & pituitæ, cum agitata ad articulos decubuerint; podagram eſſe vult morbum ſanguinis in venis a bile & pituita corrupti, a quo magis tenues venulas corporique plurimum neceſſarias nervoſque & oſſa multa ac crebra ſubeunte morbus fit ſtabilior & ægerrime profligatur: ab arthritide ait corripi alium atque alium articulum, morbumque eum junioribus magis quam ſenioribus contingere; ex omnibus autem ejuſcemodi circa articulos morbis, podagram exiſtere violentiorem, & maxime diuturnum, ægerrimeque ſolvendum: utrique tamen morbo præſcribit remedia eadem. Haud vero ſolis ſenibus eſſe infeſtam podagram, innuit textus in *lib.* 2. *Prædict. n.* 15. ubi de podagra hæc docemur: *Qui in ſenectute tophos aut callos in articulis induratos habent, aut laborioſe vitam tolerant, cum alvo ſicca, ii ſane omnes humana arte ſanari nequeunt. — Qui vero juvenis eſt, necdum circum articulos callos induratos habet, — is ſane prudentem nactus Medicum, ſanus evadet.* Neque illud prætereundum eſſe arbitrer, quod ipſemet *Martianus p.* 215. ubi ſecundum Hippocratem dolorum articularium quatuor recenſet ſpecies (quæ ſunt iſchias ſeu coxendicum morbus; arthritis ſeu articularis morbus per excellentiam

 dictus;

dictus; podagra, quasi dicas pedum ægritudo; & κέδματα seu articulorum dolores diuturni, non admodum vehementes;) quod, inquam, ad podagram referat non solummodo dolores, qui pedem infestant, sed æque podagram esse censeat dolorem, qui manum, aut cubitum, aut quemlibet alium articulum occupat, dummododo podagræ essentia ei competat; quam ut ab arthritide distinguat, multa satis subtiliter disputat. Sed vereor, ut omnium assensu hæc dicta sint: videntur enim eo pertinere, ut evincatur non esse podagram, sed arthritidem, qui observatur morbus articularis in mulieribus ante quam menstrua defecerint, in eunuchis, & in pueris, atque sic aphorismorum præsentium veritas veniat in lucem.

Hodie communiter Arthritis dicitur articulorum dolor profundus, pungens, vellicans, tensivus, distendens, sæpe cum tumore, rubore, itemque ardore & febre, ac interdum cum tophis aut nodis affligens; sedesque ejus statuuntur articulorum ligamenta, & tendines musculorum, qui motibus eorum inserviunt, cum periosteo seu membrana ossa circumvestiente. A parte affecta denominatur, & in quatuor species destinguitur, ita ut in manu vel carpo dicatur *chiragra*, in genu *gonagra*, in coxa *ischias*, in pede *podagra*. Sed habet etiam alia nomina pro parte affecta, qualia sunt v. g. *onagra* in cubito, *omagra* in scapula, *dentagra* in dentibus, &c. Causam mali proximam constituit liquidi nervosas partes alluentis acrimonia & major tenacitas, nimiaque vasculorum minimorum angustia & rigiditas. Supponit illa interdum labem hæreditariam, vel & contagium; sed frequentius perversum rerum non naturalium usum, ex quo generatur nervorum labefactatio,

& cruditatum fit accumulatio, unde pullulat indigeftio vifcerum non attenuantium, affimilantiumque fatis affumta in indolem requifitam in liquido nervofo. Referunturque eo ut cauſæ procatarcticæ: ingluvies cum vita fedentaria, otiofa & defidi; imo & exercitia vehementia; acidorum acriumque vinorum ufus nimius; Venus præmature, nimis, culta; animi affectus; refrigeratio tranfpirationem fufflaminans; confuetarum fanguinis excretionum retentio, v. g. menftruorum, hæmorrhoïdum vid. *Boerh. aph. cap. de Podagra.* Hippocratis quidem temporibus (inquit *Galenus ad* 6. *aph.* 28.) pauci omnino podagra laborabant, propter honeftam vitæ temperantiam; noftra vero ætate aucto hucufque epularum luxu, ut nihil fupra addi poffe videatur, infinita eft podagra laborantium multitudo; quum nonnulli nunquam fefe exerceant, fed & prave concoquant, feque inebrient, & ante cibum vina fortia potent, ac immoderata Venere utantur. Et vero fæpe cum peccatum magnum eft, in uno eorum, quæ diximus, deliquiffe, fat eft. *H. J.* Et Mead (*Monit. p.* 196.) ,, Podagra, ait, illo- ,, rum hominum, qui plus fatis genio indulfe- ,, runt, plerumque morbus eft; in quo natura ,, ex onufto corpore id, quod fibi inimicum eft ,, & noxium, in articulos protrudere nititur". Conf. *Hotting. de Vino Difp.* 3. *p.* 12 *fq. Bacmeift. Diæt. aul. c.* 1. §. 5. Aliam etiam caufam accufari poffe, quæ podagram producat in pueris, eunuchis, & mulieribus, verifimile facit locus in *Athen. l.* 2. *c.* 10. ubi Hegefander ex Pythermo fuis temporibus intra viginti annorum fpatium Moros fructum non tuliffe affirmat, atque tantam podagræ peftem omnes invafiffe,
ut

ut non homines ſolum, ſed pueri, puellæ, eunuchique, & mulieres eo morbo laborarent; quæ item in caprarum greges ita gravis irrepſit, ut vix tertia earum pars non infeſtaretur. Annon aëris inclementia, quæ Moris inimica extitit, etiam pedum morbos producere potuit? Vid. *Mercur. Var. Lect. l.* 1. *c.* 24.

Nunc, his præmiſſis, amplius aphoriſmi noſtri ſingulatim excutiendi ſunt.

AD APHOR. 28.

E*unuchorum* alii ſunt, qui Caſtrati dicuntur; alii Spadones; alii Thlaſiæ, aut etiam Thladiæ; & alii Thlibiæ appellati. *Caſtrati* dicuntur, quibus ante pubertatem non ſolum teſtes, ſed etiam virile membrum exſectum eſt, ut apud Turcas fieri conſuevit; vel etiam tales ſunt, qui ſine teſtibus progeniti, vel ab ipſo primo ortu exſecti nil virile habent. Atque hi proprie Eunuchi appellantur. *Thlaſiæ* & *Thladiæ* ſunt, quibus teſtes ſolummodo in prima ætate fracti fuere (dicti a θλάειν *contundere*); *Thlibiæ* (a θλίβειν, *atterere*, *elidere*), qui attritos habent teſtes, quemadmodum fit in juvencis, ut in opera campeſtria facilius ducantur. *Spadones* ſunt illi, quibus meatus pudendorum, per quos vel materia ſeminis, vel ſemen emittitur, propter impedimentum aliquod, fortaſſe in ipſa eorundum conformatione, anguſti, vel obſtructi ſunt, adeoque fit, vel ut ſemen nullum fiat, vel inefficax, & minime prolificum, vel etiam quod extra vaſa ejaculari non poſſit, quam ob rem ex iſtis nonnulli ſunt, qui nequeunt generare, non quod

ſemen fœcundum minime gignant, ſed quod propter aliquod impedimentum, v. g. propter vinculum, quod ad virgam habent, ſemen effundere nequeant, eo quod in ſuis cavitatibus, aut flexuris hæreat; unde σπάδωνες & ὑποσπαδιαῖοι dicuntur ἀπὸ τοῦ σπάειν vel σπᾷν, h. e. *convellendo*, quod ſcilicet vinculum, quod ad virgam habent, pudendum ſic convellat, ut meatus ejus contortus ſemen intus retineat, nec extra ferri ſinat. Sed & alii licet ſemen emittant, infœcundum tamen illud eſt. Spadonibus quoque adnumerantur ex Alciato, qui cum uno tantum teſte nati ſunt, aut qui altero duntaxat ſunt exſecti. Qui dicuntur ab Hippocrate Eunuchi non laborare podagra, illi proprie intelligendi erunt Caſtrati, & quidem ii, qui in ætate puerili, ante quam pubeſcere & ſemen progignere cœperint, teſtium reſectionem paſſi ſunt. Nam Thlaſiæ, Thlibiæ, & Spadones, plane poſſunt podagra corripi, cum, licet ſemen non efficiant, bene tamen concumbere poſſunt. *Tozzi. Fuchs.* Thlaſias & Spadones, Spadones potiſſimum, Reginis olim, & aliis mulieribus, quæ iniri volebant, non parere, in deliciis erant. Nam perpetuo fere arrigunt, neque mentula ſunt emortua, quod nihil unquam emittant, ſed tantum arrigant. Hinc *Juvenalis 6 ſat.* 365 *ſq.*

Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quod abortivo non eſt opus.

Conf. *Fritſch. Geſch. P.* 1. *p.* 373 *ſq.* ICtis evirati dicuntur vel *Spadones* vel *Eunuchi*; inter quos hanc ponunt differentiam, ut Spado dicatur

catur qui unius est testiculi vir seu monorchis, altero exciso, quique generare potest: ast Eunuchus vel castratus utroque testiculo destituitur, qui illi per vim exemptus fuit. Adeoque Spadonibus, ab evulso testiculorum altero dictis, matrimonium contrahendi libertas Romæ concessa fuit, qua Eunuchi carebant. Ad hos pertinent θλαδίαι ἢ θλιβίαι, a θλάω *frango* dicti, quibus vel compressi & paulatim elisi, didymi sunt vel confracti aut manibus attriti, ut mulierem impraegnare porro non possint. Vid. *Hebenstr. Anthrop. for. p.* 619 *seq.*

Castrandi modum duplicem Veteribus usitatum, quorum alter contusione, alter excisione perficitur, Paulus *l.* 6. *c.* 68. ita describit: „ Prior quidem in hunc modum. Pueri ad- „ huc infantes in aquæ calidæ solium collocan- „ tur: deinde ubi (corpora) eodem solio fue- „ rint relaxata, digitis testiculi premuntur, „ usque dum aboleantur & evanescant, & dis- „ soluti non amplius ad tactum occurrant. Ex- „ cisione hac ratione perficitur. Resupinatur „ in sedili qui eunuchus fieri debet, & scro- „ tum cum testiculis, sinistræ manus digitis „ premitur: quo facto duas lineas rectas (ita „ ut ad singulos testes una fiat) scalpello in- „ cides: ubi exilierint testiculi (a darto sepa- „ rati) exsecabuntur, ita ut tenuissimum so- „ lum naturale vasorum commercium relin- „ quatur: atque hic modus eo qui per contu- „ sionem fit magis probatur. Nam qui contu- „ sionem testiculorum sunt experti, nonnun- „ quam Venerem appetunt, parte aliqua ut „ verisimile est testiculorum inter contunden- „ dum delitescente ".

Cur Eunuchi non calvescant, Hippocrates

lib.

lib. de nat. puer. n. 18. 19. caufam hanc adfert: *quod neque vehementius moveantur, neque phlegma in coitu incalefcens, pilorum radices exurat*: nam *qui calvefcunt, ii fane phlegmate redundant, quod per coitum in eorum capite agitatum & incalefcens, in fummam cuticulam illapfum, pilorum radices exurit, ita ut pili effluant.* Calvities a ficcitate cerebri fit; nec poteft adeo exficcari cerebrum fine Venere, ut calvitiei caufa fit: at Eunuchi Veneris expertes: Ergo. Quod vero a ficcitate cerebri fit calvities, docuit Hippocrates 6 *Epidem. fect.* 3. *in princ. Cerebri confumtio, unde & calvitium.* Confumto enim cerebro, ut in fenectute, abfcedit ab offe & cute, decidunt capilli. hoc ergo cum ob humidum abundans neque mulieribus, neque pueris, nec eunuchis accidat, merito nulli horum calvities contingit. *Cardan.* Juxta Ariftotelem deficiunt ac defluunt per ætatem maxime primique pili capitis, non tamen omnes, fed tantum priores: quam lævitatem appellamus: non tamen prius, quam cœptus coitus Venereus fit, id accidit, fcilicet iis qui fua natura eo funt propenfiores; cum enim cerebrum frigidiffimum omnium corporis partium fit, tum rei venereæ ufus refrigerat: caloris nempe finceri, naturalifque fecretio eft: itaque cerebrum fentit merito prius; enim quæ imbecilla, vitiofaque funt, caufa parva, exiguoque momento immutantur: Calvitii mulieres effe immunes, & pueros, & fpadones, apertum eft: pili poft geniti, iis, qui ante pubertatem caftrati funt, non exeunt; & poft pubertatem excifis, foli decidunt, præterquam pubis. Vid. *Ariftot. Hift. Anim. l.* 3. *c.* 11. *de generat. anim. l.* 5. *c.* 3. Id dici poffe exiftimem, calvitiem oriri a labafcente virtute humorum

morum per vasa sua motorum, nec sufficiente ad peragendas consuetas excretiones, & ab obstructis cutis poris. Quare senibus, & in magnis morbis pili defluunt: in cicatricibus non proveniunt, quod ibi locorum omnes meatus obcæcantur, uti ait *Aristoteles* 9. *Probl.* 13. Quum fœminæ humidiores sint ac frigidiores viris, ideo non solum minus capillatæ, sed etiam minus pilosæ sunt. Quicquid novo pilorum proventui ansam dat, id eo redit, ut pori relaxentur ac simul fibris & tubulis pilorum robur quoddam ad expulsionem necessarium suppeditetur, & denique sufficiens regeneretur succus, cujus motus versus caput est determinandus. Hinc ætas juvenilis gaudet pilorum proventu; & viri pilosiores censentur robustiores. Contra, quicquid debilitat vires vitæ, obliterat poros cutis, calvitium inducere potest.

Constat jam, rationi non repugnare, Eunuchos posse laborare podagra, posse & calvos fieri, etiam extra Veneris usum; præter hanc enim, plures alias causas existere, ex quibus generetur causa proxima podagræ, vidimus in antecedentibus. Quid, si ex parentibus podagricis sati & nati fuerint? Nonne in ultima senectute patientur podagram, a defectu virium & rigiditate texturæ fibrosæ in vasis ultimis, ab imminuta humorum ventilatione per transpirationem, maxime si non rectam servarint victus rationem tam in quantitate, quam in qualitate? Calvitium etiam experiri poterunt, a quacunque causa, quæ apta nata est sistere motus excretorios per cutim. Ex hæreditate certe paterna possunt obtinuisse calvitium. Quid vero impedit, quo minus calvescant ob senectutem, quemadmodum mulieres? Ergo haud

haud ſimpliciter verus dicendus eſt aphoriſmus noſter? Enimvero probant hoc exempla Eunuchorum & podagricorum & calvorum. Vid. *Laur. Exerc. p.* 147 *ſeq.*

Medicus Veronenſis, Bernardinus Plumatius, qui obiit an. 1506. Hippocratem ita excuſavit: quod illius tempeſtate, non ſuâ, homines temperatiſſime vivebant, atque ita exſecti podagram evitabant. Sobrietatem itaque commendans, inculcavit, hanc unam morborum omnium medicinam eſſe, nec arte alia Priſcos uſos cum Romæ Medici deerant, quam hâc ipſâ in proverbio *ſemel* repetito quater contentâ, nimirum: ſemel *in die cibum ſumere*; ſemel *hebdomade cum uxore Venere uti*; ſemel *in menſe vomere*; ſemel *in anno ſanguinem mittere*. Vid. *Papadop. T.* 2. *p.* 284. *Freher p.* 1217. Conf. *Barthol. Herm. de Moor Diſſ. in aphoriſmum Hippocraticum* 28. *ſect.* 6. *Lugd. Bat.* 1736. 4°.

AD APHOR. 29.

Hippocratis obſervatio eſt *l.* 5. *Epidem. n.* 33. & *l.* 7. *n.* 49. Polemarchi uxori articularibus doloribus vexatæ, vehementem quendam coxendicis dolorem contigiſſe, cujus cauſa fuere minime profluentes menſes. Iterum (*ibid. l.* 6. *ſect.* 8. *n.* 100.) ait, Phaëthuſæ Pythei conjugi diu menſes defeciſſe, ex quo poſtea dolores & rubores ad articulos exorti ſint. In *l.* 1. *de morb. mul. n.* 13. docet, quod a retentis menſibus ſubinde corpus dolor occupet, præcipueque lumbos & ſpinam, & inguina, manuumque & pedum articulos. Atque ex hiſce locis fortaſſe formatus eſt præſens apho-

aporifmus; qui verus fuiffe videtur Hippocratis ævo & in Græcia, quod mulieres Græcæ fummæ caftitatis & temperantiæ exempla fuerunt. At apud nos hic aphorifmus minus verus eft, cum innumeræ inftantiæ occurrunt podagricarum mulierum, etiam quibus menftrua bene refpondent. Non mutata (inquit *Seneca epift.* 95.) fœminarum natura, fed vita eft. nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque vitia æquaverunt. — Quid ergo mirandum eft, maximum Medicorum, ac Naturæ peritiffimum, in mendacio prehendi, cum tot fœminæ podagricæ calvæque fint? Beneficium fexus fui vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt, damnatæ funt morbis virilibus. *H. J.* Illud tamen concedendum eft, illas multo rarius affici hoc morbo, quam viri, ob menftruorum excretionem, per quæ liberantur a redundantia humorum, unde ftagnationes, decubitus, obftructiones fierent. Deinde etiam, ex confuetudine vitæque ratione minus replente, caufis hujus morbi procatarcticis feu antecedentibus minus obnoxiæ funt. Notante Aretæo *de cauf. diut. l.* 2. *c.* 12. „ Viri facilius „ in hunc morbum incidunt, & ex mulieri„ bus agiliores. Mulieres autem licet rarius „ quam viri, difficilius tamen hoc vitio „ laborant. Quod enim neque ufitatum, „ neque familiare eft, id fi aliqua urgen„ te caufa potentius evaferit, violentum „ cum fit, majorem calamitatem infert ". Menftruorum defectus in textu non fimpliciter intelligendus tantummodo eft de omnimoda illorum fuppreffione, fed de quacunque etiam eorundem evacuatione depravata, diminuta, retardata, anticipata, aliave, ut propterea

tunc fœminas liceat existimare a podagricis doloribus immunes, cum non solum menstruæ expurgationes debito tempore, debitaque quantitate scatuerint, sed etiam ejus conditionis & qualitatis, ut in omnibus respondeant earundem constitutioni, ætati, habitudini, victui, exercitiis, aliisque, quoniam secus, corpore non debite repurgato, præsto est causa materialis arthritidis, ab humoribus evacuari solitis, nunc intus detentis, in artus decumbentibus. Quare *Galenus lib. de Venæ sect. adversf. Erasistratum*, „ Si mulier (ait) „ per excretionem menstruam probe expurgetur, nec podagricis, nec articulorum doloribus, nec pleuritide, nec peripneumonia, „ nec aliis denique ex plenitudine affectibus infestabitur ". Unde patet ratio magni emolumenti, quod confert ad prophylaxin morbi, per evacuationes instituta humorum imminutio. At quæ vetulæ amplius non experiuntur menstruas evacuationes, retento in vasis qui antea redundans excerni solebat humor, ab arthriticis affectibus vexantur, eo maxime, quod, ætatis causa, perspirationem Sanctorianam habeant quam olim impeditiorem, & cæterum copia victus utantur solita. Interdum etiam bene menstruatis contingit arthritis a parentibus arthriticis, ex vitio hæreditario. vid. *Lister.* ad hunc aph. & in *Exerc. medic. p.* 106. *Tozzi.*

Exempla fœminarum, tum ob dispositionem hæreditariam, tum ob intemperantiam & luxum a podagra infestatarum videri possunt apud *Laur. Exerc. p.* 170 *sq.* Nimirum laborant fœminæ podagra, etiam ante quam menses deficiunt, quando earum vita ad luxum & libidinem convertitur, quia ita natura mirum debilitatur atque impuritates sanguini & lymphæ nimium in-

ingenerantur. *Hoffm. de morb. incongr.* §. 11. Equidem constat jam, obnoxias esse mulieres podagricis doloribus citra menstruorum vitium, suppressam tamen vel vitiatam illorum excretionem causam existere materialem arthriticorum affectuum, quemadmodum contra iisdem bene procedentibus avertitur humorum ad artus decubitus. An licet hinc arguere, quod defectum menstruorum semper sequantur arthritica mala? Cave id asseras, quum repugnet quotidiana experientia. Observatum namque est, præter artuum dolores, esse plura alia mala, quæ suppressam illam aut diminutam evacuationem excipere solent; v. g. sunt cardialgicæ præcordiorum oppressiones, faucium strangulationes, tensivæ hypochondriorum inflationes, phlogoses, universi corporis languores; (vid. *Hoffm. morb. ex hep. vit.* §. 20.) Apoplexia, apud *Boerh. aph.* 1017. Catalepsis, *ibid.* 1040. Paralysis, *ibid.* 1060. Epilepsia, 1075. Hæmoptoë, 1198. Scirrhus, 485. 495. & alia. vid. *Laur. l. c. p.* 180 *sq.* Præterea vero experientia attestatur, in emaciatis quandoque menstrua in totum supprimi, illas tamen secunda frui valetudine: quemadmodum iis quoque evenire consuevit, quibus aliqua continua evacuatio sanguinem coacervari prohibet, quod aliquibus fonticulorum gestatione contingit; Hippocratesque in filia Præfecti annonæ annotavit 4 *Epidem. n.* 14. quæ per duos annos non est purgata, eo quod hæmorrhoïdes continuo fluentes habebat. Quid? quod reperiantur etiam mulieres, quæ absque ullo sanitatis, aut fœcunditatis incommodo nunquam purgatæ sunt, aliæ per plures annos sine menstruorum periodo degerunt; & nonnullæ vira-

gines a natura ſine menſibus ſunt. Vid. *Martian.* *p.* 295. *Laur. l. c. p.* 178.

AD APHOR. 30.

Videtur hic aphoriſmus deſumtus ex *Coac. ſect.* 3. *n.* 395. ubi inter alios morbos, qui non fiunt ante pubertatem, recenſetur etiam podagra.

Ratio procul dubio hæc eſt, quod habeant pueri, quam ætate provectiores, vaſa magis laxa, facileque dilatabilia, & minus obnoxia obſtructionibus; & ſi quid redundat humoris a repletionibus, id in corporis augmentum impenditur. Poſt Veneris uſum vero, ſeu potius abuſum, labefactati nervi, ſtomachus non bene concoquens, unde accumulatio cruditatum, cauſæ ad morbum prædiſponentes cenſendæ ſunt. Quod ſi autem puer ante uſum Veneris prolabatur in talem affectum, merito dicitur incongruus, & indicat magnam acredinem humorum & imbecillitatem nervearum partium, quæ vel a parentibus vel ab ingenti vitio ob errata commiſſa ipſi fuit ingenerata. *Hoffm. de morb. incongr.* §. 2. Patet hinc, quod aphoriſmus præſens non ſit abſolute verus: idque confirmant exempla puerorum ante Veneris uſum podagra laborantium, quæ videri poſſunt apud *Laur. Exerc. p.* 138 *ſq.* & in *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 8. *obſ.* 12. Enimvero ut jam pridem fœminæ privilegio adverſus arthritidem Hippocratico exciderunt, ſic pariter infantes. Prioris generis hominum, ſi non utriuſque, luxuries bonum illum ſenem Coum fecit falſiloquum, per ſe nihil mentitum. Imo fit, ut infantes,

ſantes, etiam vix ſemeſtres, arthritide corripiantur; cujus cruciatibus vexati non ſolum ita tabeſiunt, vix ut oſſibus hæreat cutis; ſed ſæpe quoque morti fiunt præda: tunc præſertim, ubi non tam metaſtaſi quadam, quam quodam quaſi hæreditatis jure in talem inciderint labem. Prodit enim velut a fato quodam arthritis nonnunquam, ex nativis nempe & inevitabilibus principiis, dum vel ex primæva articulorum molliore, ac laxiore ſtructura, materiam morbi facile excipiente, vel ex ipſo parentum ſemine oritur. Cujus quidem ſeminis in iſthoc propagando morbo vis tam eſt nonnunquam mirabilis, ut illa diu durare poſſit ſæpius, ante quam erumpat in artus. Pluſque quam uno compertum eſt exemplo, filium, ab arthritico ſuſceptum parente, hæredem mali non eſſe factum: contra in nepotibus hunc avi demum morbum proveniſſe. *Heucher p. 2 ſq.*



APHOR. 31.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum purgans exhibitum solvit.

Remedia ad oculos hic proposita non omnia omnibus prosunt; sed eligenda diversa, pro diversa medendi indicatione: *meri potus*, ubi intendi debet languens vasorum systaltica vis, promovendaque perspiratio: *balneum* & *fomentum*, ubi crispaturæ & spasmi fibrarum relaxari debent: *venæ sectio* ad sanguinis minuendam vim atque copiam: *purgatio*, quando lympha superabundans evacuanda est. Animadversio, in hunc aphorismum, Celsi *l. 6. c. 6. p.* 348. est hæc: *Curari oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, fotu, vino, vetustissimus Auctor Hippocrates memoriæ prodidit. Sed eorum tempora & causas parum explicuit: in quibus Medicinæ summa est. Neque minus in abstinentia & alvi ductione sæpe auxilii est.* Quo in loco Celsus non necesse habuisset monere de alvi ductione, si vocem φαρμακείη sumsisset pro medicina purgante, ceu nostri Interpretes in præsenti textu. Conf. 7 *aph.* 46. Constantinus jubet dari vinum in ophthalmia pituitosa: tundi venam in san-


ſanguinea: & in biliofa balneo uti: atque in melancholia, cacochymiaque, purgatione: licet in aliis opus etiam cathartico ſit. *Taranta p.* 140.

APHOR. 32.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi longo alvi profluvio maxime corripiuntur.

B*albi* hic intelliguntur lingua titubantes, qui cunctanter verba proferunt, & laborant nimia humiditate, pituitæ confluxu in ore, propter laxitatem glandularum; quæ ſi in inteſtina ruat, diarrhœam faciet longam. *Liſter.* Nam quoties e capite ſeri prolapſus excipitur a ventriculo, inde profluvium alvi cietur. *Duret. in Coac. p.* 113. Inde intelligitur, cur *Hippocrates lib. de Veratr. uſ.* in iis, quos præcipue in medicamentorum purgantium potionibus vitare oportet, reponat balbos.




APHOR. 33.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ τι πλευριτικοὶ γίγνονται.

Qui acidum eructant, non admodum pleuritici fiunt.

Qui acidis ructibus obnoxii sunt, in iis arguitur laxitas fibrarum, propter quam in primis viis ingestorum coctio non bene perficitur: tales vero, propter vasa debilia, sanguinem tenuem nec facilem inflammari, minus proclives sunt in morbos inflammatorios, cujusmodi est pleuritis. Hinc *Cardanus p.* 665. *Ructus acidus*, ait, *eorum est qui sunt in defectu: lateralis autem morbus eorum, qui sunt in excessu coctionis.* Pueri & fœminæ raro pleuritide afficiuntur; eructant vero sæpe acidum, & sanguinem habent dissolutum, tenuem, adeoque remotum ab inflammatione. Conf. *H. B. Kaecks Dissertatio sistens aphorismum Hippocratis* 33. *sect.* 6. *Lugd. Bat.* 1738. 4°.



APHOR. 34.

Ὁκόσοι φαλακροὶ, τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίγνονται· ὁκόσοισι δὲ ἂν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγένωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

Qui calvi ſunt, iis varices magni non fiunt: at quibus calvis exiſtentibus varices ſuccedunt, iis rurſum capillitium gignitur.

Unde, quod calvis varices magni non fiunt? An calvities ſignat, quod humores pravi, qui creare varices debent, impendantur procreando, fovendo, calvitio? Hoc quidem ſuadere videtur altera aphoriſmi pars, quæ, exponente *Hollerio*, obſervatio eſt, quod quibuſdam calvis ſeu capillorum defluvio laborantibus, quum orti eſſent varices, repullulaverint pili; ſcilicet ſi orta fuerit calvities ab humorum vitio, & ii converſi fuerint ad crura atque tibias, ut fiant magni varices, poterit pilus renaſci. Oportet utique ut magni ſint varices, quoniam juxta textum *l.* 2. *Epidem. ſect.* 5. *n.* 40. qui in calvis apparent, niſi magni fuerint, furorem in iis portendunt. Quid autem opus erat dicere, *quibus calvis exiſtentibus varices ſuccedunt, iis rurſum capillitium gignitur*, ſi *calvis varices magni non fiunt*, qui tamen requiruntur, ſi ſolvere debent capillitium, quia alias furorem portendunt? *Cardanus p.* 667. aphoriſmum ſua luce radiare exiſtimat, ſi legatur

cum addita particula ἢ *vel*, in hunc modum: *Quicunque calvi ſunt, his magni varices non fiunt: vel, ſi calvis magni varices fiunt, capilli renaſcuntur.*

APHOR. 35.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγενομένη, κακόν.

Hydropicis tuſſis accedens, malum.

In *lib.* 2. *Prædict.* *n.* 11. in eo qui aqua inter cutem detentus, *neque tuſſim* neque ſitim *adeſſe convenit*. Apud *Celſum l.* 2. *c.* 8. *p.* 72: *In aqua inter cutem tuſſis ſpem tollit.*

Hydropicum tuſſire duplici modo contingit, vel a principio, idque proprium eſt hydropis pulmonum; vel hydrope jam confirmato ad ventrem inferiorem ſpectante, quæ tuſſis ea ratione excitatur, quia, cum venter ad ſummum aqua repletus eſt, per compreſſionem illius exiguum per ſeptum transverſum exudando ad pulmones pervenit, unde ægrum tuſſire neceſſe eſt, quod ſymptoma caſum deſperatum facit. Cæterum etſi verum eſt ſemper dicere, tuſſim ſupervenientem hydropicis, malam eſſe, non tamen verum eſt ſemper aſſerere: hydropicos tuſſire, malum eſt; eo quod ex pulmone hydropici ſemper tuſſiunt, non tamen moriuntur omnes. Quare Hippocrates *l.* 2. *Epidem. ſect.* 5. *n.* 28. ſumma cum ratione addit *cum crurum tumoribus*; quod confirmati hydropis indicium eſt. Nam etſi in hydrope pulmonis ſtatim in principio,

principio, dum etiam vitæ ſpes adeſt, pedes tumeant; cum tamen tumor ad crura pervenit, caſus omnino deſperatus redditur, unde univerſaliter ſemper vera eſt hæc ſententia: Hydropicus ſi tumorem in cruribus habens tusſiat, malum. *Martian. p. 316.* Tuſſis quando aſciti ſupervenit, nihil boni portendit, quod Hippocrates recte notavit. Non tamen de tuſſi iſta leviori, quæ etiam inter initia plerumque adparet, hoc intellectum volumus. *Hoffm. Med. rat. T. 4. P. 4. p. 443.*

Tuſſis arguit humorem acrem irritantem laryngem. Scimus ergo ex tuſſi superveniente, humorem hydropis jam aliquam ſuſcepiſſe acrimoniam, qua vix pejus in hydrope expectari poteſt: adeſt enim humoris abundantia in corpore debilitato, qui nunc ſuſcepit acrimoniam; hæc autem acrimonia, a ſpontanea corruptione nata, a debili hac actione emendari non potuit, unde hujus acrimoniæ majorem progresſum expectamus. Tuſſis inſuper validiſſime concutit corpus ita liquore repletum, cujus vaſa macerata vix ferunt aliquem impetum: periculum igitur eſt, ne conquaſſatione hac aliquod vas rumpatur, & ita latex, hucuſque vaſculis coërcitus, in corporis cava effundatur, & ita augeat morbi periculum. Neque pulmo eſt organum excretorium, quo eliminari poſſit illa aqua hydropica: nam tuſſiunt ſine memorabili exſcreatione, atque edunt ægri fruſtranea conamina, quibus magis debilitantur. Denique ſignum eſt, pulmones ab eo latice obrui, unde intercipitur iſtius organi actio, quod præparare debebat humores, & libera in reſpiratione agitari, nunc vero multitudine laticis acrioris obſeſſi pulmones, defectu præpara-

 tionis,

tionis, majorem generant laticis copiam, & tandem totius pulmonis oppreſſio & corroſio eſt expectanda. Propterea meretur tuſſis ſuperveniens maxime damnari, inprimis cum præcipuam curandi indicationem intercipiat: tuſſis enim laxantia & mucilaginoſa exigeret ad leniendum, quæ hydropicis ſunt vetita. *Gorter*,

APHOR. 36.

Δυσουρίην φλεβοτομίη λύει· τάμνειν δὲ τὰς εἴσω.

Urinæ difficultatem venæ ſectio ſolvit: ſecandæ autem ſunt interiores.

Omnis ſanguinis miſſio remedio eſt ſpaſticis ſolidorum contractionibus tollendis, & inflammatoriæ diatheſi. Ergo, ubi retentio urinæ ei debetur cauſæ, conſtrictioni nempe fibroſæ compagis in collo veſicæ, venæ ſectio juvabit. Internæ autem venæ ſecari jubentur, h. e. quæ penitius cum veſica reſpondent, cujuſmodi eſt ſaphæna in malleolo. *Hecquet.* Quid per internas venas intelligendum ſit, declaratur *lib. de oſſium nat. n.* 12. & *de nat. hom.* §. 20. quibus in locis venarum diſtributionem deſcribens Hippocrates, ſecundum par a capite juxta aures per cervicem, jugulares appellatæ, quæ parte interiore ſecundum ſpinam, ad lumbos utraque ex parte in teſtes & femora tendunt, & poplites interiores, deinde per tibias ad malleolos & pedes interiore ex parte; ſubjungit:

jungit: *Ad lumborum igitur & testium dolores ex poplitibus & malleolis interioribus venæ sectiones facere oportet.* Quapropter non possum satis mirari Galenum, & plerosque expositorum, qui in tanta claritate caligantes, auctoritatem aphorismo partim detrahunt, partim, ut ejus veritatem tueantur, novas, & improprias vocum significationes sibi ipsis fingunt, cum Hippocrates aperte loquatur, & doctrinam proponat rationabilem, propriisque principiis omnino convenientem. Nec audiendus est idem Galenus, dum contra præceptoris mentem, experientiamque ipsam afferit, nihil referre, an interior vena, an exterior secetur in cruribus, quia omnes ab eadem vena ortum ducunt: hoc enim prætextu, venarum nullus habendus esset in phlebotomia delectus, quando omnes ab eadem vena magna ortum ducunt. Adnotari hic meretur summum Hippocratis artificium, qui cognoscens venas a capite descendentes, dum jugulares venas ingrediuntur, & inde inferius procedentes in novas propagines dispergunturt, nihil habere ad invicem, nisi ramificatio ab eadem venæ parte procedat, ideo in constituendis quatuor paribus venarum præpostero ordine procedens a capite in partes inferiores, quæ inferne ascenderant in caput, singulas ramificationes in proprium par dispersit, prout ab eadem venæ parte exortum habent, quæ singula venarum paria ea ratione consortium habent ad invicem, quia iis fibris constant, quibus mediantibus omnia naturæ opera perficiuntur; ex hacque venarum distributione colligit, quam rationabiles sint morborum curationes per sectionem venarum, quæ juxta allatam venarum distributionem fiunt,

de quibus alioqui probabilis ratio afferri non poteſt. Ex earundem venarum participatione evenit, ut exterior vena cubiti promptius evacuet a capite, quam interior; quia venæ aſcendentes in caput ab eadem parte venæ axillaris exoriuntur, a qua vena exterior cubiti, & ex conſequenti ex iiſdem fibris omnino conſtat. *Martian. p.* 468 & 21. Quod ſi ex nimia ſanguinis copia, vegetæ naturæ ſenibus præſertim, qui vitam diu ſine ſufficienti corporis motu egerunt, hic morbus vel ingruit vel ſaltem verendus eſt; omnino maxima præſidii & auxilii ſpes, in tempeſtiva & ſufficienti ſanguinis miſſione, erit reponenda. Idque eo magis, quando ex ſubſiſtente menſium vel hæmorrhoïdum fluxu, aut omiſſa & diutius aſſueta venæ ſectione vel ſcarificatione, mali cauſa ſuborta creditur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 407. Si dyſuria fit ab infarctu renum a ſanguine, item in inflammatione veſicæ, primum incidenda eſt vena brachii, deinde etiam ſtatim ſubjungenda ſaphæna in malleolo, aut poplite. *Hoffm. ibid. T.* 3. *p.* 612.

Stranguria, Dyſuria, & Iſchuria in cauſis tam parum differunt, ut non mereantur diſtinctis titulis deſcribi; nam quæ cauſa urinæ difficultatem inferre poteſt, ſi major fiat, integram ſuppreſſionem producere poteſt; ſi autem ſimul guttatim exit urina, Stranguria vocatur. Propterea in his ſpeciebus omnibus videndum erit, num vena ſit ſecanda. Multi dubitant, num hic ſit genuinus Hippocratis aphoriſmus, quia putant, venæ ſectionem nunquam conducere poſſe, quia frequens fit dyſuria ſenibus (3 *aph.* 31.) catarrhoſis, calculoſis, quibus non conducit venam ſecare. His auctoribus

omnino

omnino eſt concedendum, venæ ſectionem non conducere; ſed obſervavit etiam noſter Auctor ex inteſtino recto vel utero inflammato (5 *aph.* 58.) ſtranguriam ſeu dyſuriam generari. in illis utique caſibus quam maxime conduceret mittere ſanguinem. Atque poſt eum etiam Riverius, Sydenham & nos obſervavimus, fruſtra tentatis omnibus auxiliis, urinæ ſuppreſſionem & difficultatem curatam fuiſſe ſanguinis miſſione. Ut nunc ſciat junior Medicus, quali in ſpecie duſuriæ mittendus ſit ſanguis, debet ſigna inflammationis applicare ad vaginam, inteſtinum rectum, vel & urethram: ea ſigna ſatis definient, ſanguinem eſſe mittendum. Quod autem ſuadeat, internas venas eſſe ſecandas, hoc facile condonari poteſt, quia tunc temporis ex ignorata circulatione, pluris quam par erat fecerunt delectum venarum, quæ aperiendæ erant. Si autem dixiſſet, *venæ inferiores*, ſcilicet in pedibus, *ſunt aperiendæ*, non ita recederet a communi obſervatione, neque oppugnaret circulationi inventæ, ex cujus doctrina patet, venas proximas eſſe aperiendas, quales ſunt venæ in pedibus ab iliacis provenientes. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 37.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Ab angina detento ſi tumor in collo oriatur, bonum: foras enim morbus vertitur.

Deſumtus videtur aphoriſmus ex *Prognoſt. n.* 23. ubi hæc leguntur: *Angina graviſſima quidem eſt & celerrime interimit, quæ neque in faucibus, neque in cervice quicquam conſpicuum facit, plurimum vero dolorem exhibet, & difficultatem ſpirandi, quæ erecta cervice obitur, inducit. — At ſecurius eſt tumorem & ruborem ad externa converti.* Quando enim ſuffocatio ſtrangulatoria remittit, tumor, dolor & rubor magis extrorſum vergit ſenſimque evaneſcit, felicem ſolutionem nunciant. Sin ſecus, in apoſtema aut mortem fit tranſitus. Si in apoſtema, ac pus in bronchia & pulmones effunditur, anceps admodum eventus. Si in mortem, nunciant hanc ſpuma ante os, lingua valde tumida, purpureo-nigra, extremorum rigor, ſumma præcordiorum anguſtia atque anxietas, cum pulsu duro, convulſivo & intermittente. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 395. Si angina cum concidentia occupet (in qua nullus tumor), ab interioribus ex-

extrorsum omnia evocanda sunt, & humores, & caliditas, & omnis caro, ut totum foras extumeat. *Aret. Curat. Acut. l.* 1. *c.* 7. Etenim ii præ cæteris maxime servantur, quorum collum in tumores attollitur, aut exanthemata in eo oboriuntur. *Actuar. Meth. med. l.* 2. *c.* 10.

In textu habetur κυνάγχη seu ea anginæ species, quæ tunc dicitur præsens, si causa hæreat in interioribus laryngis, sine signis externis, difficilem & suffocatam respirationem inducens. Periculosissimus est morbus; nam si augeatur tumor in membrana interna laryngis, suffocatur homo; si abeat in suppurationem, generatur pulmo purulentus. In hoc morbo observavit auctor, si externe in collo tumor oboritur, bonum esse. Hæc autem observatio non est constans: potest enim tumor membranæ internæ laryngis latius dispergi etiam ad exteriores partes, sine diminutione partis interioris; quando designatur morbi augmentum. Sed si interiores partes deponunt ad exteriora colli materiem morbi, valde bonum est, quum partes exteriores tumentes non inferant mortis periculum, satis enim magnum conceditur spatium tumori. Constat ergo, duo adesse debere requisita, ut talis apparens in collo tumor sit bonus. Primo, ut sit talis morbi materia, quæ metastasin facere potest, uti materia catarrhosa, & erysipelatosa; nam inflammatio & œdema harum partium non tam facile locum mutat, sed potius, si partes exteriores simul tumere incipiunt, designant morbi augmentum. Alterum, ut sit perfecta metastasis, quam conjicimus, si unà cum intumescentia externa liberior fieri incipiat respiratio: nam nisi respiratio simul fiat liberior, signum est, imper-

perfectam fieri translationem, quæ semper mala est. Neque bonum erit signum, si novus accedat tumor, manente priore. *Gorter.*

APHOR. 38.

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίγνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον· θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως· μὴ θεραπευόμενοι δὲ πλείω χρόνον διατελοῦσι.

Quibus cancri occulti oriuntur, eos non curare præstat: curati namque cito pereunt; non curati vero diutius perdurant.

Quid per *occultos cancros* intelligat Hippocrates, ipse *lib.* 2. *Prædict. n.* 18. nobis manifestavit. Enumerans enim quosdam morbos singulis ætatibus familiares dicit: *Viris autem id genus tubercula non admodum fiunt, verum favi formidabiles & cancri occulti, demersi*, quasi unum, & idem sit occultum esse, & intimius in carne submersum; quam quidem significationem clarius confirmat paulo infra, dum inquit, *at cancri latentes, quique summa corporis infestant, fiunt*, duas cancrorum differentias proponens: cum alii sint, qui ad corporis superficiem extimam magis vergunt, & hos ἀκρόπαθους, h. e. *elevatos* vocat, alii intimius latitant, quos ὑποβρυχίους, id est, *submersos*, & κρυπτοὺς i. e. *occultos*

occultos vocat. Quare vanum eſt, vocis etymologiam reſpicientes credere, per occultos cancros Hippocratem intelligere eos, qui interna viſcera occupantes, nec oculis, nec tactui ſubjiciuntur. Nam in partibus exterioribus fieri cancros occultos ipſemet teſtatur *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 23. de quorum generatione ita ad verbum loquitur : *& in mammis tubercula fiunt dura, partim majora, partim minora ; hæc autem minime ſuppurant, ſed ſemper duriora fiunt, ex his deinde occulti cancri pullulant.* Quare, cum mammæ ſint partes exteriores, & in iis cancri occulti naſcantur, argumentum eſt evidentiſſimum occultos non dici illos, qui intimas corporis partes occupant. Dum vero cancrorum occultorum curationem prohibet, intelligendus eſt de propria & vera cancrorum curatione, quæ & igne, & amputatione fieri conſuevit. Nam *lib* 7. *Epidem. n.* 53. ipſemet cancrum in faucibus curaſſe profitetur per inuſtionem. Cur vero cancros ſubmerſos, & ad ſuperficiem parum elevatos curare non expediat, ratio eſt, quia, cum ejus curatio in amputatione conſiſtat, hæc in ſubmerſis fieri non poteſt, & ideo ſatius eſt eos non attingere, quam aut igne, aut ferro exacerbare. Verum, ſi præfata curatione eos attingere non licet, licebitne aliis curationum modis ipſos tractare? Certe, quando caſus eſt deſperatus, melius eſt, eos derelinquere, ne impoſſibilitas curationis arti imputetur; & ideo loco citato de curatione ne verbum quidem fecit. Quod ſi provinciam dimittere omnino non liceat, chirurgica curatione dimiſſa, pharmacia curationem tentare poterit, qua ſi æger ſanari non poſſit, vitam tamen minus moleſtam protrahere poſ-

ſit. Nam & ipſe Hippocrates *lib.* 2. *de morb. mul. n.* 48. cancroſum uteri affectum pharmacis mulcere tentavit. *Martian. p.* 469. De infauſta occulti cancri per amputationem curatione videri poſſunt *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 8. *obſ.* 21. & *D.* 3. *a.* 3. *obſ.* 163.

Cancer, Celſo *l.* 5. *c.* 28. *n.* 2. *Carcinoma* dictus (cui *cancer* audit morbus quem Græci gangrænam, ſeu ſphacelum appellarunt) in quacunque fere corporis parte oritur, & eſt nihil aliud, quam ſcirrhus malignus factus, ſuperficie aſpera, ſcabra, ad cujus margines vaſa vicina inflammari incipiunt, & varicoſa interdum ſunt. Nomen habet a figura, quam, ad ἀκμὴν progreſſus, adumbrat; exulceratus enim habet cavitatem rotundam, & in ambitu vaſa ſanguifera turgida: *occultus* vocatur, quamdiu ſuis continetur pellibus, quibus ulcere ruptis *manifeſtus* vel *ulceroſus* ſeu apertus dicitur. *Boerh. aph.* 994. Ita vero oriri & ſuccreſcere ſolet cancer: Primo nodulus ſentitur duriuſculus, ſatis exiguus, vix piſi, aut avellanæ nucis magnitudinem ſuperans, qui ob ſpaſticam fibrarum adjacentium nervearum ſtricturam ſubinde puncturas, ardentes & lancinantes dolores, per intervalla recrudeſcentes, inferre ſolet, ſatiſque diu in hoc ſtatu perſiſtere poteſt; donec majori humoris viſcidi & impuri acceſſu, factaque ibi collectione, canaliculi obſtruuntur, & demum nimium infarcti rumpuntur. Unde tumor non ſolum in ingentem ſæpius molem attollitur, ſed & ſanguine in vaſis coagulato per cutim tranſparente, colorem prorſus lividum & plumbeum induit, vaſaque circumjacentia in varicoſam turgeſcentiam explicantur. Quæ omnina ſi ita fiunt certiſque ſignis deprehen-

henduntur, cancer adesse dicitur occultus: qui in euchymis seu bonos humores habentibus per plures annos tolerari potest, si modo omnia motum sanguinis nimis augentia provide caveantur. Quod si vero, vel propter improvidam emollientium & acrium irritantium applicationem, vel ob majorem massæ sanguineæ orgasmum, major tenuium humorum affluxus proritatur, tunc circumjacentes, & dein etiam profundius sitæ partes, sub atrocium dolorum concursu, putrida corruptione depascuntur, saniesque & ichor subcruentus fœtidissimi ac vere cadaverosi odoris funditur; imo quandoque larga sanguinis sinceri ex vasis erosis contingit emanatio. Atque talia ulcera cancri exulcerati nomine insigniuntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 5. *P.* 5. *p.* 249 *sq.* Conf. *Hildan. Cent.* 3. *obs.* 87. Quia vero plurima medicamenta plus irritant cancrum, cum etiam lenissima in hoc sensibili morbo affluxum augent humorum & eo citius corruptionem putredinosam accelerant, hinc ab illis, irritantibus nimirum, abstinere utique consultius est, quia per irritantia curatus citius abit ex occulto in apertum. Sed si datur medicamentum, quod affluxum non auget, non irritat, verum potius discutit, resolvit, dolores sedat, corruptioni resistit, acredinem infringit? de talibus non accipiendus est aphorismus. Vid. *Mich. Alberti Diss. de Belladonna, tanquam specifico in cancro, inprimis occulto. Halæ* 1739. 4°.

APHOR. 39.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος. οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

Convulsio ex repletione, aut vacuatione oritur. ita vero etiam singultus.

Quid sit *Convulsio*, dictum est ad 5 *aph.* 17. Oriri eam a repletione, manistant convulsiones fœminarum a menstruis retentis. Ab inanitione convulsionis exemplum extat in 5 *aph.* 3. Tertia potest addi causa, scilicet omne id, quod irritare valet nervos. vid. 4 *aph.* 16. & 5 *aph.* 1. 4. Dum inquit Hippocrates, convulsionem a repletione, aut ab inanitione fieri, intelligit corporis, non nervorum, ut est fere communis opinio. Nam si hos repleri contingat, paralysin potius excitari, quam convulsionem, est rationabile, quia si concedatur, adeo repleri nervorum corpus, sive id secundum porositates contingat, sive secundum substantiam, ut brevior solito fiat, impossibile est, spirituum transitum non impediri, aut compressis, aut obstructis nervorum porositatibus. Repletio autem corporis, aut ejusdem inanitio convulsionem facere dicitur, quatenus inde materia producitur, quæ spiritus per nervorum porositates, ad motum naturaliter efficiendum concurrentes, ad eundem præter naturam excitandum irritat. Cum enim

in

in convulſione membra continuo moveantur, neceſſe eſt cauſam motus immediatam concurrere, quæ ſunt animales ſpiritus, & inſtrumenta motus, quæ non ſunt alia, quam muſculi. Non enim differunt motus hi convulſionis, a motibus voluntariis, & naturalibus, niſi quatenus in his ſpiritus animales voluntatis imperio moventur: in convulſione autem a re quapiam irritati concitantur ad motum. Quæ quidem cauſa irritans duplex eſſe poteſt, copia ſcilicet humorum, & eorundem acrimonia, haſque comprehendit fere in præſenti aphoriſmo, dum inquit, *Convulſio fit ab inanitione, aut a repletione*; repletio enim humorum copiam inducit, inanitio autem eoſdem acriores reddit. Dixi *fere*, quia non omnis cauſa irritans nervorum facultatem a repletione, aut ab inanitione dependet. Nam ſi nervo ſauciato, aut aliqua alia particula, quæ cum nervoſo genere conſortium habeat, convulſio fiat, hæc neque ad inanitionem, neque ad repletionem reduci poteſt, fit enim eo caſu convulſio, quia in vulnerata parte acris quidam humor producitur, a quo irritata nervi facultas, convulſivum motum facit. Fruſtra igitur laborant expoſitores, dum quamlibet convulſionem ad alteram dictarum cauſarum reducere ſtudent, quia hoc non fuit Hippocratis conſilium, qui tantummodo cauſas referre voluit, a quibus frequentiſſime excitatur convulſio, ex quo non univerſaliter, ſed indefinite ſententiam protulit, quæ hoc in loco æquipollet particulari. Ab iiſdem vero cauſis, inanitione inquam, & repletione, ea ſignificatione, qua a nobis expoſitum eſt, ſingultum fieri demonſtravimus in ex-

explicatione 13 aphorismi præsentis sectionis. *Martian.* p. 469. Conf. *Bellin de urin.* p. 539 *sq.*

Ad tutelam secundæ valetudinis proportio humorum in vasis, quæ nec excedat, nec nimium deficiat, semper necessaria est, alias statim proportio & æquilibrium motuum læditur; nam ex nimia copia æque ac ex inopia, si est supra modum, oriuntur stagnationes, quæ in locis valde nervosis naturam promte ac expedite ad spasmos solicitant. Et quamvis in infirmioribus & elanguidis nimia humorum & sanguinis copia stagnans viscerum & partium tonum plane resolvat & morbos chronicos potissimum accersat, tamen in vegetioribus, sensibilioris texturæ & juvenilis ætatis hominibus fibras potius ad validissimas & spasticas constrictiones armat, quibus efficitur, ut magnæ in sanguinis circuitu inæqualitates & infensæ ad alia loca humorum translationes & congestiones fiant. *Hoffm. Med. rat.* T. 2. p. 99. 446. Adi etiam Aëtium *l.* 9. *c.* 5. & *Tralles de opio sect.* 3. *p.* 3.



APHOR.

APHOR. 40.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίγνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον.

Quibus ad hypocondrium dolores citra inflammationem oriuntur, iis febris superveniens dolorem solvit.

Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 70. hunc aphorismum ita expressit: *Febris præcordiorum dolores, si sine inflammatione sunt, finit.*

Per hypochondrium (seu subcartilagineum ab ὑπὸ *sub* & χόνδρος *cartilago*) denotatur superior abdominis pars, quæ sub mucronata ossis sterni cartilagine & costis spuriis ad ilia usque utrinque protenditur, & quicquid comprehenditur tota ea regione, quæ est inter septum transversum & umbilicum, ac intra cartilagines costarum inferiorum usque ad lumbos. Distinguitur in dextrum & sinistrum. In illo sunt hepar, vesicula fellea, pylorus cum superiore parte intestini duodeni, & pancreas. In sinistro sunt: maxima pars ventriculi, totus fere splen, magna pars superior mesenterii, pars quædam intestini coli, ubi maxime solent contineri flatus. Est hypochondrium idem quod ἐπιγάστριον. Celsus vocat *præcordia*, & Hippocrates, quando simpliciter hypochondrium nominat, per prærogativam intelligit dextrum. Hinc verisimile

eſt, præſentem aphoriſmum deſumtum eſſe ex *Coac. ſect.* 3. *n.* 272. ubi hæc leguntur: *Quibus jecur derepente vehementer dolet, iis febris ſuccedens remedio eſt.* Si dolor ad hypochondria ſine inflammatione, ſed vel ab obſtructione, vel a ſpiritu flatulento vel ab intemperie inæquali frigida eſt, febris ſuperveniens dolorem ſolvit. Perpetuum hoc eſt apud Hippocratem, quod, quicunque morbi ab obſtructionibus & viſcida amurca nec non viſcerum infarctu proveniunt, commode ſolvantur febre, quoniam motus in febre tam inteſtinus quam progreſſivus major attenuat, incidit, reſolvit materiam immobilem, fixam, ſtagnantem, ad evacuationem diſponit ac præparat. Et ſi rem paulo accuratius penſitamus, iſti inſultus ſpaſmodici & febriles, qui hypochondriacis perquam familiares ſunt, præſertim autumnali & hiemali tempore, egregie inſerviunt ſordibus excrementitiis in maſſa ſanguinis & humorum coacervatis per emunctoria ex corporis ſphæra eliminandis. *Hoffm. de ſal. febr.* §. 33. Ergo, ſi ſine inflammatione dolor eſt, nihil imponendum eſt. hunc enim ſtatim ipſa febris ſolvet. At, ſi neque inflammatio, neque febris, ſed tantum præcordiorum dolor eſt; protinus calidis & ſiccis fomentis uti licet. *Celſ. l.* 3. *c.* 10. *p.* 139.



APHOR.

APHOR. 41.

Ὁκόσοισι διὰ πυόν τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ πύου, ἢ τοῦ τόπου, οὐκ ἀποσημαίνει.

Quibus ſuppuratum aliquod in corpore exiſtit, neque de ſe ſignificationem edit, iis ob puris, aut loci craſſitudinem ſui indicium non exhibet.

Suppuratio fere quælibet dolore aut febre deprehenditur, juxta 2 *aph.* 47. Hic autem dicitur non innoteſcere aut non apparere, ſeu non conſpicuam fieri ſuppurationem ſive fluctuatione ſive tumefactione, ſive exitu per vias urinæ, per alvum, aliave emunctoria corporis. quæ intelligenda ſunt inprimis de ſuppuratione in imo ventre. *Tozzi.* Puris craſſitudinem & loci coarctationem, quæ a repletione provenit, ejus præſentiam obſcurare ait Hippocrates; idque verificatur non modo in ſuppurationibus exterioribus, & quæ tactu judicantur, ſed etiam in illis, quæ interius latent, & potiſſimum, quæ in thorace conſiſtunt, quarum cognitio per concuſſionem habetur. Fluctuat enim in cavitate pus, ut auribus manifeſte perſentiatur; cujus concuſſionis modum nos docuit Hippocrates in *lib.* 2. *de morb. n.* 45. Admonet tamen ibi Hippocrates in confirmationem præſentis doctrinæ, aliquando ob puris

craſſitudinem, aut multitudinem, quæ loci craſſitudinem, coarctationem facit, non poſſe perſentiri, an in thorace pus exiſtat, nec ne. *Martian. p.* 470.

APHOR. 42.

Ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρόν γενέσθαι, πονηρόν.

Morbo regio laborantibus jecur durum fieri, malum.

Apud *Celſum l.* 2. *c.* 8. *p.* 74 *in morbo arquato durum fieri jecur, pernicioſiſſimum eſt.* Ratio? Quia durities hepatis eſt ab inflammatione & ſcirrho. Conf. Notata ad 4 *aph.* 64.



APHOR.

APHOR. 43.

Ὁκόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν, ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

Lienosi, qui difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis longa ſuperveniente inteſtinorum difficultate hydrops, aut lævitas inteſtinorum accidit, & moriuntur.

Celſus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 74. ita habet: *Quos lienes male habent, ſi tormina prehenderunt, deinde converſa ſunt vel in aquam inter cutem, vel in inteſtinorum lævitatem, vix ulla medicina periculo ſubtrahit.*

Lienoſi, vel ſplenetici, dicuntur a lienis tumore & inflatione. Ipſi tumores autem vocantur ab Hippocrate magni ſplenes. *Qui magnum habent lienem, qui quidem birioſi ſunt, male colorati evadunt, prava ulcera contrahunt, os graviter olet, graciles ſunt, lien durus eſt, ſemperque æqualis magnitudinis, neque ciborum reliquiæ per alvum demittuntur. Qui vero pituitoſi ſunt, hæc iis minus contingunt, & lien alias major, alias minor redditur. His confert, ſi quidem minime purgati videantur, caput & reliquum corpus purgare*, &c. *lib. de affect. n.* 21. Si itaque hoc morbo laborantibus dysenteria ſuperveniat, neque maxima, neque longiſſima, bona eſſe ſolet, & morbum ſolvere, evacuata

evacuata causa: id quod confirmatur 6 *aph.* 48. Lienosi qui sunt ejusmodi lienis duritate quam peperit diuturna humoris melancholici infarctura, dysenteria superveniente sanescunt, secessu, translatione, & vacuatione infarctorum lieni humorum melancholicorum, crassorumque. *Duret. in Coac. p.* 37. Si tamen dysenteria diu protrahatur, exulcerationem intestinorum significat, unde hydrops, aut lienteria. *Vallesf.* Exulcerata enim ora vasculorum in intestina hiantium, exitum præbent humori seroso hydropem constituenti: labefactata autem intestina, cum dimittunt ingesta vix vel nihil mutata, lienteriam sistunt. Hinc dysenteria lienosa diu permanens facit hydropem. *Boerh. aph.* 1229. Lienosis difficultas intestinorum non longa, utilis: longa vero mala. Ubi enim desinit, si aquæ inter cutem, aut intestinorum lævitates oriuntur, mortem afferunt. *Hippocr. Coac. sect.* 3. *n.* 295. Quoniam nulla redintegratio esse potest in magnis symptomatis quæ a pessimis ortum habent; tum aliàs, tum si naturæ vires languent effœtæ. Hîc autem lienteria, ex imbecillitate orta virtutis, ipsam quoque denuo infirmiorem facit. *Duret. in Coac. p.* 333. Hippocrates, ubi *lib. de affect. n.* 23. de hydrope ex liene verba fecit, ita concludit: *In morbis ubi alter alteri succedit, is plerumque interficit. Corpus enim ex præsente morbo imbecillum redditum, si alter morbus accesserit, ex imbecillitate prius perit, quam alter qui posterior accessit morbus desinat.*

APHOR.

APHOR. 44.

Ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Quibus ex ſtranguria volvulus ſuccedit, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febre accedente copioſa urina effluat.

Hæc eadem ſententia extat in *Coac. ſect.* 3. *n.* 314. & apud *Celſ. l.* 2. *c.* 8. *p.* 74. & 70. *Stranguria* ſeu ſtillicidium urinæ eſt a collo veſicæ ſpaſmodice affecto. Conf. not. ad 5 *aph.* 58. *Volvulus* ſeu iliaca paſſio eſt morbus in inteſtino ileo, quando ex ingeſtis nihil deſcendit deorſum in inteſtina craſſa, ſed adeſt pertinax alvi ſuppreſſio cum horrendo fæcum alvinarum vomitu vid. not. ad 3 *aph.* 22. Si ſpaſmi veſicæ eousque invaluerint, ut volvulum faciant, obſervatio docuit Hippocratem, ægrotum intra ſeptem dies occidi, niſi ſuperveniens febris reſeret vias, laxatiſque ad inferiora veſicæ ſpaſmis urinam acervatim profluere faciat. Conf. *Eph. N C. Cent.* 3. *obſ.* 185. Ad veritatem præſentis aphoriſmi demonſtrandam, non eſt, cur eos volvulos excipiamus, easque ſtrangurias, quæ ab inflammatione dependent, quando in ipſomet contextu ſatis artificioſe excipiuntur, per illa verba, *niſi febre accedente.* Cum enim hi morbi ab inflammatione dependere non poſſint,

ſint, quin febris concomitetur, eamque excludat, dum inquit: *non accedente febre*, ſignum eſt, eos morbos intellexiſſe, qui ſine febre & inflammatione fiunt. Quare & ſtranguria, & volvulus, de quibus agitur in aphoriſmo, neceſſario a crudis ſuccis dependent, qui in alvo conſtipati, utrumque ſymptoma excitare poſſunt, & mortem etiam tandem inducere ſuppreſſa alvo, niſi a calore febrili attenuati ad urinæ vias deriventur. Cæterum cave, ne præſentis aphoriſmi doctrina febris volvulo ſuccedens te decipiat, nam *lib.* 3. *de morb. n.* 15. adnotavit Hippocrates, ſi volvulo amoto febris ægrum corripiat, deſperatus eſt; quia, ut febris morbum tollat, neceſſe eſt ante quam volvulus removeatur eam accedere, & urinæ copioſam excretionem ſubſequi, ut in hoc aphoriſmo ſpecialiter adnotatur. *Martian. p.* 470. Commentarius ad hunc aphoriſmum habetur in *Linden Sel. Med. p.* 148 *ſq.*

Non ita eſt abſurdum, ut, ſi acrimonia ſucci nervorum feratur per nervos in vias urinæ, idem ille humor in eodem plexu nervi formatus etiam feratur per alium nervi ramum ad meſenterium & inteſtina, in quibus etiam & ventriculo naturalem motum periſtalticum irritando invertat, quo omnia inteſtinorum contenta truduntur ſurſum verſus ventriculum, qui dein eadem vomitu ejicit. Sed quoniam cauſa non eſt levis, quæ valet inteſtinis non ſolum inferre vehementes dolores, verum etiam motum inverſum; igitur ſi volvulus ſupervenit, ſcimus, magnam copiam humoris acrioris eſſe in corpore, qui nunc etiam ruit ad inteſtina, ubi evacuari non poteſt, & in viis urinæ, per quas erat evacuandus, parit evacua-

tionis difficultatem. Igitur retentus ille humor ſenſim fit acrior, concitans ingentem motum inverſum per totum tractum inteſtinorum & per ventriculum, quo motu valido perturbato, cum ejectione omnium quæ per os ingeruntur, & in inteſtina atque ventriculum confluunt, ſumma naſcitur debilitas exhauſtis ſpiritibus, & defectus humorum continua violenta illa evacuatione. Igitur mirum non eſt, ſi homo ſit impar ferendo hæc omnia per ſeptem integros dies, ut prius ſuccumbat violentiæ morbi. Hinc non dicit auctor, ſeptimo die perire, ſed *in ſeptem diebus*, id eſt, raro perſiſtere poſſunt ultra ſeptem dies. Eum tamen morbum periculoſiſſimum, qui *intra ſeptem dies* mortem minabatur, obſervavit curatum fuiſſe a febre ſuperveniente & urina abunde fluente. Illa autem febris accedens, ſi ſimul non faciat copioſam urinæ evacuationem, non curaret diriſſimum illum morbum, ſed tunc eſſet ſolummodo ſignum, Volvulum non fuiſſe natum ex inflammatione inteſtinorum, cui ab initio adfuiſſet febris, ſed ex materia alia acri, quæ irritando tandem febrem excitat, Volvulum & Stranguriam producta fuiſſe. Si igitur motus vitalis inſtigatus hunc ſuccum nervoſum acrem commoveat, eumque ducat ad renes, & ſub urinæ copioſæ forma eliminet, certe ſpes eſt, talem hominem liberari poſſe ab illa irritante acrimonia. Si Medicus tali in caſu vocaretur ante quam urina fluere incipit, admodum difficile foret veram invenire indicationem curativam. Puto tamen nos imitari debere monſtratam a natura viam, nempe dare medicamenta diuretica calefacientia, quibus concitatur febris & promovetur urinæ fluxus.

Id autem obſervamus, nos non ſemper idem medicamentis poſſe præſtare, quod natura facit ad conſervationem ſuam; nam quamvis promoveamus urinæ fluxum, non tamen certo ſequitur, eum humorem acrem per urinæ vias eliminari, quod tamen fit, ſi ſponte talem evacuationem moliatur. Hoc autem verum eſt, nos non poſſe propius accedere ad veram curationem, etiamſi ſemper non ex voto bonum effectum ſortiatur. *Gorter.*

APHOR. 45.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχει, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

Ulcera annua quæcunque fuerint, aut longius tempus habuerint, os abſcedere eſt neceſſe, & cicatrices cavas fieri.

Ab ichore ulcerum inveteratorum ſubjectæ non ſolum corrumpuntur carnes, ſed labes etiam uſque ad oſſa ſerpit, quæ eroſa evadunt atque carioſa: unde ſanatio, propter ablatam ſubſtantiam oſſeam, quæ abſceſſit, non procedit niſi cum cicatrice cava. Quacunque autem ex parte os aut uſtum, aut ſectum, aut quavis alia ratione ſeceſſerit, in hujuſmodi ulceribus cicatrices cavæ fiunt. *Hippocr. de ulcer. n.* 5. Sed videmus etiam ulcera multorum annorum, in quibus os incorruptum manſit: quare

quare non ita abſolute pronunciare poſſumus, os adjacens eſſe corruptum, ſi ulcus habeatur vetuſtum. Periculum tamen eſt, os corrumpi poſſe ab adjacente ulcere vetuſto. Humor enim ille acris conſolidationem impediens facile poteſt ſimul corrodere perioſtium, quo os privatum cariem contrahit: poteſt etiam ille humor corruptus oſſi communicari, & ita inficere ejus medullam, ut os corrumpatur. Sed ſi os ſubjacens corruptum ſit, tale ulcus tarde ad curationem deducitur, quum os in ſuis cellulis rigidis humore corrupto impletum, non facile poſſit eum evacuare humorem; rigiditas enim illarum partium extruſionem & expulſionem materiæ corruptæ impedit, quæ facilius fieri poteſt in partibus mollioribus. *Gorter.*

Aphor. 46.

Ὁκόσοι ὑϐοὶ ἐξ ἄσθματος, ἢ βηχὸς γίγνονται πρὸ τῆς ἥϐης, ἀπόλλυνται.

Qui gibboſi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt ante pubertatem, moriuntur.

Gibboſi, ὑϐοὶ, dicuntur, quibus dorſum foras eminet. Quibus adhuc pueris ante perfectum corporis augmentum ſpina in gibbum attollitur, iis quidem corpus ad ſpinam augeri non ſolet. *Hippocr. de artic. n.* 37. In ætate puerili ex aſthmate & tuſſi gibbi fieri poſſunt; quia dum vehementer & frequenter tuſſire coguntur magna cum thoracis commotione, &

 quidem

quidem variis modis, antrorſum, retrorſum, & in alterum latus contorquendo, articulationes vertebrarum laxæ & molliores facile luxantur. Ubi vero adoleſcunt pueri, parteſque interiores augentur ac ampliantur, thoraci interim, ob vertebrarum luxationem, cedere neſciente, hinc fit, ut cor & pulmones conſtringantur. *Sebiz. Exerc. Path. T.* 1. *p.* 324. Ego plurimos tales vidi, ut etiam Gradus fatetur, nunquam curatos; licet etiam cum magna diligentia tractarentur. *Foreſt. Obſ. Med. l.* 16. *obſ.* 9. *ſchol.* Plerumque & fere omnes, quos ego vidi, macie confecti fuerunt. *Barthol. Cent.* 3. *epiſt.* 78. *p.* 330. Pereunt phthiſici utplurimum, a pulmonibus per preſſionem labefactatis. *Hecquet.* Ante pubertatem oſſa cedere poſſunt ipſa adhuc minus rigida, & cartilagines articulationum minus duræ; ex aſthmate igitur, ac tuſſi proveniens gibboſitas arguit aliquid intra pectus moleſtum, & valide premens, atque oſſa extrorſum movens; duratis igitur oſſibus premens illud locum ſibifacere extrorſum ulterius non poterit, quare premet introrſum vaſa ſanguinis & cor, unde ſubita mors. *Bellin. de urin.* &c. *p.* 663.

Circa hunc aphoriſmum multum laborarunt interpretes. Eorum tamen ſententia propinquior vero videtur, qui hæc Coi verba de iis pronunciata eſſe exiſtimant, quibus ex metaſtaſi pravi humoris ad interiora thoracis facta, tumores, ſeu tubercula formata fuerunt. Dum enim ejuſmodi tumores ſub vertebrarum ligamentis, earumque perioſtio, ipſi oſſi inhæreſcunt, illa vincula ea parte attolluntur, & violentius adducuntur, quibus ſic ſpina inclinata in contrariam partem projicitur, & gibba

 redditur.

redditur. Hæc tubercula, quamdiu adhuc in inflammatione consistunt, narium hæmorrhagia quandoque solvi, Hippocrates animadvertit in *Coac. sect.* 3. *n.* 8. Si vero illa magis nocenter adolescunt, ad suppurationem spectant, tandemque maturescunt, per se aperiuntur, & pus effundunt. Hujus puris si magna vis est, pulmo comprimitur, & homo, intercepto spiritu, perit. Si vero non multum puris ejectum fuit, illud in pulmones, qui tumori non raro inhærescunt, destillat, hos exest, ex qua exulceratione frequens tussis, purisque exscreatio, accedit, & vera phthisis, quæ tandem hominem tollit. Disertis verbis hanc rem alio loco indicare videtur Hippocrates, ubi tubercula, circa pulmones orta, gibberis & distentionis nervorum (per τὰ νεῦρα ligamenta intelligit) caussam esse pronunciat *lib. de artic. n.* 37. Vid. *Platner Opusc. T.* 1. *p.* 130. 204.

Aphor. 47.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέους προσήκον τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν.

Quibus venæ sectio, aut medicamentum purgans confert, iis venam vere secare, aut medicamentum purgans exhibere convenit.

Vere oriri vel excitari solent morbi varii ab accumulatis in corpore, propter impeditam hieme perspirationem, cruditatibus. vid. 3 *aph.*

20. Ad eos igitur præcavendos evacuatio instituí debet vel venæ sectione, vel catharticis. Venæ sectio enim nimiam sanguinis quantitatem, purgationes vero seri vitiosi copiam corpori detrahunt. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 653. Magna autem animadversione particula illa disjunctiva digna est: Practicorum enim non pauci magnum piaculum committere sibi viderentur, si purgationem verno tempore instituentes venam simul non tunderent. Ast quam longe a divini Præceptoris vestigiis aberrent nemo non videt. Est ubi tantum sanguinem mittere oporteat, est ubi solum purgare liceat, est ubi utrumque remedium conveniat. *Ramaz. Oper. p.* 118. Temperamenta biliosa & sanguine fervida, plethorica, venæ sectione indigebunt magis. Si humorum qualitas est vitiosa, cathartica conveniunt. Si vero peccet & plethora & qualitas humorum, fiat primo venæ sectio, tum detur catharticum.

APHOR. 48.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν.

Lienosis accedens intestinorum difficultas, bonum.

Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 70. sententiam hanc in his expressit: *Lienosis bono tormina sunt.* Explicationem vide ad 6 *aph.* 43.

APHOR. 49.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νουσήματα γίγνονται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀποκαθίσαντα.

Podagrici morbi intra quadraginta dies, depoſita inflammatione, decedunt.

Hujus ſententiæ ſedes eſt in *lib. de judicat. n. 6. Dolorem & inflammationem ſe remittere intra triginta dies, niſi vitium hominis acceſſit*, literis mandavit *Celſus l. 4. c. 24. p. 240.*

Præſens textus morbi naturam per ſe deſinentis explicat, terminumque ponit ultimum: nam bonis medicamentis ſæpe viginti diebus, citiuſque multo finitur. At noſtri homines podagram frequenter trimeſtrem, & fere annuam exhibent: quod ideo præter naturam morbi accidere videtur, a remediis aliquando perperam & temerarie ſumtis, (adde victum incongruum, reliquumque regimen, quibus cauſæ mali redintegrantur). *Liſter.*



APHOR. 50.

Ὁκόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τουτέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν, καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίγνεσθαι.

Quibus perfectum fuerit cerebrum, iis febrem, & bilis vomitionem supervenire necesse est.

Vulnerato cerebro & febris, & bilis vomitus supervenire plerumque solet. Verum quia aliquando accedit febris, quæ non ex vulnere dependet, cognoscere expedit, quando hæc vulneris accidens sit, & quando non. Hoc autem nos docuit Hippocrates *lib. de loc. in hom. n.* 48. his verbis: *Ex rupto febris non ultra tres aut quatuor dies prehendit. Quod si prehendat, ratus quis ex rupto ea detineri, alia quapiam ex causa corripuit, neque ea veluti ex rupto tractanda.* Hæc Hippocrates, ex quibus videtur colligi posse, febrem ex vulnere die tertia, aut quarta, non citius invadere, & ratio est, quia febris excitatur, quando in vulnere oritur inflammatio; de qua re *lib.* 4. *de morb. n.* 22. *ulcera die impari inflammari* ait, & dierum imparium primus, est tertia dies. Unde apparet recte dictum fuisse, non ante tertium diem febrem vulneribus supervenire. Ex adverso idem Hippocrates *lib.* 7. *Epid. n.* 19. inquit: *Quibus ossa fracta fuerint, eos septimo die febris invadit, tempore vero*

calidiore

calidiore etiam citius. Quod si magis confracta fuerint, etiam illico. Hæc loca invicem conciliantur, si dicamus libro *de loc. in hom.* auctorem intelligere de ruptionibus, quæ in carne fiunt, quæ citius inflammantur ob sanguinis præsentiam, & loci caliditatem, quam quæ in osse fiunt. Quod si aliquando in ossium ruptione febris statim superveniat, id non ex inflammatione provenit, sed ob læsionis vehementiam, cujus gratia maxima fit in corpore perturbatio, & agitatio in humoribus, ex quibus febris oritur, & ideo in ossium fracturis, & ruptionibus minus malum est statim, aut paulo post febrem supervenire, quam die quarta, aut septima, unde Hippocrates de capitis vulneribus tractans *lib.* 2. *Prædict. n.* 22. habet : *Præstat igitur eum qui capitis ulcere laborat, neque febricitare, neque insuper sanguinis profusionem, aut inflammationem, aut simul dolorem aliquem accedere : aut si eorum quippiam appareat, circa initia tutissimum est fieri, paucoque tempore perseverare.* Et paulo inferius subjungit : *At febris in capitis vulnere die quarto, aut septimo, aut undecimo exorta, valde exitialis est.* Hic aphorismus ex *lib.* 1. *de morb. n.* 3. absque dubio desumtus est, quo in loco legitur hoc modo: *Si vero vulneratum fuerit* (cerebrum scilicet), *necesse est febrem, & bilis vomitum succedere, corporisque partem aliquam resolutam fieri ac perire* ; quæ quidem postrema verba omisit aphorismorum auctor, ea superflua ratus, vel etiam fortasse suspecta, cum verissima sint, & rationabilia. Necessitatem tamen eventus non videtur recepisse auctor *Coacarum Prænotionum*, nam *sect.* 3. *n.* 371. hanc referens sententiam, quod hoc in loco legitur, *necesse est, febrem & bilis vomitum succedere*, ibi inquit,

V 4 *febris*

febris utplurimum , ac bilis vomitus ſuccedit. De qua quidem ſententiarum diverſitate notandum eſt: Quotieſcunque vulnus cerebri notabilis eſt magnitudinis, non minimum, & fere imperceptibile, ægerque a communi hominum conditione, & natura non recedat, præfata omnia neceſſario eveniunt. Aliquando tamen non omnia ſuperveniunt, vel quia mors ea prævenit, vel quia vulnus leviſſimum, & ſuperficiale eſt, in eaque cerebri parte, quæ minus periculoſa eſt. Similiter vulneratus peculiari virtute a prædictis malis non facile corripitur. Hæc enim omnia conſiderans Hippocrates *lib.* 2. *Prædict. n.* 19. hæc ait: *Sunt autem hæc pernicioſa valde, non tamen ita, ut nemo ex his evadat, velut putatur*, &c. Aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur fauciatus. Quod reſpiciens in *Coac. l. c.* addidit *utplurimum*, idque univerſalitatem propoſitionis non tollit, quia rariſſimum eſt, ut hæc vulneribus cerebri non ſuperveniant, & extra naturalem partis, & hominis diſpoſitionem, ita ut ſi quis evadat, neceſſe ſit id evenire, quia vulnus in ea parte cerebri inflictum eſt, in qua minus affligitur, v. g. pars poſterior; vulnuſque omnino exiguum eſt. Similiter, ſi aliquando obſervatum eſt, ex vulnere cerebri nullius partis reſolutionem ſubſecutam eſſe, id evenlre potuit, quia per illam cerebri partem vulneratam, particulari ſtructura, nulla arteria diſſeminata fuerit, ex cujus ſectione ſenſus & motus intercipitur. Si denique aliquando cerebri vulnus non ſubſecuta eſt febris, id particulari hominis complexioni imputandum eſt; ſunt enim quidam, qui difficulter ex propria natura febres incurrunt, quemadmodum alios ex ſimpliciſſimo

mo vulnere febrem incurrere observamus: quare cum hæc a particulari, individualique hominis proprietate eveniant, & admodum raro, universalitatem propositionis tollere non possunt. Unde summa cum ratione *lib.* 1. *de morb. n.* 3. necessitas eventus apposita est, *febrem necesse est supervenire, & bilis vomitum,* &c. *Martian. p.* 471. & 163. Si cerebrum membranave ejus vulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit; fereque bilis vomitus insequitur: &c. *Celf. l.* 5. *c.* 26. §. 14. Febris accidit ab sanguine effuso & in pus converso, tum etiam a meningibus per vulnerationem inflammationem recipientibus. Sed febris non semper statim inter initia vulneris accenditur, sed plerumque tertia demum aut quarta die. At vomitus statim supervenit vulneri cerebri propter vulneratas meninges, nam sunt hæ nervosissimæ ac cæteros nervos in consensum trahunt, & ob nervum sextæ conjugationis bilis exprimitur. *Tozzi.* Notum est unicuique Chirurgorum, capitis ac cerebri, hujusque membranarum, inflammationes, vulnera graviora atque contusiones, vomitum sequi, per consensum, quem ventriculus vi, paris nervorum vagi, cum capite fovet. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 498.



APHOR. 51.

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίγνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίγνονται, καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

Quibus bene valentibus capitis dolores derepente contingunt, ſtatimque voce deficiunt, & ſtertunt, intra dies ſeptem pereunt, niſi febris eos prehenderit.

Eadem ſententia legitur in *lib. de Judicat. n.* 12. & *lib.* 2. *de morb. n.* 6. & apud *Celſum l.* 2. *c.* 8. *p.* 72.

Apopleɛtica notatur affeɛtio, quæ ex peracutarum eſt claſſe. Febris accedens ſolvere interdum poteſt compreſſum nervorum principium: quæ ſi corripuerit, plerumque homo ſanus evadit, juxta *Hippocr. lib.* 2. *de morb. n.* 21. Conf. 5 *aph.* 5. Subitus ille inſultus doloris cum vocis ſuppreſſione, & ſtertore indicat copiam ingentem materiæ comprimentis cerebrum, quæ niſi trajiciatur in vaſa ſanguinis, ita ipſum premet, ut ſpirituum influxus impediat, unde mors; traduɛta autem in vaſa ſanguinis febrem excitat, & per eam abſumitur, vel tenuatur, & per excrementa redditur, quare patet pronunciati ratio. Vid. *Bellin. de urin.* &c. *p.* 580.

APHOR.

APHOR. 52.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀχθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται, (μὴ) ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων, τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι, ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον, καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Spectare vero oportet quæ etiam ex oculis per somnum subapparent. Etenim si quid ex albo, (non) commissis palpebris, subappareat, neque id ex alvi profluvio, aut medicamenti potione contingat, pravum signum est, & letale admodum.

Mutilatus hic aphorismus etiam est apud Celsum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 54. & *c.* 8. *p.* 72. Integer habetur in *Prognost. n.* 3. ita: *Quin etiam per somnum, an ex oculis aliquid subappareat, spectare oportet. Ubi namque non commissis palpebris ex albo quid subappareat, id si neque alvi profluvium, neque medicamentum purgans expressit, neque ita dormire consueverit æger, pravum est indicium & letale admodum.*

Subapparentia ista in oculis semiclausis notat convulsionem, quæ si a vehementi medicatione, aut diarrhœa fiat, ipso sommo levari potest. Sin autem morbi alicujus acuti, apoplexiæ puta, symptoma est, letale. *Lister.* Observavit

servavit Auctor in ægris, quando propter debilitatem videbantur dormire, si palpebræ non bene commissæ servantur, ut in somno naturali fieri solet, istum somnum non esse somnum naturalem, sed abolitionem sensuum defectu spirituum, & inde ægros plerumque mori: adeo ut palpebræ ita conniventes arguant tantam debilitatem, quæ a morte non multum distat. Hæc autem debilitas inducta si fuit per copiosiorem evacuationem, non est tanti periculi, quam si fiat a degeneratione humorum, subito enim facta evacuatio valet ita minuere sanguinis fluxum ad cerebrum, ut homo sensibus priverur, sed sensim contractis magis vasis iterum ducitur sanguis ad cerebrum, & homines servantur, quod fieri non potest, si ex degeneratis spiritibus illa debilitas inducta fuerit. Inde oculi ita in dormientibus conniventes post quamcunque largiorem evacuationem, non magnum periculum portendunt, ut inde mortis præsagium faciant. Quod autem auctor dixerit post alvi fluxum & alvi ductionem, non vero post quamcunque evacuationem, inde est, quia, quod observavit, posteritati reliquit, & quia forsan non ita detexit oculos conniventes in ægris post alias evacuationes. Ego autem in praxi detexi hoc etiam post hæmorrhagias largiores, & inde magis generalem regulam de oculis conniventibus formare possumus. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 53.

Αἱ παραφρoσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι, ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deliria, quæ cum risu fiunt, tutiora: at quæ cum studio, periculosiora.

Celsus *l.* 3. *c.* 18. *p.* 154. in hunc modum expressit: *Neque ignorare oportet, leviorem esse morbum cum risu, quam serio insanientium.*

Deliria cum risu temporarias notant & transitorias sanguinis æstuantis turbas: cum studio autem seu solicitudine magis fixum & penitius infarctum vasis sanguinem spissiorem quam ut transferri queat. Conf. 2 *aph.* 2. Παραφροσύναι merito dixit, non phrenitides, in quibus fortasse hæc sententia non verificatur, propter phrenitides ex septo inflammato contingentes, quæ plerumque cum risu fiunt, & tamen omnium sunt perniciosissimæ. Hoc expertus est Silenus, qui *lib.* 1. *Epidem. sect.* 3. *ægr.* 2. cum risu, & cantu delirans mortuus est, & Tychon, qui in obsidione circa Datum a catapulta percussus in pectus, paulo post risus erat circa ipsum tumultuosus, cujus rationem assignavit Hippocrates, quia Medicus eximens lignum aliquod, de spiculo reliquerit in septo transverso: ut in illius historia videre est *lib.* 5. *Epidem. n.* 34. Deliria autem in hujusmodi affectibus cum risu fiunt, non ex benignitate humoris,

ris, ſed partis affectæ natura, quæ eſt ſeptum transverſum, quod præcipuum riſus inſtrumentum cenſetur. *Martian p.* 471. Niſi fallor, Hippocrates feſtinationem (μετὰ σπουδῆς) ſignificare voluit, quod genus delirii frequentiſſimum & plerumque exitioſum eſſe novimus. *Platner Opuſc. T.* 2. *p.* 103.

APHOR. 54.

Ἐν πᾶσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ, αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In affectionibus acutis cum febre, gemebundæ ſpirationes, malæ.

Reſpirationes hic notantur interruptæ, a convulſionibus. Vid. 4 *aph.* 68.

APHOR. 55.

Τὰ ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος, καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Podagræ vitia vere, & autumno moventur utplurimum.

Eadem habet Celſus *l.* 4. *c.* 24. *p.* 238. Inter morbos vernales recenſentur articulorum dolores, in 3 *aph.* 20; autumno coxendicum dolores oriri dicuntur 3 *aph.* 22.

Non vult textus, quod non aliis anni temporibus etiam podagra timeri poſſit, aut obtingat, ſed quod ver & autumnus ei producendæ

dæ magis opportuna sint: nam *morbi alii ad alias anni tempestates bene, vel male habere consuevere*, juxta 3 *aph.* 3. Sub vere novis elateribus catuliens aër, sanguinem movet, pandit, evolvit, qui sic animatus quæ sinu condebat morborum semina fundit. Autumno adveniente, propter inæqualitatem aëris mox frigidi mox calidi, transpiratio læditur: unde articularis morbus a retropulso evaporabili. *Hecquet.* Dignissimus quondam Professor in Academia Petropolitana, Gmelinus, Materia, inquit, dolores arthriticos creans, est certe mihi mucilago, nulla quidem qualitate, nimia tantum abundantia peccans. Diuturnitate vero temporis lentor, forte & acredo illi induci potest, quod utrumque ex hac ratione, tanquam effectus morbi, considerandum est. Causæ, nimiam hujus mucilaginis abundantiam efficientes, non quærendæ sunt in natura sanguinis, particulis mucilaginosis abundantis; sed in vasis eam secernentibus nimium laxis, vel a quacunque causa alia dilatatis. Ex hac sola consideratione explicari potest quæstio, *cur podagrici & arthritici periodos suas patiuntur verno plerumque & autumnali tempore?* Aëris nimirum humiditas fibras natura debiles relaxare facile potest, ut tum vasa, quæ ex iis contexuntur, majorem diametrum nacta, nimiam transmittant mucilaginem. Vid. *Com. Litt.* 1733. *p.* 68 *sq.*

APHOR.

APHOR. 56.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασιν ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνουσι.

Morborum melancholicorum periculosi decubitus, aut corporis siderationem, aut convulsionem, aut furorem, aut cæcitatem significant.

Humor melancholicus (sanguis spissus, ater,) qua parte decumbit, creat morbum. Vid. 4 *aph.* 22. In præsenti aphorismo notantur periculosæ humoris atrabilarii ad cerebrum metastases, quas apoplexia, epilepsia, cæcitas, aut ipsa mania sequitur: quare omnis cura adhibenda est, ut ne perversi ejusmodi motus translatorii seu ferales sanguinis ad caput congestiones procurentur, quale quid fieri maxime solet ab acerbis animi perturbationibus, aut largiori vini potentis inter dies caniculares potatione, vel denique omni medela, quæ liquida nimium exagitando vires deprimere valet. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 213. Per *apoplexiam corporis* ne credas Hippocratem intelligere apoplexiam proprie dictam, in qua corpus universum & sensu, & motu privatur, quia frustra apposita fuisset illa particula, *corporis*, quod Hippocratis stylo, & aphoristicæ phrasi penitus repugnat. Verum intellige af-

fectionem

ſectionem illam, quam alibi paraplegiam vocat, nosque paralyſin communiter dicimus. Cum enim eadem ſit affectio paraplegia cujusdam partis corporis, quæ eſt apoplexia totius, non improprie paraplegia, ſive paralyſis, apoplexia particularis dicitur, quod in præſenti ſententia Hippocratem feciſſe, ex eo perſuaderi poteſt: quia *lib.* 1. *de morb. n.* 3. ubi eadem ſententia regiſtrata eſt, quod in aphoriſmo habetur, *aut apoplexiam corporis*, ibi *paraplegia* legitur, cujus vocis interpretatio adhuc confirmatur ex *Coac. ſect.* 3. *n.* 371. ubi hæc legimus: *Quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accedit, & corporis apoplexia, ac tales pernicioſe habent.* Nam eandem referens ſententiam, quod in Coacis habet, *& corporis apoplexia, lib.* 1. *de morb. n.* 35. ait, *& aliquid corporis apoplecticum fieri neceſſe eſt, ac perire.* Quapropter nulli dubium eſſe poteſt, quin hoc in loco per apoplexiam corporis, paraplegiam proprie dictam intelligat. Ex quo percipere licet, quantum ab Hippocratis mente, & a veritate ipſa recedant illi, qui paralyſin, quam dicunt, ab humore melancholico fieri poſſe negant, aut ſaltem raro, ea promoti ratione, quia ipſis non videtur fieri poſſe, ut humor, qualis eſt melancholicus, craſſus, & tenax, anguſtiſſimos nervorum poros pervadat: quod ſi tandem contingeret, non paralyſis, quæ mollities quædam & laxitas nervorum exiſtit, ſed convulſio potius excitaretur. Quod nervorum affectiones utplurimum a melancholico ſucco oriantur, id plurimæ Coacarum Prænotionum ſententiæ palam faciunt. Quare cum Hippocrates experientia edoctus aſſerat, atrabilarios morbos in paralyſin, & convulſionem

transmutari frequenter, ratioque evidens id confirmet, temerarium eſt ab Hippocrate recedentes, novas opiniones inani ratiocinatione venari, nec eſt neceſſe in paralyſi nervos humectari, dummodo ſpirituum tranſitus impediatur: & quia in eodem errore verſantur etiam plurimi eorum, qui Hippocratis doctrinam profitentur, ut in poſterum excuſari non poſſint, nonnulla loca adnotare volui, ex quibus conſtat, apoplecticos affectus, ſive totius, ſive partis alicujus, ab humore melancholico, non a pituitoſo & frigido ortum habere. Primo autem *lib. de gland. n.* 9. apoplexiam ab acri fluxione in caput firmata generari teſtatur, quæ certe a pituita eſſe non poteſt, niſi hæc falſa eſſet, quare nec frigida & humida erit. Præterea *lib.* 2. *de morb. n.* 6. apoplexiæ ſpeciem deſcribit, quam ab atræ bilis affluxu, ſanguine refrigerato fieri teſtatur, & *lib. de vict. acut. n.* 37. ex atræ bilis, & acrium humorum influxu apoplecticos & paralyticos fieri teſtatur. Unde 7 *aph.* 40. *Si lingua*, inquit, *derepente impotens fiat, aut aliqua corporis pars apoplectica, melancholicum tale exiſtit.* Qua hujus morbi cauſa ſuppoſita, mirum non eſt, ſi (quod in *Coac. ſect.* 3. *n.* 318. legimus) apoplecticis hæmorrhoïdes ſupervenire ſit utile, humore melancholico per eas expurgato. *Martian. p.* 472.



APHOR.

APHOR. 57.

Ἀπόπληκτοι δὲ μάλιστα γίγνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

At apoplectici fiunt ea ætate maxime, quæ eſt ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum.

Ætas ad ſenilem vergens in ſtaſes proclivis eſt, propter rigiditatem fibrarum, quæ valide ſtrictæ ſanguinis ſerum exprimunt & colluviem ſeroſam creant, unde compreſſio cerebri. Vide Notata ad 2 *aph.* 42. & 3 *aph.* 31. & *Boerh. aph.* 1010. *n.* 2. *γ*. Ab anno quadrageſimo uſque ad ſexageſimum, confecto corporis augmento, ſucci in vaſis plus juſto non modo accumulantur, ſed & denſiores fiunt. Hinc porro fit, quod qui temperamenti ſic dicti ſunt ſanguinei, nec non obeſi, cum iis, qui lautam, otioſam & ſedentariam vitam ſectantur ſomnoque indulgent, huic affectui admodum ſint obnoxii. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 167. Apoplexia corripi ſolent plethorici vel ſeroſioris qui ſunt naturæ, facilius enim in hac ætate ſanguis nimis denſus, ſpirituaſcentia orbatus, propter cerebri imbecillitatem ac toni relaxationem ibi hæret, ſtagnat, vaſaque diſrumpit, vel ſeceſſionem ſeri parat. *Hoffm. de morb. incongr.* §. 4.

APHOR. 58.

Ἢν ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Ubi omentum exciderit, ut computrescat necesse est.

Eadem sententia exarata est in *lib.* 1. *de morb. n.* 3. & *Coac. sect.* 3. *n.* 378.

Omentum per vulnus foras excidens strangulatur a spastica peritonæi constrictione; in intercepto autem arctantur vasorum ejus diametri, unde humorum circuitus impeditus: sed hoc proximus ad sphacelum gradus est. Præterea vero omentum multa pinguedine donatur, paucissimis sanguiferis arteriis, contra lymphaticis numerosis, quæ facilius compressioni subjacent quam vasa sanguine rubro repleta. Ergo. *Hecquet.* Cur putrescat e vulnere propendens rationes datæ valent. Sed identidem observatum est, quod prolapsa omenti portio rursus debite in abdomen introducta seu reposita fuerit, bonis cum vulnerati rebus; si nempe statim antequam livorem contrahat aut nigrescat, calidum adhuc atque humidum, iterum reponatur. Vid. *Heister Chir. p.* 111 *sqq.* ubi etiam discere licet, quid cum corrupta portione factu opus sit. Non ergo absolute positum absolute verum esse aphorismum, contenditur in *Laur. Exerc. p.* 308 *sq.* Verum aphorismi effatum erat in Thracia & Thessalia, quia aër ibi est corruptioni magis obnoxius. *Cardan. p.* 731. Conf. 5 *aph.* 46.

APHOR.

APHOR. 59.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Quibus diuturno coxendicis dolore conflictatis coxendicis articulus ſuo loco excidit, ac rurſus recipitur, iis mucores innaſcuntur.

Ἰσχιὰς, *paſſio iſchiadica, coxarius dolor, coxendicus dolor, coxagra, iſchiagra*, Barbaris *Sciatica*, arthritidis eſt ſpecies (vid. not. ad 6 *aph.* 28.), eaque omnium ſæviſſima, arthritis coxendicis, dolore occupante dearticulationem magni oſſis femoris capitis cum cavitate oſſis iſchii, quæ acetabulum dicitur. Os iſchium etiam coxa, & coxendix, dicitur, unde denominationes morbi intelliguntur. Antecedit & quaſi auſpicatur hoc malum aliquando vicinorum muſculorum dolor, & maxime lumborum; aliquando vero ab ipſa junctura initium fit affectionis. Dolor iſchiadicus hoc proprii habet, quod latius, quam in aliis articulis, & ſæpe ad vicina loca diffunditur. Vertebræ dorſi, cervicisque dolent, & in ſummo ſacri oſſis dolor inhæreſcit. Vid. *Aëtius l.* 12. *c.* 1. In coxendicum morbo, dolor coxæ connexionem invadit, & extremas nates, & protuberantem in ſumma femoris parte carnem quæ γλουτὸς dicitur. Ad extremum vero per totum etiam crus dolor de-

 errat.

errat. *Hippocr. lib. de affect. n.* 30. Æger articulos præ dolore, qui in eis eſt, inflectere ac movere non poteſt, & eo quod ſpinæ vertebræ conſtrictæ ſunt. Dolor autem magis eſt ad lumbos & vertebras, quæ ex obliquo coxendicum ſitæ ſunt, & ad genua. Dolor autem acutus & æſtuoſus plurimo tempore in inguinibus, ſed etiam in coxendicibus inſiſtit, & ſi quis eum erigat, non tranſmovetur, ingemiſcit autem quam maxime poteſt præ dolore. Interdum vero etiam convulſio, & rigor, & febris ſupervenit. *lib. de dieb. judic. n.* 6. & *de intern. affect. n.* 54. Hoc morbo diu detentis ſi os (caput) femoris ex ſuo articulo decidit (ſeu luxatum eſt) & rurſus incidit (h. e. rurſus repoſitum), his ibi loci humor pituitoſus ſeu mucus, e glandulis copioſe effluens, coacervatur: nam inde arguitur ligamentorum laxitas, propter quam luxatio & repoſitio fieri potuerunt. Conf. *Heiſter Chir. p.* 255.



APHOR.

Aphor. 60.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τουτέοισι τήκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

Quibus diuturno coxendicis morbo conflictatis femoris caput suo loco excidit, iis crus tabescit, & claudicant, nisi urantur.

Cohæret hic aphorismus cum præcedente; & docemur in eo, tabem seu atrophiam cruris, atque claudicationem contingere, ubi nempe ischiadicum malum inveteraverit & luxatio capitis femoris facta fuerit: illa autem mala præcaveri ustione. Et tabes quidem oritur a compressione arteriosorum, unde nullum alimentum in partes inferiores influit; claudicatio autem fit, quia crus ob atrophiam robore destituitur & ob luxationem fit brevius, & ob ligamentorum laxitatem os femoris non firmiter stabilitur. *Ubi ossa suis sedibus non integre restituuntur, sed aliqua ex parte deficiunt, temporis lapsu coxa, femur & tibia emacrescunt. Ac si quidem intro luxatio facta est, exteriore parte, si extra, interiore parte extenuatio fieri solet. Plerumque tamen intro excidunt.* Hippocr. de fract. n. 17. *Si vero intus cartilago coaluerit, & articuli concreti fuerint, omnino hominem claudicare necesse est.* de intern. affect. n. 58. Ad hos præcavendos malos morbi exitus, ustionem commendat Hip-

pocrates. *Post purgationem - - si æger non juvetur, ei multas & altas crustas, in osseis quidem partibus per fungos, in carnosis vero per ferramenta, inurito.* ibid. n. 56. *Quod si in uno aliquo loco firmiter constiterit dolor, neque medicamentis expellatur, quocunque loco dolor forte extiterit, eum lino crudo inurito. lib. de affection. n.* 30. Ultimum est, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare. *Cels. l.* 4. *c.* 22. *p.* 236. Quemadmodum humerus, ita etiam coxa propter humiditatis copiam nonnullis excidens, ustionem postulat. Convenit igitur tunc illum præsertim locum adurere, e quo articulus excidit; sic enim humor redundans desiccabitur, & locus cicatrice densatus non amplius os suscipiet, quare etiam penitius illic ustionem moliri convenit. *Paulus l.* 6. *c.* 76.



HIPPOCRATIS

HIPPOCRATIS
APHORISMORUM
SECTIO SEPTIMA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO SEPTIMA.

Aphor I.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In acutis morbis extremorum refrigeratio, malum.

Extat hæc ſententia apud *Celſum l. 2. c. 4. p.* 51. Tantum vero differt extremorum refrigeratio, de qua in præſenti aphoriſmo agitur, ab exteriorum refrigeratione, de qua 4 *aph.* 48. quantum differt ſignum malum a letali. *Martian. p.* 473.

Per *extrema*, ſive partes extremas, intelliguntur manus & pedes cum ſuis digitis, tota etiam membra, atque nares & aures, quæ nempe partes remotiſſimæ ſunt a corde, & ipſum truncum corporis non conſtituunt: hæ partes quoniam magis expoſitæ ſunt aëri externo, citius refrigerantur quam truncus ipſe, ſi cauſa naturalis calefaciens, id eſt, motus vitalis ſit debilis. Omnes morbi acuti febriles habent vehementem circulationem per totum corpus; quare omnes partes inveniuntur calidiſſimæ ſeu urentes. Tali ergo in motu vitali aucto per totum

totum corpus frigus extremorum fieri nequit, nisi iſtis in partibus diminuatur vitalis actio ultra modum: nam ſi minuatur cauſa morbi acuti, extrema quidem magis temperatum calorem acquirunt, ſed nunquam ille eo uſque minuitur, ut dici poſſit frigus; atque in hoc caſu calor totius corporis ſimul minuitur, quando non dicitur frigus extremorum. Hæc igitur phraſis notat, extrema fieri frigida non ceſſante calore in trunco, & frigus fieri ſine diminutione morbi. Hoc eſt periculoſiſſimum: nam ſi maneat morbi cauſa, & minuatur circulatio in extremis, quod ex refrigeratione cognoſcitur, ſignum eſt vires vitæ, a morbi materia validiſſime irritatas, tam debiles eſſe, ut non valeant in partibus extremis proportionatam ſervare circulationem, quod fieri nequit ſine virium ſumma debilitate. Si nunc hæc duo inter ſe conferantur, morbus nempe validus, & vires corporis debiles, rarum erit, ſi æger emergat; ergo hoc ſignum ſatis magnum periculum portendit. *Gorter.*

APHOR. 2.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

Caro livida ex oſſe ægrotante, malum.

Os carie infectum eſſe, demonſtrat caro ſuperincumbens livida, mollis, flaccida, &c. Vid. *Boerh. aph.* 553. Cum os corrumpitur, cutis & caro liveſcunt aut ſeparantur. *Cardan.* Carnis autem naturalis color in livorem

rem commutatur, si sanguis ruber in vasis contentis concrescat. Hoc experimur etiam in tubulis minimis vitreis sanguine calente impletis; nam si sanguis ille diu hæsit in illo tubulo, donec globuli rubri sanguinis soluti in massam concreverint, dimittentes liquorem pellucidum non concrescibilem, color antea ruber in livorem commutabitur sponte. Carnis quoque color ruber livescit, imo tandem nigrescit, si superveniente putredine corrumpatur. Ergo livor in adjacente carne signum est, sanguinem stagnantem esse concretum, & ita esse ineptum circulationi: talis autem fieri nequit, nisi tantus sit defectus in circulatione, ut sanguis fluidus servari nequeat. Itaque livor est signum defectus virium vitalium, & concretionis sanguinis. Verum talis status diu durare nequit, quin pars ea moriatur, & in putrilaginem abeat, unde tunc formatur ulcus sordidum cacoëthes. Neque minoris momenti est, si livor oriatur ex sanguine corrupto, quia nunquam corrumpitur, nisi partis vitalis actio sit extincta aut nimis debilitata. Igitur si ex osse ægrotante talis fiat caro, sive quod os corruptum ita inficiat carnem, sive quod caro adjacens ita sponte moriatur, in utroque casu malum est, nempe generabitur ulcus sordidum cacoëthes ex carne corrupta, & osse mortificato, vel carioso, qualia ulcera difficulter curari possunt. Ipsa caro livida facile præsagire potest etiam ossis corruptionem; nam quia significat, ea in parte subsistere circulationem, periosteum, ex carne accipiens vasa circulatoria, privabitur etiam motu vitali, quare os subjectum, quod ex periosteo hoc vitales humores accipit, defectu ejus morietur, & ita lenta carie consumetur. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 3.

Ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ, καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

Ex vomitione ſingultus, & oculi rubentes, malum.

Hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 2. *n.* 20. legitur ita: *Ex ſinceris vomitionibus ſingultus malus eſt*; & apud Celſum *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. *mali morbi ſignum eſt, poſt vomitum ſingultum eſſe, vel rubere oculos.*

Oculi rubentes ſignificant ab vehementi concuſſione ſanguinem rubrum in adnatæ oculorum tunicæ vaſa lymphatica impulſum eſſe. Singultus notat vel inanitionem, vel materiam acrem, rodentem, ſtimulantem, inflammantem. Vid. notata ad 5 *aph.* 3 & 4. *Singultus & oculorum rubor* ſi vomitui ſuperveniant in morbis acutis, & ad aliquod tempus perſeverent, letalia ſigna ſunt, quia inflammationem cerebri, aut ventriculi denunciant: quæ inflammatio non modo ipſius ſingultus ac ruboris oculorum cauſa fit, ſed etiam vomitus. Cerebrum enim inflammatum, ſanguinem ad oculorum venulas exprimit præ copia, & in extimam oculi tunicam effundit; unde oculorum rubor, cui ventriculus conſentiens, per nervos ſextæ conjugationis admodum inſignes, ab ea cerebri inflammatione facile in vomitum ac ſingultum impellitur.

litur. Ventriculus quoque inflammatus vomitum, & a vomitu singultum, & una cum singultu ruborem oculorum invehit, facto concursu sanguinis fervidioris ad oculos, propter maximum consensum, qui inter istas partes intercedit: quem facile ostendunt suffusionum initia, imaginumque ante oculos apparitiones, quæ plerumque vitiato ventriculo contingunt. *River.* p. 280.

APHOR. 4.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

Ex sudore horror, non bonum.

Celsus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. *mali morbi signum* dicit, *post sudorem inhorrescere.*

Horror motus est naturæ conantis expellere quod molestat, per excitatos spasmos cum sensu frigoris. Vid. not. ad 5 *aph.* 17. Si ergo sudorem exceperit horror, signum est, quod non levaverit morbum, partibus humorum tenuioribus, sudore mediante, excretis, crassioribus relictis, quæ morbum saltem diuturnum faciunt; unde hoc respiciens Hippocrates dixit *non bonum*, quia salvo homine diuturnum fieri morbum, nec bonum simpliciter, nec malum dici potest. *Martian.*. *p.* 473. Si omnis materia morbi non sit eliminata, subsequente sudore eliminari potest; ergo non valde magnum malum. Sed si ex colliquatione sudor fiat, horror subsequens absolute malus esset dicendus. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 5.

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

Ex furore inteſtinorum difficultas, aut hydrops, aut vehemens mentis emotio, bonum.

Ut Melancholiæ ſæpe curationem attulit ſuperveniens atræ bilis per inferiora rejectio, juxta *Boerh. aph.* 1110; ita Maniæ, quæ Melancholiæ eſt proles, fruſtra tentatæ per omnia remedia, ſalutaria fuerunt dyſenteria, hydrops; *ibid.* 1124. Dyſenteria quidem ſi ab atra bile inceperit, letalis eſt, ſecundum 4 *aph.* 24. quia ſymptomatica eſt, non decretoria; ſed ad finem & jam concocto morbo ſuperveniens ſalutaris ſæpe eſt, quia educitur materia peccans, atra bilis: imo etiamſi per dyſenteriam non evacuetur atra bilis, utilis tamen erit facta humorum, & vaporum revulſione, quæ morbum mitiorem ſaltem facere ſolent, & ideo Hippocrates, ut univerſaliorem faceret ſententiam, non dixit, *dyſenteria ex atra bile ſolvit morbum*, ſed dixit, *dyſenteria* ſimpliciter, *bonum*, ut comprehenderet tam eam, quæ morbum ſolvit, quam, quæ illum mitiorem reddit. Nam *alvus ducta ſæpe ſuperiores partes reſolvit.* Celſ. *l.* 4. *c.* 3. *p.* 195. Hydrops pariter huic morbo ſuperveniens bonus dicitur, quia humectato per hydropem corpore humor atrabilarius miteſcit, indeque furoris ſolutio, aut remiſſio

missio saltem subsequitur. Ecstasis tandem superveniens furori est utilis, quia in ecstasi motus, & agitatio vehemens spirituum naturalium compescitur, in quo furoris essentia consistere videtur. Per ecstasin enim delirii genus quoddam intelligimus, in quo ægrotantes mentem adeo alienatam habent, ut si vocentur, oculos ad vocantem aliquando convertant quidem, verum nihil respondent, si pungantur, sentiunt, & membrum punctum retrahunt, non tamen conqueruntur, nihilque agunt, aut dicunt, quod rationis speciem habeat: perpetuoque intra se loquentes, delirare diligenter attendenti fit manifestum. Provenit autem hujusmodi delirium, quotiescunque species sensibiles operationibus interioribus animæ non communicantur, idque duplici modo evenit, vitio scilicet imaginationis, vel sensus communis. Primo modo fit ecstasis in iis, qui ob vehementem imaginationem mentem alienant ab omnibus aliis objectis. Nam spiritus speciebus sensibilibus imbuti in locum sensus communis ferri a præsentia fortis imaginationis prohibentur: eo quod species, quibus infixa imaginatio est, id vetant, ea ratione propter quam (ut dicunt) intus existens prohibet extraneum. Hujus naturæ est ea ecstasis, quam frequenter incurrunt viri sancti, dum intente contemplationibus se tradunt, & aliquando amantes, & quicunque aliquod intensius imaginantur. Vitio autem in sensu communi existente fit ecstasis, quando animales spiritus, interioribus operationibus inservientes, adeo vitiantur, ut analogiam nullam habeant cum exterioribus, cujus defectu non possunt species a sensibus exterioribus perceptæ interioribus communicari, unde actio interioris

ſenſus ceſſat, qui ſenſus communis dicitur. Hanc vero labem contrahunt ſpiritus ab intemperie æquali, & (ut dicunt) in habitu ipſius cerebri: propter quam ſpiritus illi actioni inſervientes a naturali diſpoſitione penitus diverſi producuntur; ita ut a naturali actione cerebri ceſſante fiat mentis alienatio. Eſto autem ecſtaſis ſine febre, non in vel cum phrenitide, qualis ab Hippocrate in *Coac. ſect.* 1. *n.* 96. ut ſignum inflammationis (quæ phrenitidem facit) in ſphacelum tendentis mala pronunciatur, dum inquit: *In febribus vehementes mentis emotiones cum taciturnitate* (ἐκστάσιες σιγῶσαι), *in eo qui voce defectus non eſt, perniciem minantur.* Hujuſmodi vero affectionis principium nullo alio ſigno melius diſtinguitur, quam ſilentio, unde phrenitici ſi poſt verborum garrulitatem in ſilentium incidant, tunc phrenitidem in ecſtaſin transmutari indicium erit; in qua quoniam inflammationis fervor remiſſus jam eſt, & humor quodam modo (ut ita dicam) in cineres redactus, ideo ecſtatici non cum furore, & garrulitate delirant, ſed tacite, ut dubitari poſſit, an delirent, nec ne. Quotieſcunque igitur ægri in ſilentium incidunt, vel id erit ex aphonia, vel a delirio ecſtatico, & quamvis vocis privatio in febribus maximum metum communiter incutiat, aliquando tamen non eſt letalis; cum ſæpe in graviſſimis morbis abſceſſus fiant ad eas partes, ex quarum affectione vox intercipitur, a quibus tamen ægri ſublevantur, & denique judicantur perfecte. At ecſtaſis ſemper letalis eſt, eo quod affectionem dictam cerebri conſequitur, quæ raro ad naturalem diſpoſitionem reducitur. Merito igitur Hippocrates inquit ecſtaſin, quum eo devenerit, ut ſilentium inducat, neque id proveniat ex aphonia,

nia, pernitiofam eſſe. Et quia eam febris perpetuo comitatur, etiamſi lenta admodum, hinc addidit, *in febribus*, ut eam ecſtaſin excluderet, quæ ſuperveniens furori utilis cenſetur in aphoriſmo noſtro. At neque hæc ſemper halcyonia tempora ægrum in tuto collocant. Nam, ut docet Hippocrates *Coac ſect.* 1. *n.* 138. *ſi vehementer mente emotis febris acuta ſuperveniat* (οἱ ἐκςάντες, ὀξέως ἐπιπυρέξαντες), *phrenitici evadunt*: h. e. ſi atra bilis alio humore accedente rurſus putreſcat, & denuo inflammationem in cerebro excitet, phrenitis denuo inſurgit; nam pro taciturnitate, garrulitas, pro immobilitate, jactatio, & pro manſuetudine furor accedit, aliaque omnia ſymptomata, quæ ad veram phrenitidem concurrunt. Hanc vero novam putredinem humores contraxiſſe indicat febris ſuperveniens acuta, quæ ante mitis erat, nam putredine, & inflammatione in cerebro conſiſtente, non poteſt non excitari febris acuta, & hoc eſt, quod ait Hippocrates in hac Coaca, ecſtaſi correptos, acute inſuper febrientes, phreniticos fieri. Sed ecce alium ecſtaſios funeſtum exitum. *Vehementes mentis emotiones ſilentes* (σιγῶσαι ἐκςάσιες), *absque quiete, oculis quoquoverſum intuentes, ſpiritum efflantes, perniciem minantur. diuturnas autem faciunt partium reſolutiones* (παραπληκτικὰ). *Quin etiam vehementer inſaniunt hoc modo affecti. Quibus autem cum ventris perturbatione hujuſmodi affectus ingraveſcunt, iis nigra per alvum circa judicationem prodeunt.* Quæ verba intelligenda ſunt de ægrotantibus, qui etiamſi taciturni ſint, huc, & illuc tamen moveantur, oculis fixis circumſpicientes, reſpiratioque his potius magna eſt, & rara, qualis delirantibus eſſe ſolet; a præſentia

nimirum humoris nigri, qui a cerebro ad nervos metastasin facit, unde pars aliqua corporis, & motu, & sensu privatur. Aliquando etiam evenit materiam præfatam in cerebro agitari, quæ inde vehementius incalescens ægrotantem in furorem adducit: in qua quidem agitatione, si alvus turbetur, eo quod pars ejusdem humoris tenuioris, aut materia pituitosa a capite inferius descendat, diarrhœa excitatur, quæ morituris in nigrorum excretionem transmutatur: quo tempore natura morbo succumbens materiam morbificam destituit, quæ propria gravitate deorsum ruens per eandem viam prorumpit ad alvum, hoc est enim, quod ait Hippocrates *iis circa judicationem nigra prodeunt*. Locus illustris ad confirmandam Hippocraticam denominationem hujus vocis *judicari* aliquando ad intentum usurpari. Cum non sit rationabile, morbum adeo letalem ad salutem terminari per excretionem nigrorum, quam diarrhœa præcesserit. Vid. *Martian.* p. 473. 527. 533. 588.

APHOR. 6.

Ἐπὶ νούσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη, καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν.

In morbo diuturno ciborum fastidium, & sinceræ dejectiones, malum.

Apud Celsum *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51: *Post cupiditatem cibi, postve longas febres hunc fastidire, mali morbi signum est*; & *ibid.* p. 53. *malum est*

(alvi

(alvi excrementum), *quod post febres longas sincerum est.*

In morbis longis seu chronicis (qui nempe spatium 40 dierum transiliunt & ulterius progrediuntur) humores sunt crassi, lenti. Si jam accedat ciborum fastidium, notatur tonus primarum viarum dejectus, unde metus est, ne natura ex prostratis viribus succumbat. Supervenientes *dejectiones* meracæ seu *sinceræ*, quæ uniformes sunt & impermistæ, seu flavæ, seu virides, seu pallidæ, malæ esse æstimantur, quia nihil cum illis evacuatur eorum, quæ morbi sunt causa Cujuscunque fuerint coloris aut consistentiæ, malas pronunciat Hippocrates in morbis dejectiones sinceras. Vid. *Coac. sect.* 6. *n.* 11. 44. 46.

Fastidium ciborum ἀποσιτίη, ut signum & causa malum portendit, denotat enim corruptos esse humores in corpore, qui in ventriculum confluentes appetitum naturalem extinguunt, & inde, licet ingerantur alimenta, ea corruptis mista non commutantur in bonum chylum: & quia debita quantitas alimentorum requiritur, ut sustententur vires in longo morbo, illa quantitas suppeditari nequit, propter inappetentiam vel fastidium; aut si ægri ingerant, ingesta non convertuntur in bonum succum. Itaque in convalescentibus & morbis chronicis tuti non sumus, quamdiu appetitus naturalis non redeat, quia est cacochyliæ signum (4 *aph.* 17.) Duo hæc symptomata, fastidium ciborum & dejectiones meracæ, & separatim & conjunctim præsagiunt malum: sed ex generali regula majus malum est, si duo mala signa jungantur, quam si unicum habeatur. Hippocrates passim inculcat, meracas dejectiones malas esse, sive sint pituitosæ, biliosæ, me-

melancholicæ, vel ſanguineæ, quia recrementa alimentorum fæcibus miſta faciunt, ut nunquam meracæ conſpiciantur niſi ex morboſa cauſa. Quod autem in chronicis cum faſtidio conſpiciantur meracæ dejectiones, illæ notant, tantam eſſe morboſorum humorum copiam in inteſtinis, ut ne quidem recrementa alimentorum conſpici poſſint: vel quod ingeſta alimenta, ante quam deponunt ſua recrementa, ita fuere corrupta, ut exhibeant maſſam pultaceam corruptam ubique ſibi ſimilem. Ergo malum eſt ſignum, ſive reſpiciamus ad multitudinem materiæ morboſæ, ſive ad corruptelam inductam. *Gorter.*

APHOR. 7.

Ἐκ πολυποσίης ῥῖγος, καὶ παραφροσύνη, κακόν.

Ex multo potu rigor, & delirium, malum.

Rigor & *delirium* ab ebrietate ſingularia fuere vinorum Græcorum ſymptomata, quæ nervos feriebant acriter, niſi coctione, conditura, aut vetuſtate cicurarentur. Metus eſt, ſi ebrii rigore corripiantur, ne non reſipiſcant, ſed moriantur convulſi, ex cerebro nempe nervisque oppreſſis, vini fortis crudique multitudine intra venas recepti. *Hecquet. Liſter. Valleſ.* Conf. 5 *aph.* 5. & 4 *aph.* 29.

APHOR.

Aphor. 8.

Ἐπὶ φύματος ἔσω ῥήξεως ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίγνεται.

Ex rupto intro tuberculo exſolutio, vomitio, & animi defectio contingit.

Enarrata hic ſunt ſigna rupti intus abſceſſus, effuſique puris, maxime ad ventriculum, & pulmones. *Ex tumoribus* (tam circa ventrem, quam in præcordiis) *mortem magis adferunt, quicunque intro rumpuntur.* Hippocr. Coac ſect. 2. n. 236. Sæpiſſime mors in cachecticis, tabidis & diuturna lenta ac hectica febre detentis, ex ingenti abſceſſu interno rupto natales trahit. Effuſum enim fœtidiſſimum pus, non modo viſcus cui inſidet penitus conſumit, ſed & vicinas quas tangit partes labe inficit atque corrumpit, ſimul quoque fœtore ſuo tenuiſſimum illud fluidum, quod fibris vim motricem confert, admixtione ſua contaminat. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 372. Unde exſolutio virium, quia deſtituitur corpus blandis, reficientibus, humoribus; ſed & vomitio a materia acri, fibras ventriculi, inteſtinorum, œſophagi & diaphragmatis irritante, convellente. Λειποψυχίη hinc intelligitur, ut quæ ſignificat defectionem virium eouſque increſcentem, ut & naturalis calor multum labefactari incipiat. *Boerh. J. M.* §. 829.

Vomitus interdum provenit ex rupto abſceſſu ad interiora; ſed hoc ſignum inconſtans eſt, ſæpe

ſæpe enim obſervatur ruptio interna ſine vomitu ſuperveniente: nam qui in empyema incidunt ex rupta vomica pulmonis vel pleuræ, raro a vomitu vexantur: quare, ſi accedat, ſignificare poteſt, tumorem fuiſſe ruptum circa vel in ventriculo. Λειποψυχίη ex intus rupto tumore fit, a nimia facta evacuatione, qua cingentia tumorem ſuſtentaculo orbata tantam in ſe recipiunt ſanguinis copiam, ut in reliquo corpore non remaneat ſufficiens ad circulationem continuandam. Raro autem iſtud fit a rupto interno abſceſſu purulento; ſed, ſi intus fuerit varix, aut aneuryſma, horum ruptione, quia ita effunditur ſanguinis ingens copia, facile fieri poteſt lipothymia & etiam ſyncope. *Gorter.*

APHOR. 9.

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη, ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.

Ex ſanguinis profluvio deliratio, aut etiam convulſio, malum.

Apud Celſum *l.* 2. *c.* 8. *p.* 76. hic aphoriſmus ita legitur: *Si ſanguis profluxit, deinde ſecuta eſt dementia cum diſtentione nervorum, periculum mortis eſt.*

Mala ſunt ab inanitione. De convulſione dictum 5 *aph.* 3. Nunc additur deſipientia quæ ſenſuum hebetudinem ſignificat, ob ingentem virium jacturam. *Tozzi.*

APHOR.

APHOR. 10.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ex ileo vomitio, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum.

Celſus *l* 2. *c.* 8. *p.* 74. ita habet: *Si in tenuiore inteſtino morbus eſt, vomitus, ſingultus, nervorum diſtentio, delirium, mala ſunt*; & *l.* 4. *c.* 13. *p.* 221. *ſtercus per os redditur. Adjicitur periculo, ſi vomitus bilioſus, mali odoris, aut varius, aut niger eſt.*

Ileus vocatur rejectio violenta per os eorum quæ cibi, potus, medicamenti titulo aſſumta; aut chyli, bilis, ſeri ſtomachici, pancreatici, inteſtinalis; bilis atræ, muci, puris, ichoris; fæcum inteſtinalium; clyſmatum ipſorum. *Boerh. J. M.* §. 816. Ubi acutiſſimi infeſtant dolores, cum contumaci alvi conſtipatione & vomitu aſſiduo etiam male olente, accedente ſingultu, delirio, gelido ſudore, extremorum frigore, nervorumque diſtentione, certos adeſſe mortis prodromos cenſendum. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 349. Significatur inflammatio inteſtinorum, communicata cum ventriculo, & demum etiam cum cerebro.

In ileo ſeu volvulo non neceſſe eſſe, ut contenta rejiciantur, ex aphoriſmo hoc conſtare poteſt; nam dicit Auctor, ſi volvulo vomitus ſuperveniat, malum. Si vomitus perpetuo adeſſet, non eſſet ſignum malum, neque ſu-

pervenire possset. Nunc autem vomitus superveniens propterea malum signum præbet, quia indicat, non solum intestina in motum inversum cieri, sed & ipsum etiam ventriculum, quare ab ano ad œsophagum motus peristalticus habetur inversus cum dirissimis doloribus, quod pejus est, quam si sola intestina fuissent affecta: atque vomitus ille intercipit applicationem omnium medicamentorum, quæ ad volvulum curandum ore dantur, nam statim ac ingesta fuere, vomitu tunc rejiciuntur. Inde Vomitus est malus & ut signum, & quia intercipit curationem necessariam. Si motus inversus intestinorum non solum propagetur ad ventriculum, sed etiam ad œsophagum, signum adhuc est pejus, quam si solus vomitus adesset, quia latius dispersus est morbus, plures partes in consensum trahit, & inducere incipit singultum, qui species convulsionis est, sed qui a leviori causa generatur, quam convulsio totius corporis, & qui ex affectis tenuibus intestinis facilius per consensum potest generari, propter continuitatem membranarum, quam convulsio totius corporis: propterea si superveniat convulsio, majus significatur malum, quam prædici potest ex superveniente singultu. *Gorter*.



APHOR.

APHOR. 11.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν.

Ex morbo laterali pulmonis inflammatio, malum.

APHOR. 12.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

Ex pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

Cohærent hi duo aphorifmi, & pofterior prioris eft continuatio. Hippocrates quoque hic memoratas metaftafes conjungit in *lib. de affection. n.* 9. quando fcribit, interdum ex morbo laterali in pulmonis inflammationem & febrem ardentem tranfitum fieri. Et Celfus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. *Poft lateris*, inquit, *dolorem, vitia pulmonum: poft hæc, infania.*

Pleuritis vera feu exquifita & legitima dicta, de qua hic agitur, vocatur dolor pungens acerrimus, cum febre acuta, & pulfu duro, in infpiratione valide aucto. Nomen habet a πλευρὰ vel πλευρὸν, quibus vocibus fignificatur & cofta, & latus generatim, & membrana coftas fuccingens. Ponit inflammatorium quid adeffe vel in mufculis intercoftalibus internis, vel

vel in modo dicta membrana. Ob vicinitatem frequenter accidit, ut superveniat pleuritidi pulmonum inflammatio seu peripneumonia, quam alii accuratius appellari censent pleuripneumoniam, peripleumoniam, vel & peripneumopleuritidem, ut distinguatur a peripneumonia quæ orta est a solis pulmonibus inflammatis, salva pleura aut costas cingente membrana. Cur malum dicitur, orta ex pleuritide peripneumonia? Quia notatur magnitudo causæ inflammatoriæ, propagatæ ex locis intercostalibus vel pleura membrana ad ipsos pulmones. Hinc omni sæviori pleuritidi peripneumoniam superaccidere, annotat *Boerhaave aph.* 906. postquam in *aph.* 905. observasset, quod in mortem exeat pleuritis tunc, quando tam vehementes causæ ejus, ut dolor productus omnem motum supprimens brevi creet, impedito sanguinis trajectu, peripneumoniam letalem quam brevissime. Apud Hippocratem *Coac. sect.* 3. *n.* 172. ex communi interpretatione legitur, *peripneumonias ex pleuritide transmutatas, securiores esse his quæ ab initio fiunt.* Nonne hæc manifeste contraria est assertio modo enarratæ? Tollitur contradictio, vocem illam ἀσφαλέστεραι, quam vertunt *securiores*, exponendo per *stabiliores*, & *firmiores*; sicuti enim σφαλερὸς *fallacem*, *instabilem*, & *inconstantem* significat, ita ejus contrarium ἀσφαλερὸς *stabilem*, *constantem*que significabit; unde ἀσφαλέστεραι hic erunt peripneumoniæ, quæ exitum firmiorem, & stabiliorem habent, ad differentiam earum, de quibus in præcedentibus Coacis tractatum est, quæ quoniam frequenter transmutantur, modo in abscessus superiores, modo in inferiores, modo in suppurationem, aliosque exitus habent

bent incertos, & varios, merito instabiles & inconstantes dici possunt. Inquit igitur Hippocrates peripneumonias pleuritidis succedaneas firmiores esse iis, quæ a principio invadunt, & ratio est, quia hæ nullam earum transmutationum subire possunt, quas primogeniæ subeunt, idque ob virium robur, quod in illis transmutationibus requiritur, quod in his adesse non potest. Nam ut dictat Hippocrates *lib. de affection. n.* 23. quando alter morbus alteri succedit, æger a priori morbo adeo debilitatur, ut subsequenti vix resistere queat, & ideo illum tam diu ferre non potest, quousque abscessum faciat, aut ad suppurationem deveniat, hæc enim non nisi temporis longitudine evenire non solet. Recte igitur dictum est peripneumonias ex pleuritide transmutatas stabilioris esse judicii, quam eas, quæ a principio fiunt, quia aut cum bonis, & salutaribus signis ad salutem terminantur, aut sine his ad interitum. *Martian. p.* 577.

Cur *phrenitis ex peripneumonia*, malum? Ferox & perpetuum delirium, a cerebro primario affecto, cum febre acuta continua, vocatur phrenitis vera. *Boerh. aph.* 771. Cerebro inflammato phrenitidem excitari certum est, & ab omnibus receptum, cerebri nomine comprehendentibus totum viscus, quatenus medullari substantia constat, venis, & arteriis per ipsum disseminatis, membranisque ipsum cerebrum continentibus. Verum hic morbus aliquando aliunde in cerebrum defertur. *oriuntur*, ait Hippocrates *l.* 3. *de morb. n.* 9. *phrenitides etiam ex aliis morbis.* Sunt itaque plures phrenitidis differentiæ pro diversitate, & varietate partium, ex quarum inflammatione phrenitis excitatur: gra-

gravissima autem omnium ea est, quæ ex septo inflammato ortum ducit. Talem vero esse eam, quæ peripneumoniæ succedit, est rationabile, inflammatione ipsa a pulmonibus ad septum transversum se extendente; & apud Hippocratem doctrina, quod ex septo transverso inflammato phrenitis excitetur, adeo frequens est, ut hanc solum phrenitidis causam cognovisse visus sit, ut vel ultimo allegatus locus id palam facit, ubi etiamsi a pluribus aliis caussis eam excitari fateatur, hujus tamen speciei tantummodo curationem descripsit; imo, quia hæc frequentius evenire observata est, ideo septum illud tanquam sapientiæ primarium instrumentum phrenes, hoc est mentis nomen apud Græcos sibi vindicavit, indeque ipsius phrenitidis nomen deductum est. Morbum autem letalem esse ibidem scribit, cum tertio die, aut quinto, aut septimo moriantur. Interim tamen non inficiandum est, quod etiam pulmone solo vehementer inflammato phrenitis excitari possit, quæ ratione magnitudinis casum letalem facit; sicque superveniens phrenitis signum erit, inflammationem ad summum gradum magnitudinis pervenisse. Vid. *Martian. p.* 473. 577. 190. & *Ettm. Oper. T.* 3. *p.* 54. Phrenitis a peripneumonia letalis. *Boerh. aph.* 774.



APHOR.

APHOR. 13.

Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμὸς, ἢ τέτανος, κακόν.

Ex vehementibus ardoribus convulſio, aut nervorum diſtentio, malum.

Celſus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. *poſt magnos fervores corporis, nervorum rigorem, aut diſtentionem* oriri ſcribit.

Convulſio ſeu ſpaſmus, aut etiam tetanus, febrili ſuperveniens fervori, malum portendit, quia notatur ſanguinem impetu pulſum eſſe in arteriarum ultimos fines, qui in nervorum deſinunt fibrillas, ut ita ad nervos pertingat phlegmone, quæ creet ſpaſmos, tetanos. Conf. notata ad 2 *aph.* 26. Imo, qui a tetano corripiuntur, intra quatuor dies pereunt, &c. juxta 5 *aph.* 6. De natura ſpaſmi, & tetani, dictum eſt ad 5 *aph.* 17.

APHOR. 14.

Ἐπὶ πληγῇ εἰς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ex ictu in capite accepto ſtupor, aut deſipientia, malum.

Apud Celſum *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. ita legimus; *Ubi caput vulneratum eſt, delirium erit.*

Notatur cerebri ſubſtantia comprimendo læ-

sa: unde non modo apoplexia, sed & perquam facile, in primis in plethorico-cacochymicis subjectis, phrenetica affectio inducitur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 410. Ἔκπληξις idem significat quod apoplexia. vid. 2 *aph.* 42. Παραφροσύνη hic generatim designare videtur desipientiam. Conf. 2 *aph.* 2. Quæ caput quodammodo concutiunt, cum intensa oculorum rubedine, ac manifesto delirio, perniciem denunciant. *Hippocr. Coac. sect.* 2. *n.* 8. Protinus requirendum est, inquit Celsus *l.* 8. *c.* 4. num bilem is homo vomuerit, num oculi illius obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Hæc enim nonnisi osse fracto eveniunt. Atque ubi conciderunt, scire licet, necessariam, sed difficilem curationem esse. Si vero etiam torpor accessit, si mens non constat, si nervorum vel resolutio vel distentio secuta est, verisimile est, etiam cerebri membranam esse violatam; eoque in angusto magis spes est. At, si nihil horum secutum est, etiam potest dubitari, an os fractum sit.



APHOR.

APHOR. 15.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει πύου πτύσις, κακόν.

Ex sanguinis sputo puris sputum, malum.

APHOR. 16.

Ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις, καὶ ῥύσις· ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσιν.

Ex puris sputo tabes, & fluxus: ubi vero sputum sistitur, moriuntur.

Conjungendæ sunt hæ sententiæ, nam prioris consectarium est posterior. *Celsus l.* 4. *c.* 4. *p.* 203. *Sæpe*, inquit, *evenit*, *uti sanguinem pus sequatur.*

Puris sputum sanguinis sputo superveniens notat natum in pulmonibus ulcus; hinc vero provenit *phthisis*, si nempe repurgatio legitimo tempore non facta fuerit, a pure retento; vide 5 *aph.* 15; *& fluxus* sive diarrhœa. Non autem semper phthisicos diarrhœa superveniens e medio tollit, sed tunc demum, cùm iisdem jam consumtis supervenit; de qua re legantur dicta ad 5 *aph.* 14. *Moriuntur* autem *ubi sputum sistitur*; quam diu enim phthisici notabile quid exspuunt, tam diu cum diarrhœa vivere observantur: adeo ut aphorismus modum mor-

tis ostendat illorum, qui ex phthisi moriuntur; eousque enim extenuati vivunt, donec per ea quæ exspuunt, possunt pulmonem expurgare; cum vero intus manent, obserantur quidem viæ spiritus, patientes vero strangulantur. *Forest. Obs. Med. l.* 4. *obs.* 4. *schol. p.* 213. Vid. *Hippocr. l.* 1. *de morb. n.* 10. & 19. Pus expuisse in tabe, deinde ex toto spuere desiisse, mortiferum est. *Cels. l.* 2. *c.* 8. *p.* 72. Neque tamen omnibus phthisicis, cum morituri sunt, sputum supprimitur, ita ut a sputo in pulmonibus retento suffocentur, sed iis tantummodo, quos diarrhœa superveniens e medio tollit. *Martian. p.* 473.

Sanguis effluens & stagnans extra vasa in pus convertitur, unde puris sputum; quod pus sensim pulmonem corrumpens prohibet, ne sanguis elaboretur, vel cum sanguine miscetur, eumque corrumpit, vel totum corrumpit corpus, per quod fluit, unde tabes & concidentibus, summeque laxatis per corruptionem partibus fluxus. Quod si supprimatur sputum, totum pus intra pulmonem detinebitur, ex quo fiet ejusdem visceris brevi corruptio, unde mors, quæ etiam ex eo citius corripiet, quod pus collectum intra pulmonem infarciet, & comprimendo occludet vasa sanguinis, adeoque sanguinem sistet. *Bellin. de urin. &c. p.* 673.



APHOR. 17.

Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν.

Ex jecoris inflammatione ſingultus, malo eſt.

Expoſitus habetur hic aphoriſmus ſupra 5 *aph.* 58.

APHOR. 18.

Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ex vigilia convulſio, vel delirium, malum.

Secundum *Celſ. l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. *ubi vigilia torſit, nervorum diſtentio.*

Mala in aphoriſmo memorata ab inanitione: unde humoribus naſcitur acrimonia, a qua fibrillæ cerebri atque nervi afficiuntur. Diuturnas vigilias ſequitur plerumque maxima partium internarum debilitas, unde ſtagnationes humorum in capite, periculi plenæ inflammationes ac deliria oriuntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 613. Hinc apud Celſum *l.* 2. *c.* 7. *p.* 58. „ Si „ in continua puero venter nihil reddit, mu„ taturque ei color, *nec ſomnus accedit,* plorat-

,, que is assidue, metuenda *nervorum distentio* est". Delirium sane ponit semper cerebri medullosi affectionem morbosam, &c. *Boerh. aph.* 701. Convulsio itidem semper a vitio cerebri, quod oriri potest ex omni illa causa, quæ deliria, pervigilia, creare potest. *ibid.* 710. Quin ipsa nimia vigilia pro causa habet plerumque levissimæ inflammationis cerebri prima initia. *ib.* 708. Quare vigiliis urgentibus confert usus demulcentium, temperantium, humectantium internus & externus. *Wedel.*

APHOR. 19.

Ἐπὶ ὀστέου ψιλώσει ἐρυσίπελας, (κακόν.)

Ex ossis nudatione erysipelas, (malum).

APHOR. 20.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, (κακόν.)

Ex erysipelate putredo, aut suppuratio, (malum.)

Cum in nullo Græco exemplari legatur hæc vox κακὸν *malum*, temerarium est illam addendo a communi lectione recedere, & eo minus id fieri licet, quando hæc sensum idoneum admittit. Nam osse denudato plerumque erysipelas supervenire, ut prior sententia dicit, mihi

mihi admodum rationabile videtur. Quia si magna vulnera labiorum, vulnerum tumor consequitur, quia absque magnitudine vulneris, os denudari nequit, sequitur ossis denudationem subsequi inflammationem, quod erysipelas appellat, quia humoris tenuioris adest prædominium. Inducto autem in ulcere erysipelate, necesse est, aut calore naturali vincente suppurationem fieri optimo, & laudabili pure, aut eodem succumbente, putredinem excitari, quod postremum sicuti malum est, ita ulcus suppurare bono pure, optimum erit, ideo de ambabus sententiis malum dici non potest. Quare horum duorum aphorismorum sensus erit. Ab ossis denudatione erysipelas plerumque consequitur, & ab erysipelate putredo, aut suppuratio. *Martian. p.* 473 *sq.* Explicationi huic favet textus in lib. de cap. vuln. n. 27. *At ubi in capitis vulnere, sive serra fuerit adhibita, sive non, nudato tamen osse, tumor rubicundus ad erysipelatis naturam accedens, in facie & oculis utrisque, vel altero subortus fuerit, quique ad contactum doleat, ac febris & rigor corripiat, ulcus vero ipsum, quod ad carnem osque attinet, ad adspectum recte habeat, quæque ulcus ambiunt bene habeant, excepto faciei tumore, eique nullum aliud peccatum in reliqua victus ratione accesserit, medicamento quod bilem moveat homini alvus purganda est. Quo sic purgato, tum tumor subsidit, sanusque evadit. Medicamentum autem exhibendum pro hominis robore, virium illius habita ratione.* Hisce addi potest ex Celso *l.* 5. *c.* 26. *n.* 33: At, si nigrities est, quæ nequedum serpit, imponenda sunt, quæ partem lenius exedunt; repurgatumque ulcus sic, ut cætera, nutriendum est. Si magis putre est, jamque procedit ac serpit,

 opus

opus est vehementius erodentibus. Si ne hæc quidem evincunt, aduri locus debet, donec nullus ex eo humor feratur. nam quod sanum est, siccum est, cum aduritur. Post ustionem putris ulceris, superponenda sunt, quæ crustas a vivo resolvant; ἀπεσχαρωτικὰ Græci nominant. Ubi exciderunt, purgandum ulcus, maxime melle & resina est. Sed iis quoque purgari potest, quibus purulenta curantur, eodemque modo ad sanitatem perducendum est. H. J. Sed tamen ignorari non debet, quod, quum erysipelatis causa tenuis sit humor, qui resolutione vel diaphoresi sanari amat, juxta dicta ad 5 *aph.* 25. quod, inquam, eo intuitu, suppuratio ex erysipelate malum dici queat: suppuratio quippe ejus non proprium; nam quia sedem suam habet in sola cute, ubi suppurat, necesse est, ut profundius, in carnes, penetret. *Cardan. p.* 768 *sq.* Sine dubio autem ullo corruptio seu putredo hic contingens est malum, quia via est ad gangrænam. *Vallesf.* Conferantur quæ de natura humoris erysipelacei caustica notata sunt ad 6 *aph.* 25.

Non semper ossi denudato supervenire erysipelas, quotidie experimur; si autem superveniat, malum erit signum, tam quoad causam, quam effectum. Tunc enim præprimis accedit erysipelas, si humor ichorosus ex osse nudo effluens ad partes molliores applicatus, istas irritat, tumere & rubere facit, qualis rubedo ab imperitis pro inflammatione accipitur. Sed quoniam talis tumor ruber magis est pruriens, & non convertitur in pus sed in ichorem, atque exigit medicamenta quæ erysipelati adhiberi solent, ac respuit laxantia & humida, quæ egregie opitulantur inflammatis, necesse

necesse erit, ut hanc rubedinem supervenientem vocemus erysipelas. Hoc autem generatur, si medulla ossis corrumpi incipit: ergo signum est malum, quum sit corruptionis indicium. Et mala quoque est causa; nam si putrescat medulla, os nudatum non solum in loco denudato peribit, sed etiam pars reliqua a medulla corrupta inficietur: atque medulla corrupta intercipiet omnem consolidationem, quia materiem purulentam, quæ alias consolidationem promovet, commutabit in ichorem rodentem, solventem omnes affluentes humores in putrilaginem. Optimum est, si materia erysipelatis tenuis, acris, & calefaciens per insensibilem perspirationem exeat, relinquens partem prius obsessam sanam; istius enim detegitur naturæ, ut nunquam sanis assimilari possit, vel in pus commutari, sed retenta sensim reddatur acrior: propterea tanto cum successu adhibent Chirurgi sicca & siccantia atque absorbentia ad erysipelatis curationem, quibus id tenue auferunt. Si vero illa materia relinquatur in loco calido, & humiditate diluta, promta est ejus mutatio in putrilaginem, qua non solum boni affluentes humores liquescunt, verum ipsæ etiam partes firmæ, & præcipue pinguedo: tunc non amplius sufficit insensibilis exhalatio, verum, quod ita per putredinem fuit mutatum, simul debet auferri. Quare morbi status pejor est post conceptam illam putredinem, quum declaret causæ augmentum & promittat difficiliorem & tardiorem curationem. Igitur cavendum est, ne pars erysipelate affecta disponatur ad putredinem. Atque malum est, si erysipelas abeat in suppurationem. Dum enim acris materia erysipelatosa

irritat partes adjacentes, in his generat localem inflammationem, quæ pus producit, adeo ut in eo loco habeatur materia eryſipelatoſa irritans, & materia purulenta, qualis morbus a Veteribus dicebatur eryſipelas phlegmonodes. Si pura ſimplex adfuit inflammatio, quæ commutatur in ſuppurationem, pus confectum erit blandum & conſolidans: ſed ſi ex eryſipelate adjuncta materia illa bilioſa acris admiſceatur puri, iſtud tunc pus non manet blandum & conſolidans, atque hoc inchoroſum eryſipelatoſum non deſinet irritare, novamque inflammationem in ambitu concitare; ideoque malum eſt, & ſemper evitandum a Chirurgis, ne eryſipelas maturantibus convertant in purulentiam. *Gorter.*

APHOR. 21.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.

Ex forti in ulceribus pulſu, ſanguinis eruptio, malum.

Clarius reddidit Celſus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64: *Ubi vehementer venæ ſupra ulcera moventur, ſanguinis profluvium erit.*

Pulſus fortis in ulceribus, copiam ſanguinis ad ulcus confluere indicat, quatenus caro, & venæ eo repletæ, motum arteriarum ægrotanti ſenſibilem faciunt, qua ſtante, non eſt mirum, ſi inde fluxus ſanguinis ab ipſomet ulcere ex-

expectari debeat, venulis in ulcus desinentibus viam ipsi præbentibus. *Martian. p.* 374. Ubi stasis sanguinis, a fasciis, ulcus, seu vulnus, intermedium, lachrymosum ac minime suppurans, pulsans ac febriens fieri, scriptum est ab Hippocrate *lib. de fract. n.* 28. *Malum* itaque dicitur, quia notatur sanguinis stasis in arteriis cum inflammatione. Nam ubi ulcus ambientes partes inflammatione vexantur, quam diu inflammatio perseverat, ulcera coïre non solent. *de ulcer. n.* 5. Neque obstat hisce, quod Hippocrates *ibid. n.* 3. dicit, quod omni recens facto ulceri, præterquam si in ventre sit, ex eo ipso sanguinem statim plus minusve effluere expediat. nam notum est, quod sæpe paulo latius nomen ulceris ab Hippocrate usurpetur, pro omni continui solutione, pro vulnere in hoc textu; imo generalissime omnes morbi ulcera vocantur in *lib. de fract. n.* 33. Recentiores distinguunt vulnus ab ulcere, illud dicentes solutam cohæsionem recentem, cruentam, partis mollis, a corpore duro acuto, moto, presso, vel resistente; ulcus vero appellant solutam cohæsionem partis mollis, non cruentam, sed ichorosam aut purulentam plerumque, a materia erodente: nec ulceris denominationem dant vulneri nisi antiquo & purulento.

Recte monet Auctor malum esse, si post fortem pulsum in ulceribus sanguis erumpat, quia non potuit semper compescere illam hæmorrhagiam, atque illa evacuatio sanguinis non conducebat consolidationi ulceris: antea enim potuit per balsamica applicata promovere ulceris consolidationem, & modice sustentare partem, nunc vero applicanda sunt styptica ad

compescendam hæmorrhagiam, & firmior adhibenda est ligatura, atque ita retardatur ulceris curatio, & relinquitur timor recrudescentiæ hæmorrhagiæ. *Gorter.*

APHOR. 22.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἐκπύησις, κακόν.

Ex diuturno partium, quæ ad ventrem attinent, dolore suppuratio, malum.

Videtur hæc sententia desumta ex *lib. de humor. n.* 3. ubi hæc leguntur: *In vicinia dolorum cujusque abscessus contingunt, ad superiorem partem magis, & in totum. Si tardus fuerit morbus, & deorsum feratur, infra etiam abscessus contingent.* Qui textus truncatus & turbatus est in præsenti aphorismo, in quo compilator ejus indicare forte voluit, quod in longis morbis, seu lentis febribus abscessus oriri soleant in inferioribus partibus, *ad ventrem*, abscessuum autem futurorum signa esse dolores: vocula autem κακόν in textum irrepsisse aliunde videtur. Vis certum fientis abscessus signum? En: *Quibus sine febre aliqua parte dolor, aut prurigo, cum rubore & calore est, ibi aliquid suppurat.* Cels. l. 2. c. 7. p. 62 sq. Conf. 4. *aph.* 31. 32. 33. & quæ ad eos notata sunt.

APHOR. 23.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

Ex sincera alvi egestione intestinorum difficultas, malum.

Hanc sententiam Celsus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. ita exprimit: *Post alvi longam resolutionem tormina* oriuntur.

A dejectione mere biliosa, acri, intestina exulcerantur; unde dysenteria. *Holler.* Intellige autem dejectionem, quæ diu perseverat, nec illam esse ab atra bile in principio morborum, aut in extenuatis, nam talis, seu subsequatur, seu non dysenteria, statim letalis est, ex 4 *aph.* 22. 23. 24. Quid alias per meracam seu sinceram dejectionem significari soleat, explicatum habetur ad 7 *aph.* 6.

APHOR. 24.

Ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

Ex osse perfecto delirium, si ad vacuum usque penetravit.

Intellige sententiam de cranii alta fractura: & quod fragmentum cranii fracti in cavum cerebri ad meninges penetrans delirium creat, a

facta phlegmone in dura matre. *Hecquet.* Conf. 7 *aph.* 14. Verum tamen oportet ut læsio facta fuerit in membrana cerebrum involvente; nam ut adnotavit Hippocrates *lib. de capit. vuln. n.* 24. ossa, quæ a suo naturali statu recedunt & media desidunt, fracta aut late admodum præcisa, hæc minus habent periculi ubi membrana integra fuerit. Imo vero, etiam si ex ossis fractura non semper & necessario delirium supervenit, quia tamen frequenter id contingit, aphorismus hic nihilominus verus erit, quum Hippocrati mos sit referre mala malis supervenientia. Vid. *Martian. p.* 474.

Aphor. 25.

Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.

Ex medicamenti purgantis potione convulsio, letale.

Quod particulatim de superna per helleborum purgatione prolatum est 5 *aph.* 1. nunc universaliter de omni purgatione repetitur. Advertendum est autem, gravius esse convulsionem a medicamento absque immodica evacuatione supervenire, quam ubi simul immodica evacuatio concurrit. *Martian. p.* 474. Conf. 5 *aph.* 4. & 6 *aph.* 39. Quicunque a veneno vel validissimo emetico aut purgante sumto moriuntur, hos identidem inflammatio sphacelosa, teste anatome practica, e medio tollit. Mortis autem præsagium ferunt ardores interni & summæ anxietates, pulsus valde parvus &

& inæqualis, vel plane deficiens, cum ſudore frigido, delirio & convulſione. *Moſſm. Med. rat. T.* 3. *p.* 349.

Aphor. 26.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν.

Ex vehementi partium quæ ad ventrem attinent dolore, extremorum refrigeratio, malum.

Exponi poteſt hæc ſententia de dolore in præcordiis, maximeque ſcrobiculi cordis regione, qualis eſt in lipyria febre ad 4 *aph.* 48. enarrata. Conferri poteſt 7 *aph.* 1.

Aphor. 27.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγινόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Mulieri utero gerenti teneſmus ſuperveniens, abortire facit.

Aſſiduus conatus ad dejiciendum, ſeu teneſmus, in conſenſum trahere poteſt uterum, ut excutiat fœtum; nam nectitur cum recto

recto intestino uteri cervix: maxime, si fuerit tenesmus vehemens, excitatus a dysenteria maligna, frequenti in Græcia malo. Præterea mulieres Græcæ admodum imbecilles & delicatæ fuerunt, ob summam abstinentiam a vino, victumque tenuiorem, & custodiam diligentiorem. Ab hæmorrhoïdibus internis hodie sæpe mulieres gravidæ tenesmo afficiuntur, neque tamen abortum faciunt. *Lister.*

Fœtus humanus raro ante septimum mensem ad eam perfectionem venit, ut possit alimentis ore sumtis proprium suum nutrimentum conficere, & in lucem prodiens respirare. Si ergo prius in lucem prodeat, quam ut illa organa habeat perfecta, sive fœtus ita prodiens sit vivens vel mortuus, illa exclusio vocatur *abortus*, qui est partus maturior quam quo potest vitalis manere infans. Si vero post istud tempus, usque ad legitimum partus tempus excludatur fœtus sive vivens sive mortuus, potius illa exclusio vocatur partus præmaturus, quo tempore exclusus fœtus omnia membra eousque habet perfecta, ut potuisset a matre separatus vivere. De tali ergo exclusione hoc loco agit auctor, quæ fit ante tempus, quo potuisset fœtus exclusus a matre separatus, manere vitalis. Ex causis abortum facientibus hic recensetur tenesmus. Si intestinum rectum a quavis causa irritatur, in ejus fibris muscularibus aliquis concitatur motus, qui contenta non solum hujus, sed etiam intestini coli determinat versus anum, & ita ejicit: & ut hæc ejectio validiore potentia peragatur, naturali lege musculi abdominis in consensum trahuntur, qui non solum tunc quasi contra voluntatem nostram constringuntur, sed etiam faciunt motum determinantem deorsum:

sum: præterea cogimur facta summa inspiratione retinere animam, ut diaphragma magis complanatum possit recessum visceris sursum impedire, qua majore potentia urgentur contenta intestinorum versus anum, quando vocatur *alvi egestio*. Sed si in intestinis nullæ restent fæces, & hoc tamen intestinum ab aliqua causa irritatur, eadem fiunt conamina sine dejectione fæcum, nisi quod violenta illa compressione extrudatur aliquid mucosi ex lacunis intestini recti. Hic conatus sæpe rediens sine dejectione fæcum vocatur *tenesmus*, seu crebra cupiditas egerendi alvum. Intestinum rectum ad talem ejectionem instigatur vel a causa irritante ipsum intestinum, vel ita movetur per consensum, uti experimur in calculosis, si calculus hæreat ad urethræ orificium, & in stranguria virorum. In fœminis autem, quia uterus intestino recto adjacet, ab eo affecto etiam intestinum rectum consentire potest; quando tunc non amplius in recto intestino sunt fæces, illa fœmina laborabit tenesmo. Igitur fœmina gravida tenesmo laborat, ex causa irritante intestinum rectum, vel per consensum cum utero seu vagina. In utroque casu abortus instat, si fiat ante legitimum pariendi tempus. Si enim causa illa instigans in utero vel vagina hæreat, nemini mirum esse potest, quod tunc per validissimum conatum; uti in parturientibus, fœtus immaturus excludatur. Si fiat autem per irritationem ipsius intestini, non solum conatus in tenesmo valide urget contenta uteri, ut ejus internum orificium aperiatur & ita excludantur; verum ipse uterus tandem etiam in consensum trahitur, ut se accingat quemadmodum in parturientibus profundere contentum immaturum fœtum.

fœtum. Ex his ſatis conſtat, quam cauti eſſe debeant Medici in propinandis purgantibus, in dandis ſuppoſitoriis vel glandibus, & injiciendis clyſmatibus, fœminis gravidis; atque ſumma cura promte curare debent fœminis gravidis teneſmum & dyſenteriam, ne ſubſequatur iterato conamine egerendi abortus. *Gorter.*

APHOR. 28.

Ὅ, τι ἂν ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

Os quodcunque, vel cartilago, vel nervus in corpore præciſus fuerit, neque augetur, neque coaleſcit.

Hic aphoriſmus ſupra 6 *aph.* 19. continetur.

APHOR. 29.

Ἢν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

Alba pituita vexato ſi vehemens alvi profluvium ſuperveniat, morbum ſolvit.

Hæc ſententia iiſdem verbis legitur in *lib. de Judicat. n.* 11. In *Coac. ſect.* 3. *n.* 326. ſcripta eſt in h. m. *Pituita alba tumentes* (τοῦ λευ-

λευκοφλεγματῶντας) *alvi profluvium sedat.* (exsolvit, liberat). Et in *lib.* 2. *de morb.* *n.* 69. dicitur, *si venter per morbi initia sua sponte conturbatus fuerit, sanitati est proximus.* quod etiam dictum extat *lib. de intern. affect.* *n.* 23. sed desunt hic verba illa *per initia morbi.* Rursus *lib.* 1. *de morb.* *n.* 6. hæc habentur: *Subaquoso & lienoso, albaque pituita detento, alvus vehementer perturbata, bono est.* Apud Celsum *l.* 2. *c.* 8. *p.* 68. *aqua inter cutem minime terribilis* dicitur, *si venter mollis; si per se excernit mollia & figurata.*

Λευκὸν φλέγμα, *pituita alba*, communiter in scholis Medicorum una voce *Leucophlegmatia* dicitur; & Celsus *l.* 3. *c.* 21. *p.* 160. λευκοφλεγματίαν, vel ὑπὸ τὴν σάρκα, appellari scribit eam hydropis speciem, quando corpus inæquale est, tumoribus aliter aliterque per totum id orientibus. Hippocrates *lib.* 2. *de morb.* *n.* 69. pituitam albam ita describit: Totum corpus albo tumore intumescit, venter ad contactum crassus est, pedes, coxæ, tibiæ & scrotum intumescunt, respiratio coacervata est (*impedita* seu *difficilis* & *anhelosa*, vultus rubicundus, os aridum, & sitis detinet, cumque comedit, spiratio crebra incidit. Hic eodem die interdum melius, interdum vero pejus habet. Eadem pene verba leguntur in *de intern. affect.* *n.* 23. Ex doctrina *Boerhaavii aph.* 1225. hydrops λευκοφλεγματία, ἀνὰ σάρκα, ὑπὸ σάρκα, oritur, quoties in toto habitu pinguitudinis subcutaneæ (*in membrana adiposa, reticulari & cellulosa dicta, quæ membranas corporis omnes & musculos interjacet*) lympha stagnat, vel effunditur; qui & circum abdomen, & circa scrotum. Non hic, puto, morari nos debet animadversio *Martiani p.* 587. ubi leucophlegmatiam

inter hydropis ſpecies non referendam eſſe arbitratur, eo quod Hippocrates eam hoc nomine non appellaverit. Enimvero cum communis omnium hydropis ſpecierum ſit nimia humoris abundantia, qui collectus tumorem facit, & in leucophlegmatia quidem per totum corpus, uti bene obſervat *Mead* in *Monit. p.* 123. nihil impedire video, cur receptam inter Medicos doctrinam deferamus. Nonne ipſe Hippocrates *l.* 2. *de morb. n.* 69. præcipit, ſi non turbetur venter, ut exhibeatur medicamentum deorſum purgans, ex quo *aqua* purgetur? Egregius inprimis eſt textus, naturam & originem leucophlegmatiæ declarans, apud Hippocratem, *lib. de affect. n.* 20. qui ita habet. *Cum pituita alba detinet, totum corpus tumore albo intumeſcit, eodemque die alia corporis parte melius, alia deterius habere videtur, tumorque aliàs alia corporis parte & major & minor eſt. Huic medicamenta deorſum purgantia exhibenda, quibus aqua aut pituita purgatur. — Morbus hic ex pituita oritur, cum quis ex diuturnis febribus pituita abundaverit, & minime purgatus fuerit, & in ejus carnes pituita vertitur. Quæ quanquam reliqua pituita nihilo ſit albidior, cutis tamen color candidior apparet. Sanguis enim pituitæ copia aquoſior redditur, neque æque in eo bonus color ineſt, propterea que candidiores apparent, morbusque pituita alba vocatur. Si igitur per initia curatio adhibita fuerit, convaleſcit; ſin minus, in aquam inter cutem* (ἐς ὕδρωπα) *morbus tranſit, & hominem perimit.* Aſt notari meretur differentia, quam inter hydropem ἀνὰ σάρκα dictum & leucophlegmatiam conſtituit *Aretæus l.* 2. *de cauſ. diut. c.* 1. ubi vult, in leucophlegmatia quidem perinde ac in anaſarca aquam copioſam inter cutem ſtagnare, ſed in hoc ſanguinem ſimul, quo

quo carnes nutriuntur, valde esse corruptum, adeoque vitium longe subesse gravius; quare etiam leucophlegmatia mitior hydropis species, curatuque facilior haberi debeat, quoniam variæ ejus tollendæ sint prosperæ occasiones, ut sudoris, lotii excretione, aut alvi nonnunquam copioso effluvio; quum contra in reliquis speciebus, præsertim si mixtæ sint, Medicus totum hominem permutare debeat, si ipsas curare velit. Hac stante differentia, cum Hoffmanno *Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 423 *sq.* dicenda erit leucophlegmatia in initio, anasarca vero seu hyposarca in augmento mali, cum jam, ob majorem sanguinis quam in ipsa leucophlegmatia corruptionem, color carnis & cutis magis depravatus & ex atro viridescens adparet, manifesto indicio, quæ sanguificationi humorumque depravationi inserviunt viscera, ut sunt pulmones, hepar & renes, nimiæ laxitatis vel infarctus vitio laborare, & ad functiones secundum naturam peragendas minus esse idoneas. Et hæc distinctio in praxi medica usum habet, quando scire expedit, quo medicationis genere tractandus sit æger, quod certe non idem semper profuturum existimari debet: id quod Hippocratem declarasse supra vidimus, videlicet per initia morbi. Conf. 6 *aph.* 14. Unde etiam limitationem accipit præsens aphorismus. Nam ubi diarrhœa ista ægro jam debili existente contingat, periculosa est. *River. p.* 329. Neque præbet constantem regulam, omnem hydropem vel leucophlegmatiam curandam esse purgantibus; variæ enim sunt Hydropis causæ, quarum quædam respuunt purgantia; & quando in leucophlegmatia non prius solutus fuit humor per alvum educendus, per purgans eli-

cietur humor bonus & fluxilis, relicto viſcoſo in tunica cellulofa & cute, qui ad inteſtina venire nequit. *Gorter.*

APHOR. 30.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥέει. (φλέγμα καταῤῥέει)

Quibus per alvi profluvia ſpumoſa ſunt alvi excrementa, iis ea ex capite defluunt. (de capite pituita defluit)

Sententia videtur intelligenda eſſe de diarrhœa pituitoſa, eo quod materia ejus a capite provenire ab Hippocrate creditum ſit, in capite vero cerebrum eſſe magnam glandulam, pituitæ, & conſequenter catarrhorum, abinde in quasvis corporis partes depluentium fontem. *Fick.* Inde eſt, quod in *lib. de morb. ſacr. n.* 7. legimus; *ſi pituita frigida, in cerebro collecta, ad ventrem feratur, alvi profluvia corripiunt.*

Conſtat experimentis, aërem in inteſtinis & ventriculo collectum motu vermiculari æquabili ita uniri humoribus, ut plane evaneſcere videatur; ſed motu inordinato earum partium, etiamſi nihil aëris ingeratur, tantam aëris copiam generari, ſeu potius ſeparari ab adhærentibus humoribus, ut non ſolum inteſtina & ventriculus turgeant, verum etiam totum abdomen

domen instar tympani tendatur; &, quamvis multi ructus & crepitus emittantur, venter tamen non subsideat, quasi generationis aëris nunquam esset finis. Generatur etiam in intestinis aër, uti extra corpus nostrum, ex fermentatione vel putrescentia contentorum, si ventriculi & intestinorum actio debilior non valeat spontaneam hanc mutationem arcere. Tali modo natus aër si viscosis, vel pinguibus humoribus misceatur, exhibet liquorem spumosum; sed aquosis meris mistus statim se extricans non producit spumantem liquorem. Ut igitur spumosæ egestiones fiant in alvi profluviis, requiritur præsentia humoris subpinguis, saponacei, vel glutinosi, qui aëris bullulas retinere potest, atque intestinorum motus inordinatus, qui aërem producit, & qui simul copiosiorem dejectionem facit; nam in tali motu aucto concipi nequit fieri posse vel fermentationem, vel putredinem spontaneam ex deficiente motu intestinorum. Spumosæ ergo egestiones semper significant motum intestinorum perturbatum; sed prout color, odor, & consistentia variat, ita est humor morbosus diversus, qui ex aëre admisto spumantem egestionem præbet. Nunquam in praxi observare potui, spumosam egestionem dedisse bonum præsagium, quia semper indicat motum perturbatum, & corruptionem humorum. Quum auctor accuset pituitam, inde concludere possumus, eum hoc loco intelligere fæces albicantes, seu pallidas & spumosas, quas etiam sæpe observavimus emissas esse cum capitis dolore. Hoc etiam cum observaverit Hippocrates, existimavit eam pituitam spumosam, quam conspexit egestam per alvum, natam esse in capi-

 te,

te, & inde cum impetu delatam ad inteſtina; & inde ejectam. Nos aliquoties experti ſumus, in capitis doloribus hujuſmodi factas fuiſſe egeſtiones ſpumoſas, quas puto provenire a ſucco nervoſo acriori præprimis in encephalo nato, & capſulis nervorum, ſenſim ſecundum nervorum curſum ad inteſtina delato, ibi præbere humorem dictum pituitoſum, qualis obſervatur in gravedine. Si hic humor in cavum inteſtinorum depoſitus fuerit, ſimulque inteſtina vellicat, motu tunc inordinato inteſtinorum, non ſolum generatur aër copioſior, verum etiam eodem motu ita miſcetur huic pituitæ, ut præbeat recenſitas alvi egeſtiones ſpumoſas cum multis ventris torminibus. *Gorter.*

APHOR. 31.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσιν οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίγνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.

Quibus febricitantibus ſedimenta in urinis fiunt craſſiori farinæ ſimilia, longam ægritudinem ſignificant.

Hic aphoriſmus reperitur in *Prognoſt. n.* 11. ita exaratus: *Sedimenta in urinis craſſiores hordei toſti non exacte moliti partes referentia, prava ſunt, hiſque pejora laminis ſimilia.*

In urinarum ſedimento duo potiſſimum conſiderantur ab Hippocrate, color & ſubſtantiæ modus. De coloribus album ſtatuit omnium optimum,

optimum, & poſt eum, ſubrubrum, cæteros autem colores non meminit tanquam malos; modum vero ſubſtantiæ in ſedimento conſiderans, lævitatem probat. læve autem dicitur, quod ſibi continuum eſt, & cohærens, æquabilemque habet ſuperficiem, minime aſperam, & nulla ex parte divulſam. hujus lævitatis ptiſanam ſtatuit *lib. de vict. acut. n.* 5. dum illius viſcoſitatem lævem appellat. Huic contraria eſt aſperitas, quæ ſubſtantiæ modum inæqualem, & minime cohærentem importat, hujusque inæqualitatis in ſedimento quatuor enumerat differentias, pro ratione magnitudinis partium ipſiusmet ſedimenti, in *Prognoſt. l. c.* Ita, ſi ſedimentum ex partibus tenuiſſimis conſtat, tenue dicitur; hujuſque malitiam deſcribens inquit: *alba & tenuia valde prava ſunt.* Quod ſi partibus paulo craſſioribus conſtat, ſedimentum κριμνώδεες dicitur, h. e. farinæ craſſioris partes referens; & ſi adhuc craſſiores fuerint ejus partes, & aliquantiſper compreſſæ πεταλώδεες appellatur, hoc eſt lamineum, hocque prædictis deterius facit; πιτυρώδεες tandem, id eſt furfuraceum dicitur ſedimentum, quod partibus adhuc craſſioribus conſtat, hocque omnium peſſimum ſtatuit. Quare juxta modum ſubſtantiæ duplex eſt ſedimentum, alterum æquale ſecundum totam ſubſtantiam; & hocque bonum eſt, quia fit a calore ſuccos exacte ſuperante, quorum pars eſt ipſum ſedimentum: alterum aſperum, & inæquale, quod malum cenſetur: ita ut ſicuti læve & æquale indicat calorem innatum humores ipſos ſuperare, ita inæquale, & aſperum indicabit humores peccantes a præternaturali calore exuri, aut magis, aut minus pro ratione inæqualitatis ipſius ſedimenti

menti eo ordine, quo explicatum eſt. Non enim conſentaneum eſt rationi, prædicta ſedimenta a ſubſtantia partium ſolidarum decedere, ut tota fere Medicorum ſchola tenet, quia neque per febres colliquativas, neque per hecticas, in quibus manifeſte partes ſolidæ marceſcunt, talia conſpiciuntur ſedimenta. Quare rationabilius eſt dicere, ſicuti ſedimentum laudabile eſt pars ſucci a natura devicti, ita & mala ſedimenta eſſe portionem humoris a febrili calore exuſti, ita ut, quo major viget exuſtio, partes in ſedimento majores conſpiciantur, quo vero minor, minores. Nam agente calore illo adurente in ſuccos ipſos, eos primum aſſat, deinde exurit, & quo calor eſt vehementior, eo citius partes humorum tenuiores, & humidiores conſumuntur, & ſic partes exuſtæ majores permanent, unde non eſt mirum, ſi, quo partes in ſedimento fuerint craſſiores, eo pejus ipſum ſedimentum reddunt. *Martian. p.* 484. Longum itaque morbum ſignificant craſſa illa urinæ ſedimenta, quia declarant materiæ cruditatem ex vigore morbi, præſenteque magno æſtu. *In acutis morbis periculum denunciat urina biliosa, neque aliquantulum rubra, & quæ hordei non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimilia habet ſedimenta alba.* Hippocr. Coac. ſect. 5. n. 11. 12. *In pleuriticis urina alba diluta, hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimile habens ſedimentum fulvum, dolorem & periculum denunciat. At quæ pallida fulvum habet ſedimentum, hordei toſti non exacte moliti craſſioribus fruſtulis ſimile, diuturnitatem ac periculum indicat.* ibid. n. 64. 65. *Cervicis ac dorſi perfrictiones, quæ etiam totum corpus pervadere videntur, convulſiones denunciant, in quibus urina*

hordei

hordei tosti non exacte moliti crassioribus frustulis similia continent. ib. sect. 3. n. 198. 199.

Si in fundo urofcopii, quod continet urinam in quiete refrigeratam, detegitur materia albicans inftar farinæ non exacte molitæ, tale fubfidens vocatur *fedimentum farinofum*, quod non multum diftat a fedimento albo & bono in febribus, quoad externum confpectum, nifi quod illæ partes fint majores, minusque æqualiter diftributæ, quam in fedimento albo. Quoniam hæ partes farinofæ non apparent in calente urina, neque tam magnæ ire poffunt per tubulos renales, certe conftat, iftas formari in refrigerata urina. Illa ergo materia hoc fedimentum formans poffidet majorem concrefcendi potentiam, quam quæ obfervatur in fedimento albo æquali, qua concrefcit in grumulos. Quum vero omnis materia fedimentum formans fit materia morbi, quia illa in fanorum urina non apparet, concludere poffumus, tali in febre morbi materiem in corpore adhuc oberrantem pronam effe ad concretionem, & inde viribus vitæ non facile feparari poffe. Materia febris continuæ falubriter evacuari folet fub forma fedimenti albi & æqualis, quod fedimentum tantum valet in febribus, ut dicatur criticum. Si vero referat farinam craffiorem in febribus fignificat, materiem phlogifticam, ex majori motu febrili natam, non abiiffe in materiem fubpurulentam albam & æqualem, quæ a natura facile eliminatur; fed in materiem talem tenaciorem, quæ non facile ope renum a tota maffa fegregari poteft; & inde in corpore manens morbum protrahit: aut fi poftea deficientibus viribus per fpontaneam fupervenientem corruptelam immutetur, fre-

quentissime novum morbum chronicum producit. *Gorter.*

APHOR. 32.

Ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δὲ λεπταὶ, ὀξεῖαν ἀῤῥωστίαν σημαίνει.

At quibus biliosa sedimenta, supra vero tenuia fuerint, acutum morbum significat.

Galenus, quem cæteri expositores secuti sunt, adverbium illud ἄνωθεν, cum antiquis quibusdam interpretibus, ad tempus, non ad locum referens exponit. *Quibus biliosæ sunt subsidentiæ a principio tenues*, &c. Verum non mihi adeo monstruosum videtur, urinæ sedimentum matulæ fundum attingens, & aliquantisper elevatum, partem habere superiorem tenuem, inferiorem vero crassiorem, ut sententiæ per se claræ alienos sensus cum verborum improprietate mendicare cogamur, quia, etiamsi de urina loquentes aquosam tenuem dicimus, non tamen id de sedimento asserere licet, sed illud tenue appellatur, quod contraponitur crasso. Quare aphorismi sensus est: Quibus biliosæ sunt subsidentiæ, colore scilicet chloro, aut flavo infectæ, quæ in parte superiori tenues sunt, acutum morbum significant; indicant enim bilem peccare, quæ nondum

dum a natura sit devicta, nam eo casu subsidentia esset æqualis, non tenuis in superiori parte, quæ humoris concitati est signum, ut non immerito morbus acutus indicetur. *Martian. p.* 474. Quibus ad vesicam bilis aliquid confluit, iis urina crassa, idque a pituita, redditur, biliosum vero deorsum secedit, eo quod exusta sunt quæ in ventre insunt. *Hippocr. l.* 1. *de morb. n.* 27. Tenuis autem & biliosa urina, & ægre lentum habens sedimentum, & quæ in melius ac deterius commutatur, temporis diuturnitatem postulat. *Coac. sect.* 5. *n.* 6.

Liquor colorem flavum exhibens, *biliosus* vocatur Veteribus, etiamsi non sit vera bilis, & omnia excrementa ac humores morbosi flavescentes dicuntur biliosi. Itaque si id, quod ad fundum uroscopii in urina refrigerata fertur, habet colorem flavum, hoc loco hypostasis biliosa vocatur. Materia est biliosa, id est materia ichorosa flavescens, nata ex materia purulenta vel inflammatoria corrupta, est enim gravior reliquâ urinæ massâ, quia fundum petit, qualis major specifica gravitas non invenitur in bile, quæ supernataret. Ergo signum est in febribus materiem febrilem non mutatam esse in materiem albicantem criticam, sed in ichorosam, acrem & stimulantem humorem, qui in corpore remanens (nam omnis non ita per urinam emittitur) stimulo suo febrem intendet. Quia vero separatur a reliqua massa urinæ, signum est, hanc materiem biliosam non ita miscibilem esse communi vehiculo humorum aquoso, unde difficilius eliminari in posterum poterit. Urinæ superne tenues non significant urinam aquosam, sed pellucidam & etiam coloratam, nam æque inveniuntur urinæ tenues coloratæ quam decolores. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 33.

Ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίγνεται, τουτέοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματί ἐστιν.

Quibus autem diſparatæ fiunt urinæ, iis vehemens eſt in corpore turbatio.

Urinæ *diſparatæ* ſeu variæ dicuntur, quæ modo coctionis notas, modo cruditatem præ ſe ferunt: ergo argumenta monſtrant naturæ modo dejectæ aut titubantis, modo vincentis, h. e. magnæ turbationis in corpore. *Hecquet.*

Urina, quæ frequenter in melius, & deterius mutatur mala eſt, quia morbi inconſtantiam, naturæque inſtabilitatem ſignificat, quibus invicem dimicantibus, modoque hoc, modo illo prævalentibus urinarum frequens mutatio fit, modo ad pejus, modo ad melius, quam quidem urinarum permutationem deſcribens Hippocrates in *lib. de vict. acut. n.* 46. hæc habet: *Ex urinis vero quid futurum ſit conjiciendum. Craſſiores namque & pallidiores, meliores; tenuiores, & nigriores, deteriores. Quod ſi mutationem habeant, temporis longinquitatem indicant, morbusque neceſſario tum ad pejus, tum ad melius inæqualitatem permutat.* Hac igitur ratione urinæ hujuſmodi permutationem habentes morbi longitudinem ſignificant. *Martian. p.* 605. In febre variarum interdum urinarum mictiones, morbum producunt. *Hippocr. Coac. ſect.* 5. *n.* 78. In febribus

bus si urina mutationes habeat, temporis longitudinem indicat, ægrumque tum ad deteriora, tum in alt ram partem necessario commutari. *lib de Judic. n* 7. Longum fore morbum colligere possumus, si urina modo liquida & pura est, modo habet quædam subsidentia. *Cels. l.* 2. *c.* 5.

APHOR. 34.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστανται πομφόλυγες, νεφριτικά σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι·

Quibus in urinarum summo bullæ consistunt, renum affectiones significant, atque longam fore invaletudinem.

Apud Celsum *l.* 2. *c.* 5. inter signa longæ valetudinis ponitur urina, quæ *bullas excitat*; & *c.* 7. *p.* 60. dicitur in renibus vitium esse, *si urina bullat.*

An bullæ illæ significant impeditam Urinæ in renibus secretionem? Bullatæ seu spumantes urinæ producuntur ex crassiore humore, quem agitavit spiritus flatulentus, unde origo spumæ, quæ non vanescit facile. Sunt tales Urinæ recidivis crebræ, ab inchoata crisi, cujus perfectio sperari nequit cum tali urina. *Duret. in Coac. p.* 520. Spuma est aggregatum plurimarum bullarum minutarum, sive sphærularum, quia interclusus aër æquo nisu pellit undique

undique membranulas, quibus intercipitur. *Boyle de Color. p.* 109. *Hamel. Oper. T.* 1. *p.* 36. Bulla dicitur rotundum in humore corpus, quod cito fit utplurimum, & cito folvitur. Ad ejus generationem duo potiffimum concurrunt, flatus contentus, & humidum corpus continens. *Mercurial.* Urina, quæ conquaffata fpumam diu retinet, notat olea & fales in lixivium faponaceum mifta, atque foluta, adeoque 1. tenacitatem mifcelæ arctæ, 2. coctionem difficilem & crifin, 3. morbos fere pulmonicos, aut catarrhofos in capite. *Boerh. J. M.* §. 1012. Nunquam vidi me fefelliffe præfagium. Quando prius urina fpumam retinet, uti aqua in qua fapo diffolutus eft, tunc tenaciter adhuc olea & falia fibi adhærent. Quando vero die feptimo, urina concuffa, bulla inde orta mox fponte diffilit, certum eft, ægrum in vado effe. *Idem Præl. in J. M.* §. *cit.* In peripneumonia fuppurationem factam declarat urina fpumofa. *Idem aph.* 835. Si quidem fpuma diu manet, neceffe eft flatum gigni, & ex lenta craffaque materia: quod vero craffum eft & lentum, frigidum eft neceffario, idemque morbos longos neceffario etiam procreat. Palam eft igitur, bullas diu in urinæ fuperficie manentes, longum morbum declarare: & quanto bullæ majores fuerint, atque diutius manferint, eo longiorem morbum fignificare. Nam pueri folent lixivio admifcere faponem, ut palea efficiant ampullas. quod enim lentum eft, multum extendi poteft, & in magnum fpatium: oleum autem, quod faponi immiftum eft, abfumta jam tenuiore parte, maxime cohæret. Regula etiam eft dialectica: Quodcunque tale eft, maxime fi tale fit,

fit, effectum eo majorem producit. ut, si frigidum & lentum morbos longos efficit, quod frigidum est maxime, aut lentum, longissimos efficiet morbos. Nihil autem prohibere videtur, quin materia illa, ex qua fiunt bullæ, non ex capite aut pulmonibus, aut ventriculo veniat, neque enim bullæ illæ, quod arbitratur Galenus, in renibus ex spiritu generantur, quandoquidem videamus ipsis oculis urinam absque spuma prorsus exire, nec ex spiritu flatuoso, ut ille credit: sed dum mejitur, gignitur. Fit ergo spuma ipsa, dum urina exit: indicioque est, quod quanto majore impetu ejicitur, eo fit major: semper autem fit, sed ex viscida materia manet: e tenui & minime viscida, statim dissolvitur. Quod si quis caput virgæ urinæ immerserit, ac primum faciat ut matulæ imum contingat, sinatque sensim urinam effluere, nulla prorsus fiet spuma, etiamsi morbus renalis sævissimus infestet. Dicendum videtur, tametsi materia illa cruda longius veniat quam a renibus, aut omnino necesse esse ut generetur morbus in renibus ex tam viscida materia: aut non posse esse viscidam materiam, nisi in renibus consistat, & morbum generet. Videtur sane, quod bullæ, quæ diu insident & magnæ sunt, ex materia viscida in renibus necessario fiant, aliter attenuatæ jam essent transitu longo per venas. *Cardan. p.* 787. Quædam bullæ apparent in superficie, quædam in medio urinæ, vel utrobique. Bullæ aliæ sunt simplices, aliæ multæ connexæ in latitudine, scilicet medium versus: aliæ non connexæ, tametsi multæ sint. & hoc eadem ratione de bullis juxta altitudinem intelligi debet. Semper autem quæ sublimes sunt, & quasi aliis inequitant, aut ad medium

dium extenduntur, his a quibus oriuntur, ſunt minores. Bullæ denique aliæ ſunt parvæ, aliæ magnæ. Bullæ fiunt ob extraneum ſpiritum. ſpirituum autem non ſemper eadem eſt quantitas, nec qualitas eadem. Spiritus craſſiores potius in bullis apparent incluſi, tenuiores vero magis diſperſis contentis congruunt. quemadmodum eorum quantitates quadrant magis cum quantitate bullarum, atque cum receſſu; quæ faciunt contenta recedendo a fundo: atque etiam cum ipſorum contentorum diſſipationibus, cum magis diſperguntur. Bullæ ſignificant dolores capitis, aut renum, & præterea defluxum in pulmonem. Bullæ, quæ in ſuperficie urinæ generantur, demonſtrant ſpiritus in corpore aſcendiſſe uſque ad caput. Cum vero jam concocta fuerit materia, quæ ſpiritus excitavit, reſoluto ſpiritu, ad pulmonis loca deſcendens convoluta cum ſpiritu qui in pulmone eſt, magis etiam inflatur. & hoc demonſtratur a bullis, quæ circa medium innatant. Cum autem materia multum agitatur circa renes, veſicam & vaſa ſeminaria, ob locorum anguſtiam, tunc bullæ excitantur denſiſſimæ, & interdum apparent veluti capilli, aut veluti ſeminis ipſius ſplendidiores, aut veluti renum calefactorum colliquamina. *Actuar. de urin. p.* 152 *ſq.* 287. 290 *ſq.* Conf. *Fernel. Medic. p.* 420. 327.

Urina ſpumoſa evacuatur, ſi in itinere corrumpatur, ſi ei admiſceatur viſcoſum, aut ſi proveniat ex putrefactis noſtri corporis humoribus: inde tam frequens in febribus colliquativis, putridis, hecticis, phthiſi, & omni nimia emaciatione corporis, calculoſis, omnibuſque morbis, qui faciunt exire liquefactam pinguedinem

dinem e corpore noſtro. Adeoque multo plures ſunt morbi, in quibus invenitur urina ſpumoſa, quam qui ab auctore citantur. Talis igitur urina viſcoſa, ſaponacea, vel pinguedine impraegnata, permittit quidem bullulas aëris urinâ leviores adſcendere, ſed hæ ſi ad ſuperficiem venerint, totam non relinquunt maſſam, verum obteguntur tenui expanſa pellicula ex tali urina facta, quæ ſemper indicat aliquam in urina eſſe tenacitatem: atque quo ſpuma eſt copioſior, diutiusque perſiſtens, eo majorem tenacitatem in urina arguit. Quare non ſolum ex urina ſpumante præcedentia cognoſcere poſſumus, verum etiam magnitudinem & parvitatem mali. Talis urina cum & ſine febre evacuari poteſt: ſed quoniam obſervavit Auctor ſæpe reddi in affectis renibus, inde ex conſpecta tali urina quoque intulit, ſignificari renum affectiones. Si enim aliquis renum calculo laborat, duplici ex cauſa urinam ſpumantem reddit. Calculus enim ſemper affluente urina perfuſus ſpeciem corruptionis inducit, quare calculoſi etiam reddunt urinam fœtentem: atque hoc putrefactum urinam ſpumoſam facit, uti patet ex urina ſana dein putrefacta. Calculus etiam continuo terendo abradit naturalem viarum mucilaginem, quæ urinæ miſta & ſimul exiens, urinam magis glutinoſam facit & inde magis ſpumantem: inde etiam calculoſi reddere ſolent urinam craſſiorem & contentis ſaturam. Si vero pinguedo in corpore liquefacta & acrior reddita per urinæ vias emittitur, in ſuo tranſitu quoque dolorem renibus inferre poteſt, omnibuſque viis urinæ, quibus abradit ſeu abſtergit mucilaginem has vias naturaliter tegentem: ita illa urina ex ſua natura acrior, nudas

tangens partes, dolores nephriticos infert, quod sæpe in febribus putridis observatur. Si quis febre laborans reddere incipit urinam spumosam, semper ego quoque in praxi observavi, istos ægros tarde recuperasse pristinam sanitatem: quod etiam rationibus est conveniens, nam omnis febris commutatio in putredinem morbum prolongat, quum vis vitæ nesciat putrefactum emendare, & careamus organo putrefactum separante a bono; hinc diu durat, priusquam omne putrefactum fuit evacuatum: quod alio modo fit in materia purulenta & critica, quam natura novit eliminare. Hinc per nullum emunctorium invenimus humorem corruptum evacuatum fuisse criticum: imo ulcera, quam diu putrefacta emittunt, non consolidantur. Quia vero urina spumosa significat mutationem materiæ febrilis in putrilaginem, ex generali lege putrefacti longa est expectanda invaletudo. *Gorter.*

APHOR. 35.

Ὁκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ, καὶ ὀξέα σημαίνει.

At quibus quod supernatat, pingue est & confertum, iis affectiones renum, & acutas significat.

Non hic intelligitur ea pinguedo, quæ vere pinguedo est, & in guttas dispersa per urinæ superficiem conspicitur, malignæque colli-

colliquationis signum existit; de qua Hippocrates *Prognost. n.* 12. *Pinguedinis*, ait, *supra innatantes araneorum telas referentes, damnare oportet, colliquationem namque significant.* Ad quæ Fernelius *Medic. p.* 320. addit: *nisi enim renum colliquatio & fusio quædam in causa sit, corpus universum vel febre ardente, vel phthisi, vel hectica febre liquescit. Divulsa quasi olei puncta innatantia alterutrum similiter, sed inefficacius denunciant. Nonnunquam tamen animadverti ex epoto oleo hæc cum urina fluxisse. Quo autem facilius illa dissipantur, eo morbum leviorem, contumaciorem vero quo diutius persistunt.* Urina autem vere pinguis & oleosa, rarior certe, si observaretur unquam, notaret 1. vasa attrita per majorem motum, hinc soluta, cruori mista, & cum urina excreta pinguia; 2. humores acres. Et ideo minabitur phthisin, & atrophiam. *Boerh. J. M.* §. 1011. Experimentum Ruyschius solus habet & ante eum veterinarii, qui dicere solent, quoties equum obesum a subito & validiori motu extinctum vident, *belg. de reusel is gesmolten in 't lighaam*, verissima phrasi usi. Nam Ruyschius vidit omnino effusam ad aliquot libras in cavitatem abdominis solutamque pinguedinem. Simile quid vidi post oleosum clysma diutius retentum. Talis pinguedo omnino resorberi potest in venas, & per arterias cum urina expelli. Ipse ego urinam vidi, quæ strigmenta oleosa in urinali traxit, qualia in aqua nascuntur, prius quam adfusum alcohol probe cum ea mistum fuerit. Dedi bibendum hominibus oleum, non ideo per renes cum urina quidquam transivit: si transiret, etiam chylum cum urina effluere necesse esset, qui oleo meabilior est. *Ejusd. Præl. in J. M. §. cit.*

Eſtne fabula urina vere pinguis & oleoſa, an exiſtit vere? „ De oleaginoſa urina nihil „ eſt magis apud Medicos decantatum, & mi- „ rum, quantum clament, dum alii negant, „ ajunt alii, urinas dari poſſe, quæ oleo ſint „ omnino ſimiles, non in difficultate fluxus „ ſolum, ſed in colore, ſapore, unctuoſitate, ac „ uno verbo, ſint fere oleum, vel quid pingue „ fluens: affirmantibus aliis, oleaginoſas uri- „ nas illas eſſe ſolum, quarum ſuperficiebus „ innatant quaſi guttæ olei, non vero oleum „ eſſe urinam univerſam, imo nec eſſe poſſe, „ eo quod fieri non poſſit, ut aqua cum oleo „ ita miſceatur, ut unum compoſitum conſti- „ tuat; urinæ autem pars minima aqua eſt; ad „ hoc igitur, ut produceretur urina oleaginoſa, „ oporteret conjungi aquam cum oleo, quod „ plane repugnat. Qua ſuper re aſſerimus, „ quod nemini dubium, urinas, quarum ſu- „ perficiebus innatet quid oleoſum, ſæpe da- „ ri, & nos hujus naturæ excernebamus, cum „ vertigine laborabamus; quod facile, ac ne- „ ceſſario continget, quoties pingue aliquid „ in corpore ſolvitur. Finge igitur jam non „ pingue aliquid, ſed plurimum oleoſi e cor- „ pore ſolvi, & aquam vel inhærere parti- „ bus, vel in pingue quid permutari; an non „ univerſa urina purum putum oleum videbi- „ tur ipſi in affectionibus omnibus reſpondens? „ Poſtremo, verum quidem eſt, aquam, & „ oleum conjungi non poſſe ex ſe ſolis, ſed „ ſi adjiciantur ſales & præcipue acriores, tria „ illa in unicum corpus coaleſcent maxime „ oleoſum". *Bellin. de urin. &c. p.* 18 *ſq.* Conf. *Ettm. Oper. T.* 3. *p.* 131. Obſervamus manifeſtam ſæpius pinguedinem, urinæ febricitantium

tium & hecticorum ſupernatantem, & lateribus vitri ſe adponentem. Oleaginoſæ urinæ ſine ſtrepitu, ut oleum ſolet, minguntur & effunduntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 214. Vide etiam *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 2. *o.* 123 & 124. De ægroto, qui febre acuta laborabat & delirabat, legimus quod minxerit læve oleoſum multum, in *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 3. *ægr.* 12. Liquationis ſignum præbet urina oleoſa, quæ redditur ante rigorem, videlicet ſudorificum, & mala dicitur in *Coac. ſect.* 5. *n.* 29. quoniam a tali rigore nihil ſperari, nec expectari poteſt præter incommoda corporis inflammati, vel exſoluti, eſt enim rigoris ſudorifici critici fere prænuncia urinæ ſuppreſſio, cum incidit ἐκ τῶν χρηςῶν. *Duret. in Coac. p.* 503. Enimvero vel rigor ſupervenit liquationis ratione, & tunc urina illa præcedens peſſimam eſſe liquationis ſolutionem indicabit, quæ vel calorem abſumat, vel particulas irritantes, vel ſimul utrumque producat, ex quo rigor ſuperveniens liquationem promovebit; vel rigor ſupervenit aliunde, puta ex gratia, quia laborat ille febre aliqua intermittente, ac tunc ſimiliter cum oleoſa liquationem indicat vi rigoris, tum ratione materiæ irritantis, a qua rigor producitur, tum ratione concuſſionis, qua rigemus, promovebitur liquatio. *Bellin. l. c. p.* 41. Ne hic memorem, quod urina nonnunquam a plebejis omnino lactea, ſupernatante pinguedine, judicanda Medicis offeratur in vitris, in quibus olivum ante ſervatum fuit; de quo in *Eph. N. C. D.* 3. *a.* 3. *app. p.* 85. Id certe notari apprime meretur, quod ſæpius in ægrotantium urinis obſervetur craſſitudo quædam in ſummitate, qualis apparet in urinis, quæ diutius aſſer-

servatæ sunt ; & hanc appellavit *pinguedinem quandam* Hippocrates in *Coac. sect.* 5. *n.* 2. ubi in febre a tali apparente pinguedine celerem dicit notari liberationem. Pinguedo enim urinis superstans magnum interius incendium vigere significat, a quo morbi vehementia, & acuties dependet ; quia vero confusa existens *exaquescit*, ut habet textus, h. e. clarescit, signum est, naturam morbificæ materiæ dominari. *Martian. p.* 603. Vid. etiam *Bellin. l. c. p.* 35. Ad hujus normam textus intelligendus est etiam locus, qui in *Coac. ibid. n.* 43. communiter ita legitur : *Quæ emittitur urina in qua quod subsidet pinguedinem habet, febrem significat*: sed inchoata est tantum græca lectio, cum ait, πυρετὸν σημαίνει i. e. *febrem denunciat*; non enim hoc spectat ipsa prognosis, ut tantum nos doceat febrem denunciari ab urina descripta. nec vero id novum est, nec etiam febri tantum denunciandæ appositum: sed ejus qui ægrotat periculo aut securitati. Quare ita rescribendum, ταχεῖαν δὲ καὶ λύσιν σημαίνει, i. e. *ac citam quoque dimissionem febris ostendit* ; signo nempe & causa discessionis. signo quidem mitificati humoris morbifici, liberorumque meatuum. Causa autem, de copia vacuati humoris, quæ cernitur in liberali urina, quæ fuerat antè pauca: tum in copiosa hypostasi quæ pinguis paret similitudine; non reapse: cujusmodi est γραῦς pinguium jusculorum. *Duret. in Coac. p.* 508. Referri huc quoque potest urina pinguis quæ prodit in febribus intermittentibus, finito paroxysmo, cujus mentio habetur in *Boerh. aph.* 753. Magnitudinem ardoris febrilis, magnum humorum attritum, simulque acrimoniam, per hujus generis urinas denotari, in-

dubium

dubium esse puto. Notabilis est textus *lib.* 4. *Epidem. n.* 6. in quo narratur de Nicostrati uxore, quod, delirans & convulsa, urinam emisit, cui interdum *velut adiposum quiddam*, ὡς πιμελῶδες, superstabat. Sed quam proxime ad præsentis aphorismi nostri explicationem accedunt hæc: Pinguis apparens urina plerumque gerit arenulas minimas viscido quodam nexas, & sic effingentes speciem membranulæ oleosæ; tum notat abundantiam terræ, & salis hebetioris in sanguine; præsagit hinc scorbutum, calculos, & similia. *Boerh. J. M.* §. 1010. Conf. *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 593.

Pingue in urinis, si corpus interea integrum se tuetur, plethorici habitus, indeque redundantis nutritii succi, utut cocti laudabiliter, signum est: si vero emacrescat corpus, colliquationis fit indicium. In renum autem affectibus pinguis facta urina, gravem illorum & acutam arguit ægrotationem, phlegmonem nempe, qua eliquatur illorum pingue & cum urina excernitur. *Hecquet*. Non semel vidi (verba sunt Halleri) innatantes in urina guttulas fluidi adipis, etiam in non male valentibus, quod vidit etiam Sanctorius. Verum eam pinguitudinem mallem ex sanguine ipso repetere, unde deduci potest in vascula urinæ, quoties ea justo laxiora sunt. Neque enim lacunulæ ureteris sufficere videntur, aut respondere observationis. vid. *Boerh. Præl. in J. M. T.* 3. *p.* 231. Sanctorius (*Stat. Med. sect.* 1. *aph.* 108.) *Crassissimi*, inquit, *humores in robustis per angustissimas vias tranant, ut patet de pinguedine per urinam.* Urinæ pingues & oleaginosæ, quibus febris hectica, partes colliquans, vulgo indicatur, ex sanguine oleoso & sulphureo, aut

renum pinguedine ex supino in dorsum decubitu incalescente, oriri potuerunt: unde in corporibus florentibus, & optime constitutis istiusmodi urinæ haud raro animadvertuntur. Signum etiam hoc hypochondriacis magis proprium & familiare esse quam tabidis testatur Willisius, & quam plurimos sine hoc intabescentes mori. *Guidot.* in *Proleg. ad Theoph. de urin.* Præterea, pinguedo vel oleosum urinæ supernatans non raro assumtis pinguioribus, & oleosis cibis, nulli autem calori consumenti & tabifico, originem debet. *Eph. N. C. D* 3. *a.* 4. *p.* 34. Urina vere oleaginosa, pinguedinem corporis liquefactam sibi supernatantem monstrans, non confundenda est cum urina oleaginosa apparenter tali, qualis in hypochondriacis & scorbuticis confirmatis subinde apparere solet, seu crusta salina. Illa (vera pinguedo) semper est uniformis, & ad latus aspecta nullum colorem, nullum splendorem, &c. acquirit. Altera vero (crusta ex salibus concreta) ad latus matulæ aspecta varios repræsentat colores instar iridis aut caudæ pavonis. *Ettm. Oper. l. c.* & *T.* 1. *p.* 232.

Pinguedinem corporis in tunica cellulosa collectam, a vehementi calore liquatam, & circulatione aucta propulsam, sanguini primo venoso mistam, & ita ad cor delatam, non solum in subito superveniente febre acuta ardente, verum etiam in motu musculari validiore, præprimis in obesis, observarunt multi Medici. Sed ex aucta illa circulatione sequitur, pinguedinem receptam evacuari cum urina: nisi enim motus particularis renum major simul accedat, recepta pinguedo in sanguine cum urina evacuari nequit, ut sæpe observamus

mus in Ardentibus. Ut illa ergo pinguedo exeat, neque ſola circulatio major cum ardore ſufficit, quia his non generatur pinguedinis tranſitus per renes; neque ſola actio renum valet talem producere urinam, quia, ſi cum ſanguine arterioſo copia pinguedinis non adferatur, renes eam excernere nequeunt. Recte igitur obſervavit Auctor has duas conjunctas affectiones, nempe nephriticas & acutas. Quod opponunt in maraſmo & phthiſi, non eſt alicujus momenti; quia hi non reddunt talem urinam, etiamſi pinguedo totius corporis conſumatur: his enim pinguedo non conſumitur forma pinguedinis, ſed quando pinguedo in his corrupta fuit & degenerata evacuatur. Quamobrem his frequentior eſt urina ſpumoſa, quam quæ habet pingue confertum ſupernatans. *Gorter.*



APHOR. 36.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα ξυμβαίνει σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίγνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνωνται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω· ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς εἴσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον εἴσω.

Quibus vero renum vitio affectis prædicta signa contingunt, doloresque circa spinæ musculos fiunt, si quidem ad loca exteriora ferantur, abscessum extra fore expecta: quod si autem dolores ad loca interna magis fiant, abscessum quoque interius potius futurum expecta.

Nephritici, inflammatione renum laborantes, quibus *prædicta* (*aph.* 34. 35.) *signa contingunt*, una cum *doloribus* obtusis, pulsantibus, in lumbis, *circa spinæ musculos*, iis *abscessum* fieri nunciari potest, eumque *extra*, *si dolores* dicti *ad loca* magis *exteriora ferantur*, *interius* vero, *si dolores ad interna magis loca vergant.*

Nam quæ pars laboraverit, ibi abscessum expectare oportet, juxta 4 *aph.* 32. Exemplum abscessus renis ad spinam dorsi se manifestantis, videsis in *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 3. *o.* 139. De abscessu renali intra corpus plura prostant exempla.

empla. Vid. *ibid.* *D.* 1. *a.* 1. *o.* 16. 64. *a.* 2. *o.* 81. *a.* 4. *o.* 114. *a.* 9. *p.* 241. *D.* 3. *a.* 6. *app.* *p.* 52. &c.

APHOR. 37.

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ, σωτήριον· εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν. θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι καὶ τοῖσι ϛυπτικοῖσι.

Qui ſanguinem vomunt, ſiquidem citra febrem, ſalutare; cum febre vero, malum. Curandum vero refrigerantibus & adſtringentibus.

Hunc aphoriſmum ab Hippocratis bibliotheca rejicerem libenter, propter ea, quæ leguntur, tum *Coac. ſect* 3. *n.* 250. hunc in modum: *Qui ſpumantem ſanguinem evomunt, partibus infra ſeptum transverſum dolorem nequaquam ſentientibus, iis ex pulmone vomitio fit; ac quibus quidem inſignis in eo venæ ruptio fit, copioſus vomitione rejicitur, periculumque imminet*: tum 4 *aph.* 25. *Sanguis, ſupra quidem, qualiſcunque fuerit emiſſus, malum; infra autem, ſi niger dejiciatur, bonum*: niſi expoſitio obſtaret Antiquorum, quam innuit Galenus; ita enim ſententiam interpretabantur, ſanguinis excretiones per os omnes ſanabiles eſſe, ſi ſine febre fiant, cum febre vero malas. Quæ ſatis conveniunt iis, quæ *Coac. ſect.* 3. *n.* 241. leguntur hunc in modum: *Sanguinem ſpuentibus ſine febre eſſe conducit, ac tuſſi & dolore leviter conflictari*, &c. *intenſe vero febricitare*,

citare, ac tussire aut dolere, &c. *minime conducibile.* Quam tamen expositionem rejecit Galenus, omnem excretionem a pulmonibus, summo discrimine plenam ratus, quantumvis sine febre fiat; quæ quidem Galeni opinio rejicitur, non modo per citatam Coacam, sed etiam per ea, quæ leguntur *l.* 1. *de morb. n.* 10. in hunc modum, de pulmone suppuratis tractans: *Hic si per morbi initia, antequam vena sanguinem effundere & vehementer laxari cæperit, curatione præoccupetur, & prius quam extenuetur ac lecto decumbat, & prius quam caput corrumpi reliquumque corpus tabescere incipiat, incolumis ab ejusmodi morbo evadit.* Dum verbi *emovere*, prædictorum interpretationem respuit, se doctrinæ Hippocraticæ immemorem præstat, innumera enim adsunt loca, ex quibus clare patet Hippocratem hoc verbum ad omnem copiosam excretionem ab ore usurpare, ad distinctionem spuitionis, quæ fit in pauca quantitate, illud accommodando tam excretioni, quæ fit per gulam, quam, quæ fit per asperam arteriam. Quare sensus aphorismi talis fuerit: qui sanguinem largiter fundunt, sanari possunt si sine febre fuerint, cum febre vero emovere, malum, & letale. *Martian. p.* 475. In vomitu cruento, seu rejectione sanguinis ex ventriculo, si febrem junctam habet, si sanguis corruptus, graveolens & niger prodit, si ex magno & corrupto liene, vel indurato hepate proficiscitur, animique tandem jungitur defectio, summum adest periculum & mortem proximam jam portendit. Ast non tantum discriminis subest, si febris abest, si a suppressis evacuationibus ex plethora oriundis ortus. Conf. notata ad 4 *aph.* 25. Sanguinem in febre vomuisse, pestiferum est.

eſt. *Celſ. l.* 2. *c.* 6. *p.* 56. Quibus fluere ſanguis ſolet, aut quibus ſpina dolet, coxæve, aut poſt curſum vehementem vel ambulationem, dum febris abſit, non eſt inutile ſanguinis mediocre profluvium. *ibid. l.* 4. *c.* 4. *p.* 203.

In curatione Medicus pro diverſitate corporum, cauſarum & temporis, prudenter & circumſpecte ſeſe gerere debet. *Refrigerantia* proſunt quandocunque ſanguis nimis æſtuat atque in orgaſmo conſtitutus, & pulſus impetuoſus ac validus eſt; v. g. aquæ fontanæ, vel plantaginis, potus, in cujus libra nitri puri drachma & ſyrupi papaveris rhœados uncia dimidia ſoluta, ſucceſſive & temperate ſumtus, egregie conducit. Extra paroxyſmum, ad arcendum mali recurſum, potui ordinario inſervit commode aqua fontana pura & levis in qua ferrum extinctum, vel etiam ſerum lactis acidulatum. Sed a quacunque cauſa fuerit producta ſtomachi hæmorrhagia, ſummo ſtudio cavendum eſt validis ſtypticis, adſtringentibus & vitriolaceis pharmacis. His enim ſanguinis eruptio quidem ſiſtitur, ſed cruor in vaſis ſtagnans putreſcit & gravis inflammatio cum ſphacelo metuenda, aut minimum, ſi cachecticum corpus eſt, expeditus fit in hydropem tranſitus. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 71 *ſq.* Si abeſt febris, vel elota alica, vel panis ex aqua frigida, & molle quoque ovum dari poteſt potui, &c. Vid. *Celſ. l. c. p.* 204. Juvenis ſcirrhoſo lienis tumore laborans, poſt valentiora exercitia ſanguinem vomens, ſanatus eſt brumali tempore datis anodynis (inprimis laudano cydoniato Helmontii) & ſorbitionibus aquæ & aliorum potulentorum gelidiſſimis, parca copia, ſæpe repetitis, clyſtere

ſtere injecto ex lacte cum butyro, ſaccharo & vitello ovi, ad educendum ex ventriculo congrumatum ſanguinem. *Com. Bon. p.* 477 *ſq.* In omni vomitu cruento, etiam deſperatiſſimo, & per profuſiſſimum ſanguinis effluxum, ægros in agone conſtituente, poſt methodica, quando ſic licebat, adminiſtranda, nobis ſemper certum ac tutiſſimum remedium, & in omni ætate, ſexu ac temperamento expertiſſimum, fuit radix Ypecacuanha, probe ſelecta, in alcohol contrita, & ad drachmam dimidiam cum maſtichis puriſſimæ itidem pulveratæ granis quindecim bis, intra duodecim aut etiam, ſi moram hanc ferebat morbus, intra 24 horas, in aquæ plantaginis unciis tribus cum pauco ſyrupo roſarum rubrarum exhibita. Nec inde exhorreſcat quiſquam, quod in vomitu ſanguinis cohibendo, remedium emeticum adhibeatur; ſiquidem certo, inter vomitus ab hoc emetico excitatos, ſanguis ſenſim reprimitur, ac ſupprimitur; & quod de eo coagulatum in ſtomacho ac inteſtinis abunde accumulatum reperitur, per inferiora ejicitur. *Experto crede.* Cyrillus in *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 308. Si ab acribus aſſumtis generetur ſanguinis vomitus, ne aliquid de eo acri reſtet in ventriculo, danda eſt potio diluens, quæ vomitu rejecta id acre ſimul aufert: ſed ſi fiat a cauſa interna, vomendi conatus compeſcendus parva quantitate vini Rhenani diluti cum citri ſucco & laudano liquido, cavendum ab omni adſtringente & coagulante; hæc enim ſanguini in ventriculo effuſo miſta, eum in thrombum contrahent, qui vomitu difficile poteſt reddi, & ſua duritie ac tandem acrimonia laceſſet ventriculum, & ad novum vomitum inſtigabit,

dum interim coagulans datum, contentis ventriculi ut & sanguini mistum, ad contrahendum vasculum apertum sanguinem fundens nihil præstare possit: Quare adstringentia magis obsunt quam prosunt in sanguinis vomitu: sed retentus ventriculus vacuus ita contrahet vasculum antea apertum, ut sponte sistatur sine damno effluens sanguis, & ita adducta vasculi latera inter se consolidantur. Quare præcipua curationis pars est, facere & servare ventriculum, quantum fieri potest, vacuum, per aliquot dies, ingerenda alimenta liquida tam parva copia & partitis vicibus, ut vita servari possit, evitando omnia duriora, acria, & copiosiora. Quibus continuatis sponte cessabit sanguinis vomitus, quod adstringentibus facile fieri non potuit. *Gorter.*

APHOR. 38.

Κατάῤῥοι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην, ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

Destillationes in superiorem ventrem, intra viginti dies in pus vertuntur.

Fluxiones in thorace intra viginti dies suppurari incipiunt, nisi cito alio deferantur, atque per urinas vel per sudores exitum inveniant. *Tozzi.* At vero multis modis superiore ventre suppurati fiunt. Nam cum pituita multa e capite confertim in superiorem ventrem

trem confluxerit, putrefcit & pus evadit. Putrefcit autem maxime diebus uno & viginti.— Ex pleuritide quoque fuperiore ventre purulenti fiunt, cum vehemens fuerit, neque diebus judicare folitis computruerit, neque fputo rejecta fuerit, fed latus exulceratum fuerit, a pituita adhærefcente & bile. — Interdum vero etiam ex venis fanguis fe in ulcus ingerit, qui putrefactus pus fit. — Purulenti quoque fiunt, fi pituita e capite in latus defluat, illicque adhærefcens putrefcat. — Fiunt etiam cum ex immoderato labore aut exercitatione, aut quavis alia ratione parte anteriore aut pofteriore ruptio ita facta fuerit, ut non confeftim fanguis expuatur, fed vulfum in carne contingit, quæ divulfa paucam humiditatem attrahit & fublivida evadit, &c. *Hippocr. l.* 1. *de morb. n.* 11.

Si in eo fucco, qui humectat & nutrit partes encephali, aliqua generatur acrimonia, illa capfulis nervorum a dura & pia matre mutuatis ad varias partes duci poteft. Quare de origine & curfu catarrhorum nulla obftat via, quin duci poffit ad varias corporis partes, & ita etiam ad ventrem fuperiorem feu pectus, qualis pars hoc loco intelligitur. Sed tunc illa reftat fumma difficultas, quomodo materia catarrhofa acris lymphatica poffit in fuppurationem commutari, quoniam experimur, catarrhos in nares vel fauces, vel pulmones defcendentes raro purulentiam proferre, fed mucum aut tenuem humorem corrodentem, vel magis fpiffum, uti experimur in coryza, brancho, & tuffi ex catarrho natis: nifi velimus per fuppurationem hoc loco intelligere materiæ hujus tenuioris degenerationem in materiem craffiorem

rem & albicantem, qualem mutationem frequentiſſime in catarrhis obſervamus, non vero commutationem in verum pus. Materia enim acris & tenuis nullibi in verum pus commutatur, ſed in materiem albam tenaciorem, quæ quoad adſpectum non multum a pure differt. Quod autem partes catarrho vexatæ tandem verum pus proferant, iſtud non fit ex mutata materia catarrhoſa in purulentiam, ſed ſi iſta materia corroſerit partem & ulcus formaverit, quod pus fundit, ſicuti etiam ſuperius (7 *aph.* 20.) in materia eryſipelatoſa obſervavimus. Igitur deducerem ex hac obſervatione, quod etiam praxi reſpondet, materiem catarrhoſam in ventrem ſuperiorem deſtillantem, intra viginti dies commutari in materiem albam magis cohærentem, ſeu concoqui. *Gorter.*

APHOR. 39.

Ἢν οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ περίναιον, καὶ τὸ ὑπογάστριον, καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσέειν σημαίνει.

Si quis ſanguinem & grumos meiat, & ſtranguria laboret, dolorque ad perinæum, imum ventrem, & pectinem incidat, partes circa veſicam male affici ſignificat.

Recenſitus hic eſt aphoriſmus ſupra 4 *aph.* 80.

APHOR. 40.

Ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίγνεται.

Si lingua derepente incontinens, aut aliqua corporis pars siderata evadat, id atram bilem indicat.

Videtur hic aphorismus desumtus esse ex *l.* 1. *de morb.* *n.* 3. ubi ita legitur: *Multi autem ab his frequenter mutilati fiunt, sideranturque manibus, & pedibus, & vocis inconstantes fiunt, & ab atra bile paraplegiæ, claudi vero a coxendico morbo.* Nam quod in aphorismo ait, *lingua incontinens*, ibi legitur, *vocis inconstantia*; ex quo docemur, quid per linguam incontinentem intelligere debeamus, locutionem scilicet interruptam, per quam patientes, dum loquuntur, dictiones exacte proferre non possunt, symptoma, quod vulgari (ital.) *tartagliare* dicitur (lat. *balbutire*, *lingua hæsitare*), idque provenit, ni fallor, a resolutione quorundam musculorum moventium linguam, quorum defectu lingua inæqualiter, & non ad voluntatis imperium exacte movetur, ita ut dum recta e. g. movere intendit, alicujus musculi defectu in obliquum fertur, & sic vocis articulatio defectuosa redditur, quod quidem symptoma vocis, & linguæ inconstantiam appellat Hippocrates. Quomodo autem humor iste maxime

maxime nervosas partes invadat, explicavimus superius in expositione quinquagesimi sexti aphorismi præcedentis Sectionis. *Martian.* p. 475.

APHOR. 41.

Ἢν ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λύγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

Si senioribus ultra modum purgatis singultus accidat, non bonum.

Ab assumpto pharmaco duplici ratione supervenire singultus potest, vel ob immodicam purgationem, vel ob naturalem medicamenti facultatem. Primo modo in præsenti aphorismo non bonum esse, docemur, eo quod, cum senes ob purgationis violentiam in singultum incidunt, signum est, humores a nimia purgatione acrimoniam contraxisse, stomachoque a pharmaco debilitato, bellum indicere, idque in senibus maxime malum est, quia siccitas ab ætate contingens, humorum correctionem non facile admittit, cum in senibus humores acres, temperamenti ipsius ratione facile abundent. A facultate vero medicamenti singultum excitari, non est malum, quia experientia constat, multa singultum frequenter movere, qui quidem sponte paulo post sedatur, quod cognoscens Hippocrates quamvis, ubicunque de convulsione ab immodica purgatione contingente mentionem facit,

cit, par signum malum etiam singultum faciat; quod constat ex 5 *aph.* 4. cum tamen convulsionem a facultate medicamenti ortum habentem recenset, de singultu nullam mentionem facit, nam 5 *aph.* 1 & 2. simpliciter dixit, *convulsio ex veratro letalis, ex vulnere convulsio letalis*; quare non est idem, quid consequi purgationes immodicas, & violentas, & a purgante medicamento. Nam etiamsi ab assumpto pharmaco convulsio semper letalis sit, singultus tamen non ita, sed tunc solum, quando immodicam purgationem subsequitur: ratio diversitatis est, quia convulsio mala est ratione dignitatis affectæ partis, singultus vero ratione efficientis causæ. *Martian. p.* 475. Nonne, præter creatam ab immodica evacuatione acrimoniam, proveniet etiam ab inanitione singultus, dum a nimia purgatione corpus exhaustum humoribus privatur solida inter atque fluida æquilibrio, unde nascuntur spasmi? Vid. Not. ad 5 *aph.* 3.



APHOR.

APHOR. 42.

Ἢν πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ, καὶ θερμοῦ, καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

Si febris non ex bile orta prehenderit, aqua multa, & calida, capiti affuſa, fit febris ſolutio.

Intellige febrem a vehementi exercitio, ab æſtu aut vino, ita ſolvi poſſe, certe in regione aliqua calidiori, & ubi balneum in uſu ſit quotidiano. Nam multa aqua calida in caput affuſa, meatus cutis excretorios laxare & cruditates concoquere apta eſt. *Liſter.* In *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 6. ad finem Hippocrates hunc in modum loquitur: *Si quem calor* (aut febris) *prehendat, neque ex bile, neque ex pituita, ſed aut ex laſſitudine, aliave de cauſa febricitet, calida multa affuſa caput irrigato, quoad in pedibus ſudor excitetur, farinamque quam craſſiſſimam coquito. Excitato vero in pedibus ſudore, farinam plurimam & calidiſſimam edat ſuperebibito mero, & ſtragulis coopertus placide quieſcat.* Quibus docemur, quomodo lotiones capitis, de quibus in aphoriſmo tractatur, pro ephemerarum curatione ſint adminiſtrandæ; nec diverſitas in eis adnotanda eſt ex eo, quod additum ſit *neque ex pituita*; nam quando Hippocrates *lib. de nat. homin. n.* 27. docet plurimas febres ex bile oriri, earumque ſpe-

cies enumerat, continentem, quotidianam, tertianam, quartanam, & eas, quæ ab occultis doloribus fiunt, videlicet ab inflammationibus internis, quas omnes universaliori nomine putridas vocarunt posteriores, non ita excludit pituitam, ut nullo modo ad febrem concurrat, imo a sola bile febrem excitari posse non existimavit, sed febres ex bile appellavit, quia absque ea præfatas febres accendi, est impossibile. Quod si humoris prædominium attendatur, febris a bile dicitur, in qua hæc dominabitur, a pituita vero, eadem pituita prædominante. Utramque respexit in citata sententia Epidem. alterum vero tantummodo, bilis scilicet prædominium, citato lib. de nat. hom. *Martian. p.* 476. Aqua calida capiti exterius admota non conducere videtur nisi iis in casibus, ubi calor, siccitas, & inflammatoria adest diathesis, ad dolores mitigandos, laxando crispaturam fibrarum, stasin humorum solvendo; juxta dicta ad 5 *aph.* 22: aliàs vero virtute sua molliente, laxante, vasa ad congestiones & stases humorum, cerebro perniciosas, facile suscipiendas disponit. Capitis igitur lotionum usus res periculi plena est, & magnam prudentiam desiderat, hinc cautissime usurpari debent, & tutius ab iis nostris in regionibus abstinetur. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 657. Quid? quod etiam Celsus *l.* 3. *c.* 14. improbat methodum Cleophanti cujusdam ex antiquioribus Medicis, qui in febre tertiana & quartana, multo ante accessionem, caput ægri multa calida aqua perfundebat.

Omnes febres, quæ ex humore acri, tenui & calefaciente in corpore nato, generantur, dicuntur apud Veteres a bile oriri, inter quas febris

febris tertiana intermittens primas partes tenet: an vero febris ardens, putrida, hectica, & symptomatica ex bile nafcatur, non confentiunt. Igitur incertus fum, num in memoratis febribus, atque in quotidiana & quartana, quæ dicuntur oriri ex pituita & melancholia, caput perfundendum fit multa aqua calida, ad curationem. Proinde incerta hoc loco proponitur curatio. Credo igitur, Auctorem obfervaffe quandam fpeciem febris egregie folvi hac aqua calida perfufa, fed & expertum effe, in febribus biliofis nocuiffe. Quæcunque pars noftri corporis multa aqua calida fovetur & abluitur, ab actuali illo calore paulo magis eo tempore incalefcit, atque liberatur a fordibus cuti adhærentibus, fimulque laxatur & humectatur: fed fi definat ille calor actualis, relinquitur pars frigidior & laxior, quam erat ante fotum vel affufionem eam. Si vero illa pars ultra modum incalefcat & ficca fit ante hanc affufionem, ut experimur in partibus inflammatis, ab affufione hac lenietur urens calor, humectabitur pars, & tenfio laxabitur. Facile ergo erit ex his conjicere, quanam in fpecie febris hæc methodus valeat: nempe fi ex infolatione caput incalefcit & ficcatum fuit, ficcitas enim, & humor tenuis acer ex infolatione natus, humectabitur, atque concedetur liber exitus humori illi, & qui reftitabat in poris, fimul auferetur. Aut fi quis ex laboribus durioribus propter expulfionem humoris tenuioris & compactum fanguinis febricitet, hac capitis ablutione calida, ejus humores compacti refolventur, fuppeditabitur mitis & tenuis humor aquofus, & folida conftricta, ficca, humectabuntur & laxabuntur. Denique quibus ob aëris fri-

giditatem vel ventum prohibita fuit perspiratio, & materia illa retenta febriculam concitat, his per aquam affusam calidam liberior conceditur perspiratio, qua id, quod febrem excitat, eliminatur e corpore. His ergo in febribus conducit aqua multa calida in caput affusa: sed si materia sit biliosa, uti experimur in morbis erysipelatosis, per affusam calidam his augebitur bilis corruptio. *Gorter.*

APHOR. 43.

Γυνὴ ἀμφιδέξιος ὀυ γίνεται.

Mulier ambidextra non fit.

Expungent hanc sententiam sine formidine reatus, qui norunt, quod ambidextros faciat usus, non natura. Fundamento certe arenoso nituntur quæ adfert, ad tuendam veritatem aphorismi hujus, *Cardanus p. 799 seq.*



APHOR.

APHOR. 44.

Ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται, ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ, καὶ λευκὸν, περιγίγνονται· ἢν δὲ ὕφαιμον, καὶ βορβορῶδες, καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται.

Suppurati cum uruntur, aut ſecantur, ſi pus purum, & album effluat, evadunt: quod ſi ſubcruentum, & cœnoſum, & graveolens fuerit, pereunt.

Sententia hæc in *Prognoſt. n.* 19. legitur in hunc modum: *Cum ſuppurati uruntur, quibus purum quidem pus eſt & album, & minime fœtidum, ii ſervantur. at quibus ſubcruentum, & cœnoſum, moriuntur.* Et *l.* 2. *de morb. n.* 45. ubi de empyicis, quibus ſectio adhibita eſt, tractatur, hæc habentur: *Indicio eſt evaſurum ægrum, ſi quidem pus album & purum fuerit, fibræque ſanguinis inſint, ut plurimum convaleſcit. At ſi primo die ovi luteo ſimile, aut poſtero die craſſum defluat, aliquantum ex virore pallidum, & graveolens, ubi pus effluxerit, moriuntur.*

En. Pus optimum eſt album, æquale & læve, & quam minimum graveolens, huic autem contrarium peſſimum. *Hippocr. Prognoſt. n.* 7. Si pus diu in loco clauſo relinquitur, attenuatur, acre fit, putreſcit, vicina conſumit, erodit. *Boerh. aph.* 406. hinc neceſſe rubrum habeat ſanguinem admiſtum ex eroſis vaſculis, evadat

inæquale, *ſubcruentum*, *cœnoſum*, colore fuſcum & ſubſtantia amurcam referens, atque inde *graveolens*. Si ergo empyema in thorace habentibus, de quibus præſens intelligendus eſt aphoriſmus, ſive ſectis, ſive uſtis, pus effluat optimum, de illorum vita ſperari poteſt, cæteris ſe habentibus convenienter; nihil enim mali arguit ejuſmodi pus de partibus unde venit. Contra, ſi ex pravis ſignis quippiam apparuerit, omni ſpe deſtitutus eſt æger, uti loquitur Hippocrates *Progneſt. n.* 19. memoratis enim pravis qualitatibus imbutum pus, ſignificat corruptam partem unde manat & tabe affectam, unde neceſſario pereunt ægri: quoniam mortifera eſt gangræna cum cæterarum corporis partium, tum vero ſpirabilium, quarum officio vel ad punctum temporis vitam carere non potis eſt: & quarum vitio, naturæ omnia præſidia collabuntur, cum ἀδυναμία omnium facultatum, & vacatione omnium officiorum, tandem in ſympathiam & contagionem adductorum nobiliſſimæ partis corruptæ. *Duret. in Coac. p.* 273. Conf. *Boerh. aph.* 1192. 1193.



APHOR.

APHOR. 45.

Ὁκόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται, (ἢ τέμνονται) ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ, καὶ λευκὸν, περιγίγνονται, ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοισιν ἐστίν· ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

Qui ex purulento jecore aduruntur, (aut ſecantur,) ii, ubi pus purum fluxerit, & album, ſuperſunt, quod pus in tunica ipſis concluſum ſit: ſin vero qualis amurca fluat, pereunt.

Extat hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 3. *n.* 274. paucioribus conceptus verbis, ita: *Quibus ex hepatis uſtione pus amurcæ ſimile prodit, letale.* Apud Celſum l. 2. c. 8. p. 67. hæc leguntur: *Si in jocinore vomica eſt, & ex ea fertur pus purum & album, ſalus ei facilis. id enim malum in tunica eſt.* & *ibid. p.* 71: *Ex jocinore ſi pus cruentum exit, mortiferum eſt.*

Vidimus ad præcedentem aphoriſmum in empyicis, quod eorum bene res eunt, quibus pus educitur æquale, album & nihil olens, contrà ipſos mori, quibus manat pus contrariis dotibus præditum. Similiter empyema hepaticum, quod exitum foras affectat; ſi quidem, peruſto hypochondrio, libertatem habeat exeundi, ac tum in exitu ſigna edat integræ partis ſolidæ, vegeti caloris nativi, & humoris morigeri (quoniam id manat e tunica ubi col-

lectum erat, non in viscere ipso diffusum) appareteque omnino quale modo descriptum est; certa spe consolatur Medicum futuræ salutis. Quod autem prodit e parte corrupta, in viscere ipso diffusum, non autem collectum in tunica, pus amurcosum, funestum exitum ostendit, quia nulla salus vitæ sperabilis esse potest in amissione vitalis officii, quo fungitur ipsum hepar dum valet natura & valetudinis cura. *Duret. in Coac. p.* 309. Conf. *Boerh. aph.* 944. 945.

APHOR. 46.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν, ἀκρητον πόσιας, καὶ λέσας πολλῷ θερμῷ, φλεβοτομίη.

Oculorum dolores, exhibita meri potione, & copiosæ æquæ calentis balneo, venæ sectione curato.

Antiqui Hippocratis expositores præsentis aphorismi interpretationem haud ineptam adducunt, videlicet, dolores oculorum a copiosa materia, eaque compacta procedentes venæ sectione curari, verum eos prius attenuandos esse, & meri potu, & calido balneo. Hanc tamen expositionem rejicit Galenus, eo quod periculosum sit, & vini potu, & balneo in corporibus repletis uti, nulla evacuatione prægressa. Verum hæc Galeni ratio aliquid roboris haberet, si juberet Hippocrates pluribus diebus ante Venæ sectionem prædictis utendum esse;

esse; sed quia supponit, ea tantummodo esse administranda eo ipso die, quo fit phlebotomia, ut dicendi modus, quo utitur, satis manifestat: etiamsi humores inde fundantur, & ampliorem locum exposcentes, venas distendant, nullum tamen periculum impendet, cum statim evacuatio subsequatur. Nam etiam *lib. de vict. acut. n.* 38. pro aphoniæ curatione venæ sectioni præmittit fomentum toti corpori, quod non minoris periculi esset, nisi statim evacuatio subsequeretur. Verum dicet aliquis, hanc curationem non omnibus oculorum doloribus convenire, sed iis tantummodo, qui ab enarrata causa dependent, unde improprie Hippocrates universaliter locutus est. Huic respondeo, indefinite propositionem hanc protulisse, non universaliter, idque ab Hippocrate fieri frequenter, quando non necessario semper id contingere ab eo observatum est. Quamvis etiam universaliter vera, & rationabilis defendi posset hæc curatio in omnibus oculorum doloribus, quia, cum oculorum dolor fieri possit, & a sanguinis plenitudine, & ab humorum crassitie, nec non a nimia tenuitate, in omnibus his tribus casibus curatio hoc in loco ab auctore proposita rationabilis est. Nam de plenitudine doloris causa nemo dubitabit, quin pro ea tollenda conveniat venæ sectio, nec ex præcedente vini potione, & balneo incommodum aliquod adveniet, si statim evacuatio succedat. Similiter, quando humores crassi, & frigidi dolorem faciunt, probanda est venæ sectio, quæ humores omnes evacuare potest, quæ cum venoso genere communicantur, nam cum morbus, non ab intemperie sola, sed ab humoribus ipsis dependeat, magis est commodum,

dum, quod a venæ sectione provenit, evacuatis humoribus, qui ipsum fovent, quam noxa, quæ ab eadem, refrigerato corpore, timeri possit, qua quidem ratione Hippocrates in frigidis morbis minus timuit venæ sectionem, quam ubi bilis dominatur, unde etiam in hydrope a phlebotomia non abstinuit, ut ex *lib. de vict. acut. n. 62.* manifeste constat: quare in doloribus oculorum a frigidis, & crassis humoribus convenit venæ sectio, præsertim cum ante, & vini potione, & calidis lotionibus frigida intemperies corrigatur, humorque attenuetur, ut per venæ sectionem evacuari possit. Quare difficultas tantummodo versatur in iis doloribus, qui a tenuibus, & acribus humoribus dependent, in quibus etiamsi vini potionem convenire posse concedat Galenus, quatenus vinum humiditate eorum acrimoniam retundit, & potissimum subsequente balneo, venæ tamen sectio in affectibus biliosis Hippocrati semper suspecta fuit; quod quidem intelligendum est, quando bilis peccat in toto, non quando in particula tantum, ut evenit in hoc casu, in quo bilem non abundare in toto ex eo conjicimus, quia febrem non adesse supponitur, quando de ea non fit mentio, quæ necessario in doloribus oculorum accenditur, quotiescunque bilis in corpore viget. hac enim ratione in morbis, qui febrem adjunctam habent, magis timuit Hippocrates venæ sectionem, quam ubi nulla adest febris. *Martian. p. 476.* Antiquos oculorum dolores & rubores, multis remediis frustra tentatis, vini potu meracioris curatos refert Borellus *Cent. 2. obs. 77.*

APHOR.

APHOR. 47.

Ὑδρωπιῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστιν.

Hydrope laborantem si tussis detineat, desperatus est.

Hæc sententia extat, & exposita est, supra 6 *aph.* 35.

APHOR. 48.

Στραγγουρίην καὶ δυσουρίην, θώρηξις, καὶ φλεβοτομίη λύει· τάμνειν δὲ τὰς εἴσω φλέβας.

Urinæ stillicidium & meiendi difficultatem, vini meri potio, & venæ sectio solvit: at secandæ sunt interiores venæ.

In *lib.* 2. *Epidem. sect.* 9. *n.* 39. hæc tantum leguntur: *Stranguriam venæ sectio solvit.*

Superius 6 *aph.* 36. venæ sectio commendata est ad dysuriam cum febre. Hic ad stranguriam & dysuriam chronicas, senibus v. g. familiares, traduntur remedia. *Hecquet.* Stranguriæ, & dysuriæ quamvis multæ causæ esse possint, omnes tamen ad tres reducuntur, ad inflammationem vesicæ, aut partium adjacentium; ad ma-

materiæ acris, & pituitosæ defluxum; & ad facultatis imbecillitatem, cujus gratia hi affectus senibus sunt familiares, & in iis difficulter curantur. Ratione inflammationis convenit venæ sectio, quæ etiam non erit inutilis, quando ab aliorum humorum affluxu dependet, ob rationes ad 7 *aph.* 46. adnotatas, quamvis hujus peculiaris curatio sit vini potio, & illius maxime, quæ a facultatis imbecillitate ortum ducit, vinum enim partim concoquendo, partim roborando, partim humectando, & quod summum est, urinam ciendo prædictis malis auxilio esse potest. *Martian. p.* 477. Quod si post suppressum mensium vel hæmorrhoïdum fluxum, stranguria, vel dysuria, imminet, optimum consilium, ut excretiones hæ vel revocentur, vel sanguis copiose congestus per sanguinis, præsertim in pede, missionem, derivetur, quod auxilii genus iis inprimis, quibus ani aut uteri venæ stillare amplius jam cessarunt, proficuum est. Est hoc in casu verum omnino Hippocratis dictum, *urinæ difficultatem & stillicidium solvere venæ sectionem.* Quod ad vini potum attinet, merito tenendum, quod nullum aliud ex usu sit, quam dulce, Malvaticum, Hispanicum, vel etiam Hungaricum, quod moderate & medice potum, tam ad roborandum stomachum, quam ad vires refocillandas, apprime conducit, nisi febris & calor prohibeant. Illa vero vina, quæ multum acidi tartarei in sinu fovent, ut Rhenana, aliaque Germanæ austera, penitus merito sunt rejicienda. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 482. 485. Quid in aphorismo per venas interiores intelligendum sit, indicatum est in expositione 6 *aph.* 36.

Venæ

Venæ ſectio minuit motum, & vini potio auget corporis calorem. Si ergo junior Medicus utroque genere auxiliorum uti vellet, tantum noceret, quantum prodeſſet. Ne igitur in poſterum faciamus periculum, videndum eſt, num ex motu languidiore generetur ſtranguria, & dyſuria; tunc enim largior vini potatio eſt concedenda: ſed ſi experimur adeſſe ardorem, ſigna febris vel inflammationis, a vini potu abſtinendum, at vena ſecanda eſt. *Corter.*

Aphor. 49.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα, καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγενόμενον, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Ab angina detento tumor, & rubor in pectore ſuperveniens, bonum: foras enim morbus vertitur.

Eadem ſententia legitur in *lib.* 2. *de morb. n.* 26 & 27. *Coac. ſect.* 3. *n.* 102. & apud *Celſum l.* 4. *c.* 4. *p.* 197. ita expreſſa eſt: *rubore & tumore in præcordiis orto, ſcire licet fauces liberari.* Expoſita habetur ſuperius 6 *aph.* 37.



APHOR. 50.

Ὁκόσοισιν ἂν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίγνονται.

Quibus cerebrum ſphacelo tentatum eſt, intra tres dies intereunt: quod ſi vero hos effugerint, ſani evadunt.

Hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 2. *n.* 53. ita ſcribitur: *Quibus cerebrum ſphacelo affectum eſt, quidam tribus diebus, quidam etiam ſeptem moriuntur, quos ſi evaſerint, ſervantur.*

Si de ſphacelo cerebri, vel illarum partium quæ ſub cranio latent, Hippocrates hic eo ſenſu, quo recentiores Medici ſphacelum accipiunt, locutus fuiſſet, abſonum eſſet, emortuo vel ſphacelato cerebro, ſtatuere velle, poſt tertium aut ſeptimum diem evaſurum. Utitur Hippocrates verbo σφακελίζω, quod communiter vertitur per *ſphacelari* aut *emortuum eſſe*; & uſurpat eandem vocem *lib.* 2. *de morb. n.* 5. & 20. in quorum poſtremo loco eadem fere verba occurrunt cætera quæ habentur in hoc aphoriſmo. Oboritur hinc Jo. Agricolæ ſuſpicio, inter ſphacelum & necroſin Veterum magnam eſſe differentiam; perſuadetque ſibi Vir doctus 1. id, quod *ſphacelum* hodie dicimus, i. e. partes poſt gangrænam emortuas, necroſin dicendum eſſe ad mentem Veterum; 2. inflamma-

flammationem partium ſub cranio, *phrenitidis* nomine inſignitam, ſecundum Hippocratem *ſphacelum* appellari. Vid. *Com. Litt.* 1736. *p.* 321 *ſq.*

Modernis vocatur *phreneſis* ſive *phrenitis*, membranarum cerebri vel ſolitaria, vel cum parte quadam cerebri ſociata inflammatio, ſed perperam, & perverſo vocabulorum uſu. Hippocrati enim & Græcis auctoribus diaphragma vocatur φρένες, quod ad intelligendam in lectione Veterum ἀκρίβειαν probe notandum; unde phrenitis proprio ac genuino ſenſu eſt inflammatio diaphragmatis, quam ordinario inſequitur delirium. Dicitur autem φρένες diaphragma, vel quia Antiquis mentis ſedes fuit reputatum, vel quod in diaphragmate affecto & inflammato Mens perturbetur: quam Veterum opinionem renovavit *Bartholinus* in *Examine Paradox. Med.* qui ſtatuit in centro diaphragmatis nerveo ſedem eſſe fundamentalem animæ. Præterea obſervari & hoc debet, quod omnia vocabula Græcorum medica in τις terminantia ſemper ſignificent inflammationem ejus partis cujus acceperunt denominationem, ut apparet in vocabulis *Nephritis*, *Hepatitis*, *Pleuritis*, & ſic per conſequens *Phrenitis*. Antiqui e contra inflammationem membranarum cerebri, aut ipſius cerebri vocarunt *ſphacelum* ſeu *ſphaceliſmum*. Hodie abuſive *ſphacelus* dicitur mortificatio totalis, quam Hippocrates & Veteres vocarunt *necroſin*; qui ſerpentem adhuc extinctionem, dum eſt in fieri, *gangrænam* vocabant, quod vocabulum adhuc in tali ſenſu in uſu habemus. *Ettm. Oper. T.* 3. *p.* 54.

Oportet hunc aphoriſmum intelligere, ut Galenus in enarratione vult: Si incipiente

ſphaceliſmo, h. e. ulcere cerebrum depaſcente, virtus potens fuerit, ut illud ſuperet, ægrotus intra tres dies evadit, & ſanus fit: ſi vero a cerebri potentia non ſuperatur, cerebrum corrodit & exedit, & intra tres dies interficit. Et intelligit, teſte Galeno, non perfectam corruptionem cerebri; nam tales nunquam evadunt. *Foreſt. Obſ. Med. l.* 10. *obſ.* 11. *ſchol. p.* 324. Per prolepſin uſurpatum eſt ſiderationis nomen, i. e. dum ſideratur cerebrum; ut inchoata videatur ſideratio, non autem numeris omnibus abſoluta, quæ inſanabilis eſt; tanquam privatione inducta. Nam proprie ſphacelus, perfectam cujusque partis corruptionem ſignificat. Sed quemadmodum carnis corruptio gangræna dici ſolet: ita ſideratio oſſis, nomen ſibi vindicat τȣ̃ σφακέλȣ. Ut igitur multum intereſt inter gangrænam & γαγγραινȣ̃σθαι, quod illa perfectam abſolutamque νέκρωσιν carnis ſignificet; hoc vero μελασμὸν, i. e. *nigredinem* & inchoatam corruptionem: ſic inter ſphacelon & σφακελίζειν, ille enim carbunculationem oſſis, hoc vero alterationem, qua itur ad alienationem, denunciat. Atque ut ſæpenumero rerum abſolutarum verba & nomina pro inchoatis uſurpantur: ita quoque hîc talis uſurpatio conſideranda videtur, ut σφακελίζειν dicatur cerebrum, quod in corruptionis metu eſt. Sed quid eſt ſphaceliſmus cerebri. & quibus ſignis ad illius cognitionem deducimur? Eum ſphaceliſmum ita deſcripſit Hippocrates *l.* 2. *de morb. n.* 20: *Siderato cerebro, dolor ab occipitio in ſpinalem medullam invadit, ac tum frigus ad cor pervadit, unaque ſudor cito cietur, effluitque ſanguis e naribus; nonnulli etiam vomunt; hic tribus diebus vitam finit.* Et infra

n. 23:

n. 23: *Si quem ſphacelus corripit, dolor anticam potiſſimum capitis partem occupat, intumeſcit, liveſcit, cum febre & crebro rigore. Hunc ſecare oportet, neque abradendo quieſcere, donec ventum ſit ad diploïaem.* Finiunt vitam alii tribus, ali ſeptem diebus, pro varia ſideratæ partis conditione & ſitu. Nam ſiderato bregmate, & in puero, citior mors venit, quam in occipite & adultiore. Si cauſam melaſmi fortis natura expulerit, aut Medicus multum celer atque fidelis terebrando exhauſerit, partique afflictæ neoteriſmum induxerit, æger reſtituetur. Si autem, facta decuſſata carnis diſſectione, & pericranii a calvaria avulſione, appareat, tactu & aſpectu, & modiolo religioſe & prudenter circumacto, os colore, caractere, & mole omnino a ſe mutatum, & a naturali connexione ac ſitu amotum, ſignum hoc eſt perfectæ νεκρώσεως, & quod omne vivens conſortis mortui impatiens eſſe ſoleat; juxta *Coac. ſect.* 2. *n.* 53. *Duret. in Coac. p.* 96 *ſq.* Sphacelus in noſtro aphoriſmo denotat cerebri corruptionem, non illam quæ oritur ab inflammatione tendente in ſphacelum verum (quo ſenſu nempe hodie vocabulum hoc uſurpari ſolet), ſed quæ provenit ab acri crudo irritante meninges, cujus acrimonia, ſi ſit valida & copia magna, cerebrum ita opprimitur, ut æger moriatur vel poſt tres, quinque vel ſeptem dies. Sed ſi humor ille reddi incipit per nares, vel ſputum, vel urinam, ægri liberari ſolent. *Gorter.*

APHOR. 51.

Πταρμὸς γίγνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ, ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω· ψοφεῖ δὲ, ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν.

Sternutatio ex capite fit concalefacto cerebro, aut perhumectata capitis inanitate, aër enim intus contentus, extra effunditur: ſtrepitum autem edit, quod ei per anguſtum ſit tranſitus.

Explosionis genus eſſe ſternutationem, non inepte exprimit aphoriſmus. Cum enim ab irritatis nervis olfactoriis, per nares in membrana pituitaria diſperſis, in conſenſum trahuntur rami ex nervorum pari quinto & ſexto ad naſum delati, & ab his nervi intercoſtales, qui dictis ramis ortum ſuum debent, ut & communicans cum iis par vagum, diaphragmatis, nec non muſculorum abdominalium & intercoſtalium cum muſculis reſpirationi ſervientibus ſuſcitatus conſenſus, excitat motum illum, quo fit ut thorax valde dilatetur, & aër magna copia in pulmones irruat, qui ibi a calore rarefactus mox iterum magna vi inde per anguſtias narium foras pellitur. Eſt itaque ſternutatio, violenta & ferme convulſiva, mox tamen remittens, conſtrictio membranæ pitui-

tariæ omniumque partium exſpirationi dicatarum, unde & antiquiſſimis Medicis levis & cito tranſiens audit epilepſia. Cauſa autem hujus conſtrictionis ſemper in membrana pituitaria hæret, unde & ſternutatio a tuſſi differt: hujus namque cauſa efficiens in membrana bronchiali aſperam arteriam, laryngem & bronchia pulmonum inveſtiente reſidet, ubi convulſivam conſtrictionem partium exſpirationem præſtantium producit, cujus ope aër uno impetu in altum propulſus per os eliminatur, poſtquam antea laryngi alliſus ſonum, quem tuſſim vocamus, edidit. Contra vero ſternutationis cauſa, conſtrictionem membranæ pituitariæ efficiens, eandem conſtrictionem, ob conſenſum, illis quoque partibus communicat, quæ reſpirationi inſerviunt; unde pari quidem, ac in tuſſi, modo aër in altum violenter propellitur; aſt, cum muſculi linguæ radicem attollentes una ſeſe conſtringunt ſicque linguam attollunt & hoc ipſo oris partem poſteriorem adimplent ita, ut aër per os ſufficientem exitum non acquirat, ipſe aër maximo cum impetu per nares protruditur & illum ſonum efficit, quem ſternutationem vocant. Cur lingua ſub ſternutatione attollatur, patet conſideranti, illam nervos a quinto pari mutuare & ſic cum membrana pituitaria communicare. Sternutationis uſus potiſſimum in eo conſiſtit, ut impuritates ex naſo eliminentur, nervi olfactorii illæſi conſerventur, ſicque ipſe olfactus naturali modo peragi poſſit; interim tamen ſimul totius corporis concuſſio accidit eo fortior, quo fortior ſternutatio eſt. Vid. *Com. Litt.* 1739. *p.* 361 *ſq.*

Tunc, cerebrum verſus, ſanguis ruit impete magno
Et valido niſu munguntur vaſcula muci.
Hinc ſternutantes demulcet blanda voluptas.
Hebenſtr. de Hom. p. 89.

Eſt quidem ſternutatio ſingulare illud naturæ beneficium, quo ſequeſtrantur viſcida, acria, quæ cæteroquin ad cerebrum duci poterant, intra pituitariam narium tunicam; non tamen ſemper feliciter illam cedere obſervatum eſt in peſte illa Italica, qua multi (ceu ſcribit *Sigonius lib.* 1. *Hiſt. de regno Italiæ*), cum ſternutarent, alii cum oſcitarent, repente ſpiritum emiſerunt. Quod cum ſæpe eveniret, conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſervatur, ut ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum crucis ori admovendo, præſidium quærerent. Vid. *A. E. L.* 1758. *p.* 478. Primarium membrum ſternutans eſt diaphragma per conſenſum nervi intercoſtalis: hinc quibus hæc membrana ſenſilior, hi facile ſternutant. *Ettm. Oper. T.* 1. *p.* 149. Quo ſenſibilior eſt membrana narium pituitaria, eo, propter faciliorem irritationem, promtius ſternutamus; hinc qui ex crebro pulveris ſternutatorii abuſu membranam iſtam exſiccatam, minus ſenſilem, habent, minus ſternutare ſolent. *ibid. T.* 2. *p.* 459.

Prima ſternutationis cauſa in aphoriſmo dicitur *cerebrum percalefactum*, id eſt, ſi motus vitalis in encephali partibus validior nimium calorem concitavit, arteriæ in membrana pituitaria magis agitatæ, ſua actione ſtimulantes faciunt tale irritamentum in hac membrana, uti fit a calefacientibus pulveribus vel vaporibus naribus attractis, qua commota membrana naturali lege concitatur ſternutamentum. Inde

in

in impetu majore ſanguinis ad caput toties generatur ſternutamentum, quod iterata concuſſione tandem ſanguinem extrudit, aut illa vaſcula diſrumpit, atque facit hæmorrhagiam narium, qua illa vaſa deplentur, & minuitur impetus, in quo caſu ſternutamentum eſt præſagium bonæ hæmorrhagiæ. Sed ſi ab inflammatis meningibus per conſenſum pituitaria membrana agitatur, vel ſi ipſa membrana inflammatur, moleſta, fatigans, & iterata fit ſternutatio, ſine hæmorrhagia ſubſequente, qua agitatione pars inflammata magis exaſperatur. Inde intelligitur, cur in quibusdam morbis acutis atque epidemicis interdum ſalutaris, aut interdum letalis obſervetur ſternutatio. Altera cauſa dicitur *perhumectatum, quod eſt in capite, vacuum.* Veteres, in Anatomicis non ſatis periti, exiſtimarunt humores in capitis vacuo ſpatio, id eſt, in cerebri ventriculis, collectos expurgari per nares. Sed conſtat hodie, nullam ex ventriculis cerebri ad nares eſſe viam. Obſervatio tamen practica eam viam adſtruere videtur, quum cerebrum humiditate, uti videtur, oppreſſum liberetur copioſiore evacuatione muci per nares, & gravitas cerebri levetur ſternutamento, quo multum muci elicitur: verum ſi membrana pituitaria multo muco ſit oppleta, aggravatur etiam caput, & ille poteſt facile per nares expurgari. Quamvis autem demonſtrari poſſit per aliam viam fieri poſſe talem evacuationem, hoc tamen non demonſtrat, fieri non poſſe evacuationem ex encephalo. Qui contendunt duram matrem accurate obtegere os ethmoïdeum, ut nihil humidi perfluere poſſit ex encephalo ad nares, illi non concipiunt nervos olfactorios ire per hoc os

ad cava narium, in quo tranſitu negari nequit, aliquid etiam humidi permeare poſſe. Sive ergo concipiatur, in ſinubus frontalibus vel ephippii hærere mucum, qui in cavum narium deſtillat, ſive concipiatur humiditatem encephali ſecundum olfactoriorum nervorum decurſum in nares deſcendere, in utroque caſu homo ſentiet cerebrum ſeu caput aggravatum, quæ gravitas minuetur humidi evacuatione per nares. Si hic mucus ſeu humor tenuior ſit mitis, non concitabit ſternutamentum, ſed ſi quædam acrimonia adeſt, illa vellicans internam narium membranam ſternutamentum concitat, quo elicitur ex hac membrana, quæ & interne veſtit ſinus recenſitos, muci abundantia, cujus evacuatione tollitur ille humor aggravans. Rationem reddere ſatagens Auctor, quomodo, cerebro calefacto, ex ſpatio vacuo tanta vi extrudatur in ſternutantibus aër, putat humidum in ventriculis cerebri contentum a cerebri caliditate commutari in vaporem, uti aqua in lebete vel vaſe clauſo ab igne ſubſtrato, ſi tunc alicubi formatur apertura, exibit aër cum impetu. Experimentum utique eſt verum, ſed falſa eſt facta analogia, nunquam enim cerebrum ita incaleſcit, ut eſt ignis gradus qui aquam ebullire facit & in vaporem converti, neque via tam patula, per quam potuiſſet ille vapor per nares emitti. Atque ille aër, qui in ſternutantibus exit, non venit ex encephalo, ſed ex pulmonibus. *Gorter.*

APHOR.

Aphor. 52.

Ὁκόσοισιν ἧπαρ περιωδυνᾶται, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

Quibus jecur circumcirca dolet, iis superveniens febris dolorem solvit.

Hæc sententia explicata est superius *6 aph.* 40.

Aphor. 53.

Ὁκόσοισι ξυμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τουτέους χρὴ ἦρος φλεβοτομέεσθαι.

Quibus sanguinem ex venis detrahere convenit, iis vere vena secanda est.

Et hic aphorismus supra *6 aph.* 47. expositus habetur.



APHOR. 54.

Ὀκόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει, οὐκ ἔχον διέξοδον ἐς οὐδετέρην τῶν κοιλιῶν, τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τοῦ φλέγματος, λύσις γίγνεται τῆς νούσου.

Quibus inter ſeptum tranſverſum, & ventriculum pituita concluditur, & dolorem exhibet, neque in alterutrum ventrem viam habet, iis per venas in veſicam pituitâ verſâ, morbi fit ſolutio.

Pituitæ nomine hic concipitur pars alba ſanguinis, ant lymphatica, quæ ab impedita membranarum interna tranſpiratione redeundo ad arterias ſanguinales regreditur, ubi ſtaſi facta aut reſtagnatione, ejuſmodi, quam per congeſtionem vocant, apoſtaſin facit; inde vero in venas eliquata, per renes in veſicam deponitur. *Hecquet.*

Inter Auctores non conſtat, qualis locus hic intelligatur; ſed nullam partem huic loco magis convenientem invenire potui, quam omentum, quod etiam pituita ſæpe oppletur. Iſtud enim ſub diaphragmate locatum eſt & non ſemper attingit ſumen, quod pituita oppletum in parte ſuperiore ventris inferioris ſub pectore tumorem pituitoſum & mollem format. Diutiſſime

tissime hic hærere posse pituitam sine ullo dolore, & sine mutatione coloris in facie, aliquoties observavi, tandem vero sensim acriore facta pituita dolor generabatur. Quodsi cellutis ruptis effundatur pituita, ascites formatur: si vero sensim magis increscat, ita premit adjacentia viscera, ut ad munera sua peragenda incapacia fiant, & ita lentam mortem inferant. Talem nunc collectionem pituitæ observavit Auctor curatam fuisse per urinam multam. Quod verum esse nos quoque experti sumus, etiamsi multi negent viam. Sed quando per venam epiploïcam in venam portarum, & ita in venam cavam conceditur lymphæ transitus, nulla restat obscuritas viarum, per quas illa lympha antea collecta potuisset venire ad renes & ita nomine urinæ evacuari. Quia vero hanc novimus naturalem solutionem, arte hoc etiam tentandum est, ut primo resolventibus & frictionibus tentemus pituitæ stagnantis solutionem & propulsionem, atque dein per diuretica promoveamus eductionem. *Gorter.*




APHOR. 55.

Ὁκόσοισιν ἂν τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν.

Quibus jecur aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua impletur, & moriuntur.

In membrana hepar vestiente ortæ hydatides seu vesiculæ aqua plenæ, ruptæ effundunt ichores in omentum, quod hepati & ventriculo superincumbit, & ab acrimonia eroditur ac corrumpitur, unde in abdominis cavum effusi liquores isti hydropem ascitem creant letalem, tum ab omenti erosione & exulceratione, tum ab adjacentibus visceribus eadem labe infectis. *Tozzi.* Quibus a jecore hydropes fiunt, his tussis & tussiendi cupiditas inest, sed nihil effatu dignum exspuunt, pedesque intumescunt, ac venter non nisi dura ægreque egerit, & circa alvum tumores fiunt, qui partim dextra, partim sinistra parte oriuntur, & desinunt. *Hippocr. Prognost. n.* 8. *Coac. sect.* 3. *n.* 278.



APHOR.

APHOR. 56.

Ἀλύκην, χάσμην, φρίκην, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει.

Anxietatem, oſcitationem, horrorem, vinum æquali menſura aquæ temperatum epotum, ſolvit.

Extat hæc eadem ſententia in *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 6. *n.* 45.

Anxietas ſenſus quidam eſt oppreſſionis ſive gravitatis & prementis cujuſdam rei circa præcordia, vel & ad hypochondria, cum reſpirationis difficultate, a quacunque cauſa, quæ liberæ ſanguinis per pulmones circulationi ponit impedimentum. *Oſcitatio* eſt reſpirationis illa ſpecies, quæ fit diducto ore & pendula maxilla inferiore, qua pulmones maximopere extenduntur, inſpiraturque quam plurimum aëris lente & ſenſim, qui dein retentus aliquamdiu & rarefactus lente rurſum & ſenſim exſpiratur. Vid. *Boerh. J. M.* §. 638. Excitari ſolet, quando perſpirabili halitui exitus denegatus & ſanguini per pulmones difficilis eſt fluxus: unde plerumque in febribus acceſſionis eſt ſignum, ac frequens accidit in lethargicis, ſomnolentis, & ventriculi impletione. *Horror* ſeu ſenſus frigoris oritur a perſpiratione impedita. Vid. Not. ad 5 *aph.* 17. In hiſce moleſtiis temperata cardiaca, quale eſt vinum aqua tem-

temperatum, juvant, augendo oscillationes solidarum partium, hinc resolvendo obstructa, excitando perspirationem. Quidam anxii a potu vini aqua diluti statim levantur, aut dato vino Rhenano aqua temperato, cum adjecto succo citri. Alii multo melius curantur spirituosis aromaticis. Nonnulli liberantur vomitu, & alii iterum alvi fluxu, aut hæmorrhagia. Nimirum ex causa varia anxietatem inferente, diversa conferunt remedia. Quod si v. c. in ventriculo aliquid putrefactum hærens anxietatem infert, istud vino acescente dilutum, non amplius anxietatem inducit. Si autem bilis corrupta in ventriculum delata anxietatem induceret, magis conferret eam materiem vomitorio, vel purgante dato eliminare. Idem observandum est in oscitatione. Si stagnantes in ventriculo humores in spontaneam corruptelam abire incipiant, & frequentem oscitationem faciant, hujusmodi oscitationes egregie minuuntur poto vino diluto, quo simul ventriculi motus blande instigatur; sed inde non sequitur, omnem oscitationem hac potione curari. In horrore si bibendum detur vinum aqua dilutum & calefactum, id crudum & perspirabile retentum egregie diluitur, & per insensibilem perspirationem eliminatur, qua materia expulsa, cessat etiam illa causa irritans. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 57.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα γίγνεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύεται ὁ πόνος.

Quibus in urinaria fiſtula tuberculum innaſcitur, eo in pus verſo & rupto, dolor ſolvitur.

Eſt hic idem aphoriſmus cum 4 *aph.* 82. & ibi expoſitus habetur.

APHOR. 58.

Ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα.

Quibus cerebrum commotum eſt ab aliqua cauſa externa, eos protinus voce deficere neceſſe eſt.

Ex hoc aphoriſmo colligitur id, quod a Galeno ſæpius adnotatum eſt, Hippocratem per vocis privationem intelligere apoplecticos affectus, in quibus ægrotantes, non voce tantum, ſed ſenſu, & motu privantur. Nam *lib.* 1. *de morb. n.* 3. eandem referens ſententiam, quod in aphoriſmo ait, eos ſtatim voce

privari necesse est, ibi inquit, eum, qui percussus est, necesse est e vestigio mutum fieri, & neque videre, neque audire. Conf. etiam *Coac. sect.* 3. *n.* 370. Cur vero ad cerebri concussionem hoc symptoma sequatur, ratio est, quia cerebro concusso spiritus animales in ejus finibus contenti ex concussione agitantur, commoventurque ita, ut voluntatis imperio obedire non possint, unde eorum actione cessante, sensibus, & motu ægrotantem privari, necesse est: in quo statu persistunt, quousque spiritus pristinam quietem consequantur: quod non longe postea evenit, nisi a concussione ventriculorum cerebri compressio fiat, aut sanguine venula aliqua abrupta repleantur, unde vera apoplexia sequatur, quæ hominem e medio tollat. *Martian. p.* 478. Conf. 7 *aph.* 14.

APHOR. 59.

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

Corporibus humida carne præditis famem inducere convenit; fames siquidem corpora exsiccat.

Ergo corporibus laxis, leucophlegmaticis, & in morbis a seri abundantia, nec non obesis, qui macilentiores fieri cupiunt, conveniet tolerare famem: quæ apud Celsum *l.* 1. *c.* 3. *p.* 32. quoque inter exsiccantia refertur auxilia.

auxilia. Indicat fames indigentiam cibi. Aſt vero in pabuli penuria nativus calor humidum ſuperfluum exſorbet, cruditates coquit, & per inedias pituita in alimentum vertitur. *Laurent. de ſtrum. l. 2. c. 9.* Quodſi in ſtagno, aut mari, aut fluminibus quis natare ſibi videatur (per ſomnum), bonum non eſt, cum humiditatis exuperantiam indicet. huic autem victus ratio ſicca & labores conferunt. *Hippocr. de inſomn. n.* 15. Quibus morbis ſiccitas confert, ſemel die cibum capere conducit, ac cibos & potus pauciores quam ut repleri queant conſumere, &c. *de affection. n.* 41. Tanta abſtinentiæ & inediæ vis ineſt medicinalis, ut non modo in vitiis ſtomachi omnibus fere, in quibus eam *Celſus l.* 4. *c.* 5. commendat, colluviem crudorum humorum abſumendo, calorem & tonum deficientem reſtituat, verum etiam copiam ſeri evacuando ſolidorum tonum intendat, totumque ſanguinis circulum cum excretionibus promoveat; ac adeo iis adfectibus, qui ex nimia ſeri abundantia proveniunt, occurrat inſigniſſime. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 167.

Sæpe poteſt morbi depellere corpore cauſas
Provida, legitimo tempore juſſa, fames.
Percipe quid natura velit, cum debilis æger
Abſtinet atque cibis non cupit eſſe ſatur,
Quam ſit in exiguo victu præſtabilis uſus,
Pabula quid noceat plura vel ampla dari,
Quam noceat plenis ſano quoque ſanguine venis
Luxuries, quantum copia vaſa gravet.

Hebenſtr. de Hom. p. 360.

APHOR. 60.

Ὅκου ἂν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νούσου σημαίνει.

Ubi toto corpore mutationes, & corpus universum perfrigeratur, rursusque incalescit, aut subinde colorem commutat, morbi longitudo denunciatur.

Scripta & explicata est hæc sententia supra 4 *aph.* 40.



APHOR. 61.

Ἱδρὼς πολὺς, θερμὸς ἢ ψυχρὸς, ῥέων αἰεὶ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγροῦ. ἀπάγειν οὖν χρὴ, τῷ μὲν ἰσχυρῷ, ἄνωθεν, τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor multus, calidus aut frigidus, ſemper fluens, humoris copiam ineſſe ſignificat. Hæc igitur robuſto quidem ſuperne, debili vero inferne deducenda.

Expoſitus hujus aphoriſmi ſenſus habetur in dictis ad 4 *aph.* 41 & 42.

APHOR. 62.

Οἱ πυρετοὶ οἱ μὴ διαλείποντες, ἢν ἰσχυρότεροι διὰ τρίτης γένωνται, ἐπικίνδυνοι. ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres non intermittentes ſi tertio die vehementiores evadant, periculo obnoxiæ. Quoquo autem modo intermiſerint, periculum abeſſe indicat.

Hic aphoriſmus reperitur ſuperius 4 *aph.* 43.

APHOR. 63.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισιν ἢ φύματα, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐγγίγνονται.

Quos febres longæ exercent, iis vel tubercula, vel in articulis dolores innaſcuntur.

Sententiam hanc quoque habuimus, 4 *aph.* 44.

APHOR. 64.

Ὁκόσοισι φύματα μακρὰ, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐκ πυρετοῦ γίγνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula diutina, aut in articulis dolores ex febre fiunt, ii copioſioribus cibis utuntur.

Vide explicationem ad 4 *aph.* 45.



APHOR. 65.

Ἤν τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι νοῦσος.

Si febricitanti quis cibum exhibuerit, convalescenti quidem robur, ægrotanti vero morbus.

Per cibum non intelligit Hippocrates omne genus alimenti, quod consistit in cibo, in sorbitionibus, & in potu: quasi alimentum febrienti dare prohibeat, quia tantum abest, ut hoc Hippocraticæ doctrinæ conveniat, ut ei potius adversetur, & ideo inediam, tanquam febri inimicam damnavit *l. 6. Epid. sect.* 3. *n.* 55. in hoc Prodicum reprehendens; sed de solidis tantummodo cibariis intelligit, & quæ proprie cibi dicuntur, quos febricitantibus ubique damnavit, potissimum vero *lib. de loc. in hom. n.* 39. per hæc verba, *febrienti cibum ne offeras*, quos tamen in febris intermissione permittit, unde *lib. de affect. n.* 14. legimus, *si vero febrilis calor apprehenderit, & dimiserit, gravitas autem corporis ipsum detinuerit, hunc quidem quam diu febris tenuerit, sorbitionibus, ac potionibus curato, quum autem non tenuerit, etiam cibos dato.* Quare & in hoc aphorismo cibos tantummodo solidos prohibet febricitantibus; cujus quidem rationem satis longo sermone attulit *lib. de Vet. Med. n.* 13. concludens, ægrotantes plus lædi a diæta sanorum, quam sanos a cibis, quibus bruta vescuntur.

ſcuntur. Cum igitur contextus verba, in proprium ſenſum recepta, ſententiam reddant veram, & penitus rationabilem, non eſt, ut eam ob locutionis modum ab Hippocraticis ſententiis excludamus, quod expoſitores Galenum ſecuti communiter faciunt, quandoquidem exactam locutionis proprietatem non affectaſſe Hippocratem novimus a communi vulgarium regionis uſu compulſum, cujus cauſa ſoloeciſmos in dictis Hippocratis etiam Galenus conceſſit. Aphoriſmi igitur ſenſus erit: Si quis febrienti cibum ſolidum exhibeat, is ſciat ægroto tantum augmenti morbi præſtare, quantum roboris cibus ſano afferre ſolet. *Martian. p* 478. Conf. 1 *aph.* 16. item 2 *aph.* 10 & 17.

APHOR. 66.

Τὰ διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾷν δεῖ, εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα. τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

Quæ per veſicam excernuntur ſpectare oportet, an qualia ſanis ſubeunt. Quæ his minime ſunt ſimilia, ea morboſiora. Quæ vero ſanis ſimilia, minime morboſa.

URINÆ INSPECTIO Medico valde neceſſaria & inſigniſſimi in praxi medica uſus eſt. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 219. Etenim declarat urina ſanguinis indolem, impetum, ſymptomata;

mata; morbi ſtatum & coctionis; ſtatum ſecretionis & criſios; morbos renum, ureterum, veſicæ, teſtium quodammodo, vaſorum deferentium, veſicularum ſeminalium, proſtatarum, glandularum Cowperi, urethræ; aliquas ægritudines in bile natas. *Boerh. J. M.* §. 1017. Conf. *Duret. in Coac. p.* 489 *ſq.* Aſt nihil ex inſpecta urina conjici poteſt de ſtatu hominis, ægerne ſit, an ſanus is, cujus urinam inſpicimus, ſiquidem æger, quo ægrotet morbi genere, quanto tempore ægrotaturus ſit, & quo exitu deſinere debeat morbus, niſi ante notum fuerit, quomodo ſe habere debeat urina in ſtatu naturali; comparantes enim naturalem habitudinem urinarum cum illa, quæ nobis offertur, cum per occaſionem urinam aliquam inſpicimus, & deprehendentes in quibus affectionibus utræque differant, ſatis tuto arguere ratiocinando poſſumus, quid immutatum ſit in corpore illius, cujus urina obſervatur. *Bellin. de urin. &c. p.* 1.

Eſt Urina humor aquoſus, & ſalſus plus minus, ſive ſeroſus juxta alios, a ſanguine arterioſo per emulgentia vaſa in renibus ſecretus, qui dein per ureteres deducitur ad veſicam, & ex hac per urethram extra corpus mittitur. Eſt vero urina adeo multiplex, ut diſtinguenda ſit prius quam de ejus indole dici vera queant. Namque a copioſo, aquoſo, potu fit cruda, copioſa, lenis, inſipida, inodora, vix colore prædita, aquea, facile retinenda. Sed quæ redditur a chylo jam facto eſt magis cocta, parcior, acrior, ſalſa, parum fœtens, colore diluto pallidi ſulphuris, plus urgens. Illa iterum, quæ chylo jam in ſerum verſo habetur, colore ſtraminis, vel rubicundior, coctior, longe

 parcior,

parcior, falſior, fœtidior, acrior, valde ſtimulans, adeoque diu retineri non potens. Tandem vero hæc, quæ poſt diuturnam a cibo, potuque abſtinentiam, ex humoribus valde & diu attritis, ut & ex deterſis ſolidis partibus oritur, hæc demum pauciſſima, acerrima, ſalſiſſima, fœtida, ruberrima, vix retinenda, & putrefactæ proxima, deprehenditur. *Boerh. J. M.* §. 369--372. Enimvero triplex eſt omnis urinæ materia; una quidem de cruditate rerum earum quæ aſſumuntur; altera de liquore feroſo eorum qui ſunt in venis humorum; tertia de humoribus atque corporibus quæ liquuntur. Atque hæc triplex conſideratio in urina, his verbis expreſſa eſt ab Hippocrate *lib. 6. Epidem ſect. 5. n. 30. urina concolor cibo & potui; tum qualis eſſe ſolet; item cum humidi colliquatio eſt.* Vid. *Duret. l. c. p.* 490. Color urinæ quam maxime particulis ſulphureis invicem commixtis debetur, unde quo major horum ingredientium in urina eſt quantitas, ut in febricitantibus, ſcorbuticis & qui in iis parum bibunt, eo color eſt ſaturatior. Quo major in corpore calor eſt, eo ſaturatior urina eſt. *Hoffm. l. c. p.* 215. Tingitur etiam varie urina ab ingeſtis, v. c. rhabarbaro, caſſia fiſtula, beta rubra, rubia tinctorum. Ad urinæ colores pertinet *circulus* ſeu *corona* dicta urinæ, de qua multa dicunt. Vid. *Barthol. H. A. Cent.* 4. *hiſt.* 26. *Eph N. C. D.* 1. *a.* 3. *o.* 188. *D.* 3. *a.* 5. *o.* 150. Corona autem illa nihil aliud eſt, quam extremus limbus ſummæ urinæ, qui ſuperficiem matulæ contingit: circumferentia hæc ſummæ urinæ pro diverſitate urinarum, diverſitate vitri, & craſſitiei, ex qua conſtat matula, poſitu luminis, & oculi dum inſpicitur, diverſimode colorata,

lorata, & elegantissimis coloribus instar iridis apparet, unde sibi nomen coronæ meruit, & mirum est, quot ea super ridicule, & inepte fabulentur, & prædici posse asserant viri cæteroquin etiam doctissimi, cum re ipsa coronæ illæ nihil sint, nisi quiddam prorsus inane a varia luminis fractione per vitrum, & summum illud urinæ velum proveniens, nihil significans, & nihil solidi in se continens. *Bellin. p.* 23.

Præterea lotium sani hominis in eo ipso, & in aliis illi comparatis, varium est. Namque 1. urina infantum esse solet aquosa pellucida, cruda; puerorum crassa & coloris spicei, ob nutrimenti copiam, & voracitatem; juvenum urinæ tenuiores, magis coloratæ & paucioribus contentis præditæ; senum lotium apparet album, tenue, & nonnunquam sine contentis. 2. Mulierum urinæ crassiores sunt & cum copiosiori sedimento; sed virorum urina contrario modo se habet. 3. Sanguineorum urina ordinarie dilute citrina, larga copia redditur, & sedimentum albicans, paucum & mobile demittit; cholericorum flava, aurea & sæpe rutilans est, cum pauca hypostasi, interdum nulla, aut tantum nubecula, quantitate autem sanguineorum urinam non æquat; melancholicorum ex aurantio & spiceo colore mixta, crassior parciorque effluit ac parum sedimenti habet; phlegmaticorum colorem ex albo & spiceo confusum refert, sufficientique copia excernitur, sedimentum autem submucidum demittit. 4. In regionibus calidioribus urinæ adparent tenuiores, magis coloratæ, cum pauciore sedimento, quam in frigidis. 5. Tenui victu utentium urina nullam habet hypostasin; contra eorum, qui liberalius vivunt. 6. A

motu

motu corporis crassa & turbida magis urina est, quam quæ sub quiete emittitur. 7. Somnus efficit, ut urina largius emittatur, crassiorque adpareat; in vigiliis urina tenuis, diaphana, sæpe rutilans & pauca. 8. Ab affectibus animi variat: nam ira urinas intense coloratas & rubicundas efficit; in metu contra & tristitia urinæ fiunt tenues, crudæ, decolores, cum paucis sedimentis. 9. Ab excretis aliis: ubi multum sudatur, aut diarrhœa continuat, ibi parum mingitur; & vice versa. 10. Ratione temporum anni: sub initium veris urinæ reddi solent largæ, albæ, subspiceæ & plurium contentorum, in progressu ad colorem subrufum aut subcroceum & pauciora contenta fit transitus: urinæ æstivæ substantiæ sunt tenuioris, coloris subaurei, & hypostasin habent albam, lævem, æqualem; in æstus autem vigore fiunt tenues, aureæ, croceæ, paucæ, cum hypostasi parciore & in album declinante: autumnus incipiens ad mediocritatem urinas quovis respectu redigit; verum adultus factus magis notabiles inducit consistentiæ & coloris mutationes: hiberno tempore ferme omnium in urina mutationum specimina videre licet, ob tempestatis, regiminis, vitæ generis, temperamentorum ac vitiorum in diæta varietatem atque frequentiam. *Juncker Pathol. p.* 448. 463.

Ex dictis consequitur in urina examinanda ad usum medicum pro diagnosi vel prognosi considerari debere copiam, consistentiam seu fluiditatem, colorem, odorem, saporem, & contenta illi inhærentia. *Contentorum*, ὑφισαμένων, communiter triplex statuitur differentia. *Hypostasis*, *sedimentum*, *subsidentia*, ὑπόστασις, appellatur contentum illud, quod in urinæ fundo residet. Quod in medio natat, *suspensum*, *appendiculum*, ἐναιώρημα,

ἐναιώρημα, dicitur: quod tandem in superficie, five sublimiori ejus parte continetur, *Nubecula, nebula*, νεφέλη, vocatur.

In summo est Nubes, *subsidit* Hypostasis *imo*,
Ast Enæorema *permanet in medio.*

Etsi vero hæc distinctio nominum proprietati accommodatur, ab Hippocratis tamen doctrina plurimum recedit, qui de nubecula modo superiora, modo inferiora urinæ petente, mentionem facit, ut clare patet *lib. Prognost. n.* 12. ubi hæc leguntur: *Considerare vero convenit in urinis, in quibus nubeculæ sunt, an supernæ, an infernæ sint: & quales habeant colores; & quæ quidem deorsum feruntur cum coloribus relatis, eas bonas esse putare, ac laudare, quæ vero sursum feruntur*, &c. Idem attestatur *lib. Coac. sect.* 5. *n.* 9. dum inquit: *Nubeculæ in urinis, albæ quidem, & infernæ commodæ sunt*, &c. Enæoremata pariter, & sublimia, & non sublimia, sed fundum petentia adnotavit in ægris Epidemiorum, potissimum vero in Herophonte, & in virgine Larissæa, ut satis constet, differentiam contentorum urinæ ex loco desumtam non esse ad mentem Præceptoris; qui longe diversam inter ipsamet differentiam facere videtur. Quam difficultatem cum viderit Galenus dixit: „ Sed alicubi ipse (Hippocrates scilicet) sublimamentum genituræ simile dixit, ita ut e duobus alterum sit, aut ut generalioris rei nomen existat sublimamentum, sectionem habentis in nubeculam, & id, quod genituræ simile est, aut ut nunquam nubecula ab eo sublimamentum nominetur ". Hæc Galenus contra Hippocratis opinionem, qui credidit, hæc

hæc duo nomina, nubecula & enæorema, apud Hippocratem confundi, ea permotus conjectura, quia in quibus libris hoc contentum enæorema vocat, de nubecula nunquam mentionem facit, e contra vero ubi de nubecula fit mentio, enæorema ne quidem nominetur. Opinio quidem satis probabilis, nequaquam tamen vera. Nam præterquam quod falsum est, nullibi de utroque contento fieri mentionem, quando *Coac. sect.* 5. *n.* 50 *sq.* hæc leguntur: *At in febribus erroneis nigræ nubeculæ quartanam indicant, decolores autem* (scilicet urinæ) μέλαιναι ἐναιωρεύμενα, id est *nigris suspensa*, h. e. habentes suspensa, seu enæoremata nigra *cum vigiliis, & turbatione, phreniticæ*, certum est in nubeculis optimis duas tantummodo requiri conditiones a Præceptore *Prognost. l. c.* ut albæ sint, & infernæ. Si ergo nubecula, & enæorema unum & idem significarent, enæorema dispersum optimum esset, dum modo album in urinæ fundo resideret, quod Hippocrati & experientiæ omnino repugnat: contenti enim unio ad concoctionem necessaria est. Quare ego dicerem per nubeculam intelligere Hippocratem contentum æquale secundum totam ejus substantiam simul cohærens, & in externa superficie læve, instar nubis cœlo sereno vagantis, unde nubeculæ nomen sortitum est, quæ modo sursum, modo deorsum per urinam fertur, modo in medio ejus pendet. Enæorema vero dicitur illud, quod nubeculæ aliqua ex parte simile est: ab ea tamen, & figura, & substantiæ modo differens. Namque nubeculæ unica est tantummodo figura, & unus substantiæ modus; quæ duo in enæoremate varia sunt. Hinc est, quod apud Hip-

Hippocratem non legimus, nubeculæ tribui eas qualitates, quæ ad figuram, & subſtantiæ modum ſpectant, cujusmodi eſt, rotundum, glomeratum, planum, indiſcretum, divulſum, compactum, tenue, rarum, denſum, & ſimilia; quæ enæoremati ubique tribuuntur, quaſi ſi hæc de nubecula dicerentur, non nubecula, ſed enæorema vocari deberet, quando nubecularum diverſitas penes colorem, & locum, in quo remanet, tantummodo conſideratur: unde nubeculam dicimus hanc rubram, illam albam, aut nigram, modo ſublimem, modo ſubſiſtentem, modo in medio urinæ pendentem. Hæc eſt ergo, ni fallor, horum duorum contentorum apud Præceptorem differentia, ut ex ipſius doctrina colligere licet, quam etiam apertis verbis nobis indicavit *lib.* 4. *Epidem. n.* 6. dum inquit, enæorema nubeculæ aliquantulum nigræ craſſitudinem quandam habere; quaſi hæc ſit peculiaris nubeculæ eſſentia, quæ mediocrem craſſitudinem neceſſario habet. Hujusmodi vero nubeculæ raro in urinis obſervantur, ut mirum non ſit, ſi in recenſendis Epidemiorum hiſtoriis nubeculæ nulla mentio fiat: apparent tamen aliquando, & ægrotantes omnes, in quibus hæc obſervata ſunt, cito, & fideliter judicati ſunt. *Hypoſtaſin* denique vocare conſuevit Hippocrates contentum illud, quod in urinæ fundo perpetuo reſidet; verum tamen non omne, quod in fundo ſubſidet, hypoſtaſis dicenda eſt, quando & nubeculam, & enæorema petere fundum aliquando diximus: ſed quod aliorum reſpectu gravius eſt, ex quo fundum petat, non modo ſecundum partem, ſed etiam ſecundum totum depreſſam habens formam, quam omnes liqui-

dorum

dorum ſubſidentiæ habent, juxta quam a nubecula, & enæoremate fundum petentibus diſtinguuntur, quæ formam habent aliqua ex parte elevatam. Quare quod inquiunt poſteriores optimam hypoſtaſin debere eſſe formæ pyramidalis, nomine abutuntur; quia hæc non eſt veræ hypoſtaſis forma, ſed potius enæorematis, aut nubeculæ, & ſæpius in ſanorum urinis conſpicitur, quam ægrotantium; ſignumque eſt concoctionis alimentorum ingeſtorum potius, quam materiæ morbificæ, a quibus Medici ſæpe decepti ſalutem proximam ægrotantibus prædicunt, quorum nonnulli ex eodem morbo intereunt, alii diutius ægrotant. *Martian. p.* 323. Hypoſtaſis eſt quædam ſubſtantia excrementitia, cujus eſt puri analoga generatio, poſita inter illud atque humores naturæ dicatos nutriendi cauſa: quod ſcilicet quicquid de ſucco alibili virtutem naturæ effugit in ſanguinis confectione, id in urina reſidit. Eſt autem ejusmodi, neque a natura ſimiliter mutatum ut ſanguis: neque, ſimiliter ut pus, in ſui confectione particeps alicujus cauſæ contra naturam. Illa vero hypoſtaſis eſt fidæ ſalutis, quæ numeros omnes explet bonæ materiæ, loci, & ſitus. Ac primum quidem, alba materia bonitatem ſucci oſtendit qui vim effugit naturæ in ſanguinis confectione, qui eſt pepaſmi capax, & jam nunc particeps. Eadem quoque denunciat integritatem partium ſolidarum, ſimiliter colorata ut illæ quæ ſunt natura albæ; proptereaque fundunt naturaliter excrementa colore ſimilia ſubjectæ ſubſtantiæ; ut ſemen, pus, & hypoſtaſin albam. Sed opportunitas loci, quem occupat hypoſtaſis, i. e. urinæ fundum, ut cer-

certum est argumentum caloris nativi, quo τὰ ὁμογενῆ congregantur, & suo quæque loco apparent: ita pepasmi perfectionem ostendit, cum cruditatis vacuitate ac spiritus flatulenti: quo duce τὰ ὑφιστάμενα, quæ sunt graviora urinis, in iis volitant velut nubila. Tum lævitas hypostaseos, & ipsa æqualitas maximum signum exhibet situs inprimis expetendi, ex eo quod magna vis lucet nativi caloris in suo subjecto naturaliter constituto, quod suo dominatu sic tenet, imperioque regit, ut nihil illius intactum relinquat, & in quamcunque partem æqualiter se insinuet. *Duret. in Coac. p.* 492.

Sedimenta, suspensiones, & nubeculæ nihil aliud sunt, quam magis liberæ, & duræ urinæ partes, quæ cessante motu agitationis, qua perpetuo jactantur in sanguine, ad suum locum insito motu feruntur, & siquidem gravissimæ sint, fundum vasis petunt, & sedimenta nuncupantur; si minus graves, medium; si adhuc leviores, summum urinæ ascendunt. *Bellin. de urin. &c. p.* 12. Quoniam urina naturalis potest quidem etiam nubeculam, suspensionemque continere, sed illud præcipue, saltem utplurimum continet, quod sedimentum dicitur album, læve & æquale, & ultra hæc nihil aliud continere debet; illa igitur omnis urina dicetur ratione contentorum non naturalis, quæ primo nubeculam, & suspensiones nunquam continet, secundo sedimentum, vel nunquam, vel non album, non læve, non æquale, sed cujuslibet alius coloris, superficie interrupta, suisque partibus inæqualiter crassis, vel plane subsidens in fundo vasis: tertio, quæ alia quælibet contineat. Urina sine nubeculis, & suspensionibus, aut care-

bit iis partibus, quæ cessantibus motibus cum sanguine conceptis simul coëunt, ubi ipsorum major, aut minor gravitas permittit, vel eædem ita cohærebunt reliquis urinæ partibus, ut sejungi per suos motus, nisusque non possint. Similiter se habebit necessitas urinarum, quæ sedimentis carent. Quodsi sedimenta demittant diversorum colorum a naturali, illi non aliunde proveniunt, quam ab iisdem caussis, quibus urina tota coloratur, imo vero non raro contingit, ut sedimento deposito urina evadat decolor, & quasi aquea pellucida, eodem interim perseverante colore in sedimento, quo urina universa colorabatur. Inæqualitas superficiei, & asperitas proveniat oportet a diversa gravitate, seu densitate partium totum sedimentum constituentium; æque densæ etenim, sive æque graves ad eandem altitudinem quiescant intra liquida oportet, ut ex eorum doctrina certum est: subsidens autem ex toto, & sese extendens per superficiem imi vasis nihil assurgendo, necessario pendet a maxima gravitate & densitate, qua præceps per liquidum ad fundum truditur. Quoniam vero terra, sal, & aqua urinam constituunt, si igitur præter naturam ita se habeat, ut quiescentibus motibus a sanguine conceptis sola terra secerni possit, fiet sedimentum arenosum; si terra, & sal, ita ut possit subire colorem nigrum &c. colores omnes suscipiet: si vero insuper admisti sint præter naturam humores viscidi, qui sal, ac terram comprehendere possint, & in quiddam simile squamulis, parvis foliis, ramentis furfuris, & hujusmodi compingere, sedimenta erunt foliacea, furfuracea, squamosa & his similia, quæ contingere etiam

po-

poterunt, si scabiei aliquid, vel quidlibet pustulosum cum lævi crusta in renibus, ureteribus, aut vesica contineatur; abradet enim urina, & secum auferet ramenta crustarum, quæ cessante impetu imum vasis petunt. Ab eadem origine humorum, nempe viscidorum, pendent sedimenta membranosa; neque enim membranæ sedimentorum sunt aliud, quam majores squamulæ. Sicut etiam a non absimili causa produci possunt longa, & rotunda, exiliaque pilorum instar corpora, imo cujuslibet alius figuræ composita, quæ per urinam excernantur, unde qui dicuntur pili redditi per urinam ab auctoribus, non veri pili, sed pilis quædam similia fuerunt. Denique in urina præter naturam contineri possunt, quæcunque fluunt cum sanguine, & in renibus cum urina secerni, vel eidem separata admisceri possunt, aliunde venientia per exsudationem ex vasis, aut rupturam, aut extensionem eorundem, unde sanguis, pituita, bilis utraque, semen, pus, humores quilibet non naturales cujuscunque coloris, vermes, calculi, frusta cujuscunque materiæ in corpore præter naturam genitæ, deglutitæ, vel impactæ reddi poterunt, per urinam a renibus derivata, eademque omnia reddi poterunt, per urinam a renibus derivata, eademque omnia reddi poterunt, si urinæ admisceantur in ureteribus, vesica, aut urethra, ut patet. *ibid. p.* 21. Obvium jam est intelligere, quid arguat ipsum urinæ corpus ratione partium, & separationum, ex quibus urinam componentia deducuntur; quemadmodum enim materia contentorum arguit humores peccantes solutos esse, vel crudos fluere, vel hærere in partibus corporis, ita prout ma-

jor erit, aut minor quantitas liquidi urinam componentis, vel partium durarum, si utraque cum quantitate naturali urinæ, & inter se conferantur, indicium, vel solum liquidum, vel solum durum, vel utrumque hærere uni, aut pluribus, aut omnibus partibus corporis; si alterutrius, aut utriusque quantitas sit naturali minor; vel solvi naturalem partium omnium, aut alicujus humorem, vel durum, vel utrumque, si alterutrius, aut utriusque quantitas reddatur naturali major. Facile autem ex diversitate colorum intelligemus, quando major liquidi, quam duri quantitas, vel major duri, quam liquidi in urina contineatur; cum eo minor sit liquidi quantitas, quo color est magis satur, supposita etiam naturali quantitate duri, major, cum est magis dilutus color in naturali quantitate duri: vel e converso duri quantitas naturali major in naturali quantitate liquidi tunc erit, cum color erit magis satur, minor cum dilutior in quantitate liquidi pariter naturali. *ibid. p.* 28. Nimirum coctionis notæ, quæ urinam faciunt meliorem, aut deteriorem, a triplici urinæ parte desumuntur, ab ejus substantia, colore, & contento. Per substantiam intelligo crassitiem, & tenuitatem, quæ tantum ad coctionem, & cruditatem judicandam faciunt, ut sola tenuitas cruditatem attestari possit: cum nullibi crudam urinam dixerit Hippocrates quæ tenuis non fuerit. Cum igitur urina coctionis signum præ se ferre incipit, primum color mutatur: coctione vero ulterius progrediente mutatur substantia, & tandem contentum, quare urina, quo pluribus horum participat, eo melior censenda est. Et ideo forte melior erit urina, quæ sit boni

boni coloris, cum contento mediocris bonitatis, quam ea, cui bonus color deficiat, etiamsi contentum habeat optimum, vel saltem bonitate non erit ei inferior. Unde urina boni coloris, nempe subrussa cum nubecula subrubra, æqualis bonitatis erit cum subrubra, sedimentum subrubrum habente. Nam quod bonitatis detrahit nubecula respectu sedimenti, id coloris bonitate reparatur. *Martiam. p.* 604.

Si nulla sit coctio, nullum est in urina sedimentum: &, si perfectissima sit coctio, ut in sanis exquisita victus ratione utentibus, etiam nulla fere est hypostasis; quia totum alimentum perfecte assimilatur, nec aliquid ejus in pus vel fæcem degenerat. Unde, licet fæx illa concoctionis perfectionem in morbis indicet: vere tamen, si rem totam consideres, non est integra coctio materiæ, ex qua fit hypostasis; sicut materia transiens in pus, non ita perfecte concoquitur, sicut quæ assimilatur. Hac ratione in pueris & voracibus sedimentum apparet copiosius, quam in iis qui exquisito victu utentes, quicquid est familiare, perfecte assimilant. sicut & urina plus habet sedimenti tempore concoctionis sanguinis, quam postea. Cæterum, quo quo modo se habeat, copiosa subsidentia a valida fit virtute. nam multum evincitur alimenti, a quo multa secernitur hypostasis: etiamsi ea ipsa non fuit perfecte assimilata, sed fuit velut cruda veri alimenti pars. *Mich. Villan. de syrup. fol.* 41. Urina in homine temperamenti undequaque moderati optima, quæ subrufi subflavive coloris sit, subsidensque album, læve & æquale appareat, ad hancque veluti amussim quandam positam directæ probantur urinæ, quascunque

 in

in humanæ ſpeciei latitudine ſpectamus. Humorum cruditatem indicant urinæ ſubſtantiæ tenues: quandoque vero etiam propter obſtructiones tales apparent, quod quaſi percolentur. Ita craſſiores, uti naturam humorum jam concoctionem aggreſſam fuiſſe, ſic nondum eos confeciſſe oſtendunt, hoſque ideo etiamnum turgere. Præſtat ut, poſtquam redditæ fuerint, perturbentur ſtatim, potius quam aliquamdiu fluidæ perſtent. Colores in his qui ad albedinem tendunt, innati caloris defectum demonſtrant: ideoque humorum imperfectam concoctionem, ac quo magis urinæ a colorum ſymmetria evariarint, eo ſane magis a ſanitate diſtant, quæ temperamentum ſequitur proportione reſpondens. Quæcunque colore magis infectæ viſuntur, pro ſuperiorum proportione ad calidius vergunt. *Actuar. de ſpir. p.* 104. Urina tenuis aut redditur & manet tenuis; aut mingitur tenuis & perturbatur ac craſſa fit. Et quidem prior eſt ſumme cruda; perturbata vero ac craſſior facta coctionem inceptam declarat. Eodem modo & craſſa aut funditur ſpiſſa & manet ita; vel fluit craſſa, ſubſidens vero tenuis evadit: & quidem illa perturbationem humorum validam in corpore factam oſtendit; hæc vero tum ſedari perturbationem, tum ſanguificationis concoctionem excitari declarat. *Theoph. de urin. cap.* 4. Lotium optimum eſt, quando ſedimentum album fuerit, & læve, & æquale omni tempore, conſiſtentia mediocre, colore aureum, aut ſubaureum, flavedinis etiam alicujus particeps. *ibid. c.* 10. Si ſedimentum album quidem fuerit, locum autem mutet, ut ſit in medio, ἐναιώρημα vocatur ab ἀιωρεῖσθαι, quod eſt

pen-

pendere. Hoc si læve sit & æquale, mediocriter coctum est. non enim valuit natura digerere, ut locum infimum occuparet. Si autem idem supra mediam regionem apparet, superficiem superiorem occupans, dicitur *nubes*, quæ significat naturam adhuc minus digerere. *ibid. c.* 12. Ita ut Enæorema sit imperfectior hypostasis: nam materiâ a natura perfecte coctâ oritur hypostasis, imperfecte vero enæorema & nubes. Enæorema magis coctum quam nubes existit. Ergo ubi sanguis crudus plane est, tenuis aquosaque urina excernitur, nihil nec quod subsideat, nec quod pendeat, in se habens. At vero concoctus ubi ille est, hæc in urina apparent, atque etiam nubeculæ quædam desuper tenues superstant, veluti quæ in summo lacte colligitur, & quæ in summo refrigerati jusculi concrevit. Quod si turbida sit, qualis veterinorum visitur, crudis vocatis humoribus refertas quidem venas indicabit, non tamen cessare naturam, sed eos valenter concoquere. Si vero celeris separatio crassi a liquido cernitur, sitque, quod subsidit, album, læve & æquale omni tempore, i. e. per dies complusculos idem permanens, jamjam separaturam eos omnes naturam indicabit. Sin quum emingitur, pura sit, protinus vero turbetur, jam crudi succi concoctionem aggredi naturam docet. At si interposito tempore turbetur, uon protinus, sed post aggressuram insinuat. Verum omnium quæ turbantur urinarum generalis nota esto ipsius crassi a liquidiore separatio, aut propere aut tarde facta, aut omnino nulla. Ergo si protinus fiat &, quod subsidit, sit album, læve & æquale, superiorem longe naturam succis, quos concoquit, ostendit. Sin bonum sit quod sub-

fidit, fed quod poft longius interpofitum tempus colligatur, etiam naturam temporis fpatio fuperaturam fuccos nunciat. Si vero vel omnino nulla feparatio, vel illud, quod fubfidit, malum fit, imbecillitas naturæ fignificatur, egetque ope aliqua ad fuccos percoquendos. *Galen. de fanit. tuend. l.* 4. *c.* 4. Urina optima eft, in qua per omne tempus, quoad morbus judicatus fuerit, fubfidet album, læve, & æquale. Securitatem enim brevemque morbum fore fignificat. Quod fi intermittat, & interdum quidem pura mejatur, interdum etiam fubfidet album & læve, diuturnior & minus fecurus morbus evadit. At urina fubrubra, fimileque quod fubfidet, & læve, hæc longe quidem diuturnior quam prima fit, valde tamen falutaris. *Hippocr. Prognoft. n.* 11.

Ex adductis auctorum edictis (iisque cumulatis, ut pateat concinens omnis ævi experientia & obfervatio cum pofterioris ætatis experimentis & inde defumtis phyfico-mechanicis naturæ interpretationibus) conftare poteft, quam obfervatu neceffaria fit Medico clinico doctrina aphorifmi præfentis, & ad quam normam judicium ferre debeat de urinis morbofis; ac infuper, quod dicta, quæ cognofcuntur, aut prædicuntur ex urina, certis nitantur fundamentis, nec fere fallant, fi alia figna fimul advocentur, corporis præfentem ftatum edocentia: tametfi fint multa alia, quæ uromantæ ex infpecta fola conjiciunt urina ac edicunt, admodum incerta, & ridicula fere; hypocritæ nempe homines, qui de lotio certam fcientiam profitentur graviditatis quæ in confpectu non eft, tum etiam fexus & partus futuri; quæ oftentatio foboles ignorantiæ, fundamentum aliud nullum habet quam aucupandi

di lucri & inanis gloriæ cupiditatem. Vid. *Duret. in Coac. p.* 491. Enimvero multi sunt morbi, quorum in urinis nec vola quidem observari potest, nec vestigium. Quare morbi, quorum causa aut indicia in vasis sanguiferis, aut meatibus urinariis, minime continentur, ex urinæ inspectione cognosci non possunt. Morbi tales sunt: tumores, luxationes, fracturæ, ulcera, & alii externi, uti malæ conformationis; phthisis; lues venerea; epilepsia; arthritis, omnesque fere morbi chronici. In acutis quidem, num affectus febri sit conjunctus, nec ne, urina interdum potest ostendere; quinam vero sit affectus, sive pleuritis, peripneumonia, angina &c. aut qualis ista febris sit, an continua, an intermittentes &c. ex nuda οὐροψία sciri non potest. Phrenitidem adesse vulgo colligitur, quando urina est magis limpida, & solito albidior, bile nimirum (ut dicunt) ad cerebrum rapta, unde oritur phrenitis. Sed cur de phrenitide potius, quam de ἀπεψία, diabete, renum calculo, aut obstructione aliqua in visceribus conjicitur, quum similis urina in omnibus hisce affectibus, & quibusdam aliis, reddi soleat? Imo alicujus morbi indicium esse necessario non sequitur, quum istiusmodi urinas post pleniorem potationem statim mictas passim cernamus. Neque ex urinis aut hoc, aut aliud ullum veneni genus deprehendi potest. Quidam morbis periculosissimis detenti, in ipsius mortis confinio constituti, urinas nihilominus reddunt laudabiles, & nihil, aut parum a sanorum discrepantes. Sic in febribus malignis, pestilentibus, & ipsa peste, urinæ plurimorum, quorum etiam fores pulsat mors, parum ab iis,

 quæ

in ſtatu ſano minguntur, alteratæ obſervantur. Urinæ peſſimæ, quas deploratas pronunciant, interdum quidem non ſolum ne tantillum periculi in ſe continent, ſed haud raro ad ſalutem, potius quam ad mortem, faciunt. Ita excretiones criticæ, nigræ licet, ſalutares ſunt, & febribus quartanis, lienis affectibus, menſtruorum aut hæmorrhoïdum ſuppreſſionibus laborantibus familiares eſſe ſolent. Imo quosdam legimus nullo morbo afflictos tales reddidiſſe. Præcipuus οὐροκρίσεως uſus erit in obſervandis morbi cujusvis ſtatu & progreſſu, nec non alterationibus verſus ſalutem aut mortem. Etenim in affectionibus chronicis, ex urina quotidie inſpecta, Medico innoteſcat, quibus gradibus ægritudo in dies accreſcat; quo tempore remedia purgantia, aut alterantia, erunt magis opportuna, qualia medicamenta ſint maxime proficua: hinc obſervare eſt, an natura morbo prævaleat, nec ne; certiſſimum hinc prognoſticum elicitur de ſpe aut periculo convaleſcentiæ, prout nimirum coctionis aut cruditatis ſigna in urinis apparent. In morbis acutis hinc ſtatus & ἀκμὴ febris optime prænoſcitur, quo tempore, & quo ſucceſſu, ſperatur; quando evacuationibus, & quando cardiacis tempeſtive inſiſtendum eſt. *Guidot. in Proleg. ad Theoph. de urin.* Conf. *Hildan. Cent.* 3. *obſ.* 73. ubi quatuor exemplis demonſtratur, quam incertum & fallax ſit judicium ab urinis deſumtum. Urina autem examinanda excipi debet a ſomno prima & expleta concoctione cibi, eaque univerſa. Matula alba ſit & pellucida, oblonga, ne divulſam hypoſtaſin exhibeat, & magna, quæ totius urinæ ſit capax. Obturetur procul a ſole, a frigore, & a flatu,

tu, ne vel turbetur, vel craſſeſcat: reſideat quieta dum ſenſim refrixerit, nec tamen ſupra ſex horas aſſervetur, ne quam corruptionem ſubeat. *Fernel. Medic. p.* 312.

Aphor. 67.

Καὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα, ἢν ἐάσῃς στῆναι, καὶ μὴ κινήσῃς, ὑφίσταται οἷον ξύσματα· καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται· ἢν δὲ πολλὰ, πολλή. τουτέοισι ξυμφέρει ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ μὴ καθαρὴν ποιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὁκόσῳ ἂν πλείω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

Et quibus alvi egeſtiones, ſi reſidere permiſeris, neque moveris, veluti ſtrigmenta ſubſident: & ſi pauca ſunt, parvus fit morbus; ſin vero multa, magnus. His alvum ſubpurgari conducit. Quod ſi vero, non purgata alvo, ſorbitiones exhibueris, quo plures dederis, eo magis nocebis.

Hippocratem non urinarum modo contenta inſpicere conſueviſſe, ſed etiam excrementorum alvi, conſtat, non ex hac ſententia tantum, quæ etiam *lib. de judicat. n.* 8. regiſtrata eſt; verum ex multis aliis, & maxime ex *lib.* 2. *Epidem ſect.* 3. *n.* 7. ubi inquit, *&*

alvi


alvi turbatæ ex tenuibus, aquosis, non biliosis, spumosis, multis; quæ aliquando deposita subsidebant; & *lib.* 4. *n.* 25. legimus, *Quum secessus aquosi sub dio expositi essent, superne læves, tenues, isatidi similes valde fuerunt, inferne vero subsidentiam habebant.* Quæ vero specialiter hic referuntur excrementa, duo nobis indicant: tenuitate quidem magnam cruditatem, subsidentia vero humorum exustionem, propter quam excrementa acrimoniam cum crassitudine contrahunt; unde intestinis adhærentia, eorum mucositatem abradunt, quæ unà cum humore exusto fundum petens, sedimentum strigmatibus simile facit: sunt autem strigmata, sordes ex præunctis corporibus strigili detersæ, quæ quoniam duplici substantia constant, sordibus nempe, & unguentis, ideo prædictum sedimentum ex humore exusto, & mucore conflatum, eis assimilatur. Quare hujusmodi excrementa indicabunt, intestina acribus humoribus esse referta, quæ statim subluere oportet, ne ulcerationem inducant, unde morbus deterior fiat: quod eo magis timendum erit, si interim alimentum liquidum, sorbitiones inquam, æger assumat, hæ etenim duplici ratione obesse possunt, & quia facilius corrumpuntur, quam solidum alimentum, & quia alvi fluorem non mediocriter augent, cujus timore, alvi fluoris inquam, *lib.* 2. *de morb. n.* 46. in tabe ex pulmonis affectu, juscula, & intinctus prohibet, cibosque exhibet solidiores, etiam si febris adsit, quos alioqui febrientibus nunquam concedit. Admonet ergo Hippocrates, ut quamprimum alvum infernam subducamus, non quidem pharmaco fortiori, sed vel levissimo, vel

potius

potius clysmate: quod expresse significavit *l. c. de judicat.* ubi quod hoc in loco ait, *confert subpurgare alvum*, ibi legitur, *his infusum per clysterem adhibere conducit*; ex quo docemur, quid per *subpurgare alvum* in Hippocratis doctrina intelligendum sit. *Martian. p.* 478.

Observatione practica constat, ramenta seu strigmenta interdum inveniri in alvi excrementis, quæ in alvi egestionibus liquidis & ita quiescentibus fundum petunt ac concrescunt, aut in excrementis durioribus externe reliqua excrementa obducunt. Quia vero Auctor monet stare debere in quiete excrementa, facile concipitur, eum intelligere excrementa liquida, qualia in cholera, diarrhœa & dysenteria emittuntur, quando intestinorum mucus utcunque liquidus cum excrementis exiens, dein refrigeratus concrescit; & quoniam muci specifica gravitus est major, dum excrementa sunt liquida, ad fundum vasis descendit, & ibi stagnando refrigeratus concrescit in ramenta seu strigmenta, quæ effusis excrementis in fundo vasis conspiciuntur. Ex hoc nunc invento signo majorem & minorem morbi magnitudinem deducit. Naturale enim est in alvi egestionibus, ut ille mucus non exeat; ergo quo major hujus est muci evacuatio, eo major est morbus, quod verum est in omni evacuatione humorum præternaturalium: atque tanta abrasio & emissio muci facit, ut intestinum rectum omni muco privatum, tangatur ab excrementis, quæ tunc magnum dolorem concitant, & dejectiones augent. Experti sumus, quoties in muco intestinorum hæret acrimonia, instigans intestina ad frequentem dejectionem,

ctionem, nos non posse curare irritamentum, nisi ille mucus acris auferatur. Quamobrem ita in dysenteria laudantur purgantia, non solum ore data, verum etiam per clysterem injecta, quibus ille mucus acrior abluitur & expellitur: & ut nuda intestina minus vellicentur, atque in motum concitata ad quietem ducantur, post exhibitum purgans propinamus anodynum mucilaginosum molle; vel post ejectionem clysteris, injicimus novum liquorem mollem, mucilaginosum, anodynum. Quod si vero, non evacuato illo muco, sorbitiones dederis, augebitur morbus, quia illæ ingestæ, muco corrupto mistæ, augebunt corruptelam. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 68.

Ὁκόσα ἂν κάτω ὠμὰ διαχωρέῃ, ἀπὸ χολῆς μηλαίνης ἐστίν· ἢν πλείονα, πλείονος· ἢν ἐλάσσω, ἐλάσσονος.

Quæ cruda deorſum ſecedunt, ab atra bile ſunt: ſi plura, copiſiore; ſi pauciora, pauciore.

Hanc ſententiam ita legimus *lib. de Judicat. n.* 8. *Quibus vero in egeſtione deorſum bilis atra ſubſidet, ſi copioſior, major eſt morbus, ſi paucior, minor*; quæ quidem lectio ſicuti ſenſum, & verum, & rationabilem admittit, ita aphoriſmi vitium apertum facit, & eo magis, quia a ratione penitus alienum exiſtit id, quod ſignificatur aphoriſmo, dejectiones crudas ab atra bile dependere. Quare præſens aphoriſmus in numero eorum reponendus erit, qui, cum ab auctore male decerpti ſint, Hippocraticæ dignitati non leviter detrahunt. *Martian. p.* 479. Aliter ſentit *Gorterus*; juxta quem, facile eſt ex comparatione locorum colligere, qualem cruditatem Hippocrates intelligat, nempe materiam nigram melancholicam. Hæc materia reliquis excrementis gravior, ſi exacte non miſceatur, & excrementa ſint liquida, fundum vaſis petit. Quomodo au-

autem hæc nigra dici poſſunt cruda? Cruditatis nomen multas diverſas res deſignat; nam alimenta in ventriculo & inteſtinis bene præparata ſi vel per vomitum vel ſucceſſum deponuntur, cruda vocantur. Ita boni confluentes ad dicta loca humores, deſtinati ad alimentorum præparationem, ſi egeruntur, cruda faciunt excrementa. Denique humores corrupti & alieni egeſti etiam crudi dicuntur. Inter hos omnes humores graviſſimus eſt, qui vocatur atra bilis, quamobrem etiam fundum vaſis petit. Ex copia nunc materiæ crudæ vel atræ bilis, format magnitudinem morbi. Quia atra bilis eſt humor morboſus, de ejus copia majore & minore egeſta ratiocinari poſſumus, ut de muco inteſtinorum, ad præced. *aph.* 67: quo enim major copia egeritur, eo majorem quoque collectionem arguit. Quid autem ſit ſentiendum de egeſtione atræ bilis, videre eſt ad 4 *aph.* 21. 22. 23. 24.



APHOR.

APHOR. 69.

Αἱ ἀποχρέμψιες, αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν, αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ χολώδεες, καὶ δυσώδεες, πᾶσαι κακαί· ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί. καὶ κατὰ κοιλίην, καὶ κύστιν, καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένον, κακόν.

In febribus non intermittentibus exſcreationes lividæ, & cruentæ, & bilioſæ, & graveolentes, omnes malæ: cum vero probe ſecedunt, bonæ. Per alvum etiam, & veſicam, & ubicunque quod ſecedit ſubſtiterit non purgatum, malum.

Eſt hic aphoriſmus repetitio iſtius qui extat ſuperius 4 *aph.* 47.



APHOR. 70.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκου τὶς βούλεται καθαίρεσθαὶ, εὔροα ποιέειν. κἢν μὲν ἄνω βούλῃ εὔροα ποιέειν, στῆσαι τὴν κοιλίην· ἢν δὲ κάτω, ὑγρῆναι.

Corpora cum quis repurgare volet, fluxilia reddere oportet. Quod si supra fluxilia reddere voles, alvus sistenda: si vero infra, humectanda.

Prior aphorismi pars habetur 2 *aph*. 9. & ibi exposita est. Posteriorem *Celsus l*. 3. *c*. 18. *p*. 154. ita expressit: *Illud quoque perpetuum est in omnibus morbis, ubi ab inferiore parte purgandus aliquis est, ventrem ejus ante solvendum esse: ubi a superiore, comprimendum.* Verum quando dicitur, quod ad promovendum, sive excitandum vomitum, corpus præparari debeat per ea, quæ sistunt alvum, id quidem an conveniat doctrinæ Hippocratis, dubitari potest; nam nihil tale quid ab eo alibi prolatum esse novimus, imo juxta ipsum vomitus remedio est alvi dejectioni, uti patet in annot. ad 6 *aph*. 15. An compilatori aphorismorum, aut librario tribuemus, quod a mente Hippocratis alienum quid in textum nostrum irrepserit, cum post generalem propositionem, quod

quod *corpora, quæ quis purgare vult, fluxilia reddi debeant*, ſcribere debuiſſet, *ſi ſupra fluxilia reddere voles, corpus replendum*? Conſul. notata ad 4 *aph.* 13.

APHOR. 71.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γιγνόμενα, νοῦσος· (κακόν.)

Somnus, vigilia, utraque ſi modum exceſſerint, morbus. (malum.)

Repetita hæc eſt ſententia ex 2 *aph.* 3.

APHOR. 72.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus, ſi externa frigeant, interna vera urantur, & ſitis vexet, letale.

Iisdem verbis exaratus eſt hic aphoriſmus ſupra 4 *aph.* 48.

APHOR. 73.

Ἐ'ν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐὼν, ὅ, τι ἂν τουτέων, γένηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium pervertatur, si neque videat, neque audiat, & jam debilis sit, horum quicquid acciderit, letale.

Vide eandem sententiam in præcedentibus, 4 *aph.* 49.




APHOR. 74.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι ὕδρωψ ἐπιγίγνεται.

Albæ pituitæ hydrops ſupervenit.

A Leucophlegmatia oriri hydropem dixit ſæpius Hippocrates; vid. *lib. de affection. n.* 20 & 23. *de intern. affect. n.* 24. *lib.* 1. *de morb. n.* 3.

Leucophlegmatia cum ſit cachexia corporis univerſi, quæ venit ex cacochymia pituitoſi ſanguinis, unde tota cutis & caro tumeſcit atque turgeſcit, ſi per initia non fuerit curata, corruptione ſanguinis increſcente, tranſitus fit ex leviore morbo in graviorem. Conſule dicta ad 7 *aph.* 29.



APHOR. 75.

Ἐπὶ διαῤῥοίῃ δυσεντερίη.

Ab alvi profluvio inteſtinorum difficultas.

Explicata habetur hæc ſententia ſuperius 7 *aph.* 23.

APHOR. 76.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ λειεντερίη (ἐπιγίνεται.)

Inteſtinorum difficultati lævitas inteſtinorum (ſuccedit.)

Aphoriſmus hic legitur *lib.* 1. *de morb. n.* 3. & apud Celſum *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. & *l.* 4. *c.* 16. *p.* 226. Senſus ejus patet ex dictis ad 6 *aph.* 43.



APHOR.

APHOR. 77.

Ἐπὶ σφακελισμῷ ἀπόστασις ὀστέου.

A sideratione abscessus ossis.

Variis revera nodis spinosus videtur hic aphorismus ita sonans: *Ex* (seu potius in & cum) *spacelismo ossis abscessus.* Hunc quippe Viscerus & Heurnius explicant, quasi docentem, a gangræna os subjectum carie corrumpi. Verum mentem ejusdem haud ita tetigisse videntur. Nam *Vectiar. n.* 17. Hippocrates sphacelismum suum a gangræna, venarum seu vasorum sanguineorum morbo, satis aperte distinguit, eundem ossium potius esse detegens. Neque vero praxis chirurgica testatur, semper aut sæpius gangrænam, ad sphacelum, etiam nostrorum temporum, perniciose declinantem, os subjectum mox carie corrumpere; cum contrà magis secundum 7 *aph.* 2. *ex osse ægrotante* (i. e. carioso) *caro fiat livida.* Vox etiam ἀποστάσεως seu *abscessus* Hippocrati non tam cariem, quam separationem significat, & accipitur (1) de separatione integri cujusdam membri, quo modo *Prognost. n.* 8. *Coac. sect.* 3. *n.* 351. (2) 6 *aph.* 45. ita habet: *Ulcera quæcunque annua fiunt, aut diutiore tempore durant, necesse est os abscedere & cicatrices cavas fieri.* conf. his *Coac. sect.* 3. *p.* 376. *sect.* 2. *n.* 156. *lib.* 6.

Epidem. sect. 4. *n.* 18. quæ loca magis de carie simplici & ossis ex eadem separatione conveniunt, neque prorsus inepte aphorismus de sphacelismo per cariem, & melius, quam per gangrænam, potest explicari. (3) vero Hippocrati abscessus significat non simplicem separationem, sed talem quæ fit cum collectione morbosi, haud raro maligni, humoris. Vid. *l.* 5. *Epidem.* *n.* 21. Et secundum hanc abscessus acceptionem optime aphorismus præsens explicatur, ita ut in sphacelismo abscessum cum collectione humoris morbosi ossa ipsa patiantur; utpote ex quo capite spina ventosa seu Hippocratis sphacelismus præcipue distinguitur a carie communi, & ea quidem non solum superficiaria, sed etiam profunda, & licet totius cujusdam ossis. ut scilicet minime, secus ac hæc, carnis ulcus prius sequatur, sed etiam in osse humoris adsit collectio, unde cartilago accrescit, imo illud ipsum præter naturam & haud raro plurimum increscit; hinc etenim ille tumor ipsius, huic malo essentialis, quem Avicenna *additionem ejus* vocat, *corrumpentem ossis partem unam post alteram.* Quæ juxta sphacelismus seu spina ventosa non est, sed simplex caries, ossibus integris etiam pluribus corruptis. Ossa ipsa vero a propriis abscessibus, etiam inflammatoriis, haud esse immunia, patet ex *lib.* 2. *Epidem. sect.* 1. *n.* 45. & 52. Dicitur ergo Hippocrati sphacelismus morbus, quem ex *Celsi l.* 8. *c.* 10. *p.* 532. *Tulpius l.* 4. *c.* 13. appositissimo, totamque naturam ejusdem exhauriente, nomine cancri ossis exprimere voluit. Sequens autem Arabum barbaries hunc affectum spinæ ventositatis titulo

titulo propofuit, quas voces invertendo, recentiores magis fpinæ ventofæ nomine vocarunt. Significat autem ventofitas inflationem five tumorem, ficut illis œdema ventofitas alba dicitur. Severinus eidem huic malo nomen Prædarthrocaces impofuit; quod pueros tantum corrumpat. Verum alii morbum hunc pueris quidem & adolefcentibus, ob majorem offis mollitudinem, inprimis infeftum admittentes, attamen adultiores etiam invadere urgent. Vid. *Tulp. l. c.* Conftat ergo, Hippocrati fpinam ventofam fub nomine fphacelifmi jam olim fuiffe cognitam. Vid. *Obf. Hal. T.* 8. *p.* 266 *fqv.* Conf. *Heifter Chir. p.* 389 *fq.* Os fe ipfum non nutrit & manet vitale fine partibus ambientibus, fed ex iftis in fuo periofteo accipit vafa vitalia, quæ adducunt & reducunt fanguinem, ex quo periofteum & os fua vafa vitalia accipiunt. Quoties igitur in partibus ambientibus fphacelatis fit extincta circulatio, ipfum os circulatione hac privatum mori debet. *Gorter.*



APHOR. 78.

Ἐπὶ αἵματος ἐμέτῳ φθόη, καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω. ἐπὶ φθόῃ ῥεῦμα ἐκ τῆς κεφαλῆς. ἐπὶ τῷ ῥεύματι διάῤῥοια. ἐπὶ διαῤῥοίῃ σχέσις τῆς ἄνω καθάρσιος. ἐπὶ τῇ σχέσει θάνατος.

A ſanguinis vomitu tabes, & puris purgatio per ſuperiora. A tabe fluxus ex capite. A fluxu profluvium alvi. Ab alvi profluvio ſuppreſſio purgationis per ſuperiora. A ſuppreſſione mors.

Explicata legi hæc poſſunt ſub 7 *aph.* 15. 16. & 5 *aph.* 12. 14.



APHOR.

APHOR. 79.

Ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας σκεπτέον, καὶ ἤν πη ἄλλη τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα. ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίγνεται· ἢν δὲ πολὺ, πολλή· ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia etiam quæ per veſicam, & alvum, & carnes excernuntur, & ſicubi alias corpus a natura receſſerit, inſpicere oportet. Si parum, parvus eſt morbus: ſi multum, magnus: ſi admodum multum, letale iſtud eſt.

Sapientiſſimum, quod in ſtructura microcosmicæ machinæ apparet, artificium maxime in eo poſitum eſt, ut innumera organa velut officinæ ſint, quarum beneficio per continuum tritum, motum, elaterium, ingeſta ſubiguntur, attenuantur & inter ſe invicem probe miſcentur; poſtea innumera quoque organa colatoria & emunctoria extant, per quæ materia ſupervacua, inutilis & mixturæ animali ac vitæ aliena, corpore ejicitur. Quamdiu igitur vacuationes, ſeu excretiones iſtæ fiunt ſecundum naturam, ſanitatem atteſtantur: contra

tra vero ubi vitio laborant, seu in quantitate, seu in qualitate, morbo affici corpus arguunt, eoque minore, majore, prout plus, minusve a naturali tramite recesserint. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 402 *sq.* Et hoc est, quod præsens innuit generatim aphorismus. Passim vero in præcedentibus particulatim vidimus de excretionibus per alvum, per vesicam, per cutis poros, per uterum, &c.



HIPPOCRATIS
APHORISMORUM
SECTIO OCTAVA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO OCTAVA.

APHOR I.

Ὁκόσοι ὑπὲρ τὰ τεσσαράκοντα ἔτεα φρενιτικοὶ γίγνονται, οὐ πάνυ τοι ὑγιάζονται· ἧσσον γὰρ κινδυνεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος καὶ τῆς ἡλικίης ἡ νοῦσος ᾖ.

Qui feniores annis quadraginta phrenitici fiunt, non admodum convalefcunt: minus enim periclitantur ii, quorum naturæ & ætati morbus fuerit familiaris.

Ab anno decimo quarto ad quadragefimum fecundum ufque, natura omnis generis morborum corporis ferax eft. *Hippocr. Coac. fect.* 3. *n.* 397. Viris febres ardentes, & quicunque acuti morbi (*ex quibus certe eft phrenitis*) cenfentur, raro contingunt. *de aër. loc. & aq. n.* 4. Verum 3 *aph.* 30. phrenitides familiares dicuntur ætati, quæ juvenilem confequitur, ad

ad quem locum annotavimus, quod intelligendus sit de ætate consistente seu virili, inter juventutem & senectutem media. Ergo non videbitur ad incongruos pertinere morbos phrenitis etiam post quadragesimum secundum contingens, h. e. virili ætati, quæ extenditur minimum ad quadragesimum nonum. Neque vero ex annorum numero ætas definienda venit, sed ex constitutione seu conditione solidarum corporis nostri partium, ita, ut tunc demum dicatur incongruus morbus phrenitis, cum jam languescere incipiunt fibræ vasorum motrices, & fluida minus vegete impelli in vasa minima, quæ duæ conditiones ad generationem acutorum morborum requiruntur, & quandoque jam mox post quadragesimum secundum annum adsunt. Quare tunc demum verus erit aphorismus. Uti autem morbi naturæ & ætati congruentes minus sunt periculosi, quoniam minorem recessum a sanitatis statu ostendunt: ita contra difficilius sanabiles existunt, qui non secundum naturam contingunt, quia arguunt potentiorem causam, quæ nempe dissimilem omnino & ætati & naturæ seu temperiei potuerit inferre morbum. Consule notata ad 2 *aph.* 34.



APHOR.

APHOR. 2.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσιν οἱ ὀφθαλμοὶ κατὰ προαίρεσιν δακρύουσιν, ἀγαθόν· ὁκόσοισι δὲ ἄνευ προαιρέσιος, κακόν.

Quibuſcunqur oculi in morbis lacrymantur voluntarie, bonum: quibus vero ſine voluntate, malum.

Expoſita eſt hæc ſententia ſupra 4 *aph.* 52.

APHOR. 3.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἐοῦσιν αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, πονηρόν.

Quibus in febribus quartanis ſanguis e naribus fluxerit, malum.

Hæc ſententia Hippocraticæ doctrinæ convenire non videtur, verum decerpta eſſe ex iis locis ubi de hæmorrhagia agitur contingente in morbis die quarto, quæ difficilem judicationem oſtendit. Vid. *lib. de Judicat. n.* 10. *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 2. *n.* 40. *Coac. ſect.* 2. *n.* 38. *ſect.* 3. *n.* 433. de qua re conſuli poſſunt dicta

dicta ad 4 *aph.* 74. Neque etiam experientia confirmat, quod singulariter malum sit sanguis e naribus fluens in febre quartana, cui frequenter supervenit. Vid. *Hoffm. Med. rat.* T. 4. *P.* 2. *p.* 13. & conf. *Nard. Noct. gen. p.* 442.

Nunquam memini me observasse, febrem quartanam vel hæmorrhagiis vel venæ sectione fuisse sublatam, sed qui multum sanguinis effuderunt, facti fuere leucophlegmatici vel hydropici: habuerunt quidem illi paroxysmos mitiores, verum simul diutius durantes, & magis periculosos, ut febris illa vehemens videretur commutata in mitiorem, sed malignam. Si secundum nostram sententiam febris quartanæ materia ponatur in succo illo arteriarum, quæ latera arteriarum intus obtegit, quæque materia, uti semina malæ herbæ, ad maturitatem veniens febris paroxysmum concitat; facile concipi potest, neque hæmorrhagiam, neque venæ sectionem tollere posse hanc febrem, sed corpus disponere ad suscipiendos morbos ex debilitate virium & defectu sanguinis nascendos. Si enim sanguis fluit vel sponte vel arte, ille secum non educit succum arteriarum, qui febris materiem continet, sed sanguinem purum & bonum, per arterias & venas fluentem. Qui morbi impetu majore sua mala producunt, ut morbi inflammatorii, hi evacuatione sanguinis egregie compescuntur, sed febris quartana vel simplex vel duplicata, non infert mala majore circulatione, verum summo inducto potius frigore, & non minuitur cum diminuta quantitate sanguinis, uti morbi inflammatorii. Igitur nunquam ex sanguinis fluxu in Quartanis curatio est speranda.

Atque

Atque post talem spontaneam vel artificialem sanguinis evacuationem destruitur æquilibrium, humores liquescunt, solida laxantur, atque ita sæpe fiunt leucophlegmatici vel hydropici, quod sæpe in praxi observavimus, sub quibus dein morbis febris quartana latitat. Monemur ergo, non sine gravi ratione in febre quartana venam esse secandam. *Gorter.*

APHOR. 4.

Ἱδρῶτες ἐν τῇσι κρισίμοισιν ἡμέρῃσι γιγνόμενοι σφοδροὶ καὶ ταχέες, ἐπικίνδυνοι· καὶ οἱ ὠθεύμενοι ἐκ τοῦ μετώπου, ὥσπερ σταλαγμοὶ καὶ κρουνοὶ, καὶ ψυχροὶ σφόδρα καὶ πολλοί. ἀνάγκη γὰρ τὸν τοιοῦτον ἱδρῶτα πορεύεσθαι μετὰ βίης, καὶ πόνου ὑπερβολῆς, καὶ ἐκθλίψιος πολυχρονίου.

Sudores in diebus judicatoriis orientes vehementes & veloces, periculosi sunt: & qui expelluntur ex fronte, velut guttæ & aquæ scaturientes, & frigidi valde ac multi. Necesse est enim ejusmodi sudorem prodire cum violentia, & laboris excessu, ac expressione diuturna.

Sudores hic memorati 1. vehementes & veloces; 2. velut guttæ & aquæ salientes ex fronte expulsi; 3. frigidi valde ac multi; coactæ sunt naturæ effectus, exsolutionis partium

argumenta, ſpaſticæque ſolidorum adſtrictionis violentæ expreſſiones; ſeu, ut exprimit aphoriſmus, notant *violentiam*, & *laboris exceſſum*, & *expreſſionem diuturnam*. Ideo periculoſi. Sunt enim ex illorum genere, qui fiunt propter corporis exſolutionem, & inflammationis vigorem, ut loquitur Hippocrates *Prognoſt. n.* 5. quales damnantur, utpote præ ſuffocatione, & impetu ac violentia, ſuperantibus morbis facti, *de vict. acut. n.* 53. Omne quippe nimium naturæ eſt inimicum, juxta 2 *aph.* 51. Sudores paulatim fientes proſunt, acervati vero lædunt, *Coac. ſect.* 3. *n.* 90. Boni, qui guttatim & cum exhalatione fiunt: boni ſunt, qui toto corpore oriuntur; peſſimi autem frigidi, quique circa caput tantummodo, faciem & cervicem exoriuntur. *Prognoſt. n.* 5. Vid. etiam *lib. de Judicat. n.* 6. *Coac. ſect.* 4. *n.* 38. & conſul. notata ad 4 *aph.* 36. 37. & 42.



APHOR.

APHOR. 5.

Ἐπὶ χρονίῳ νουσήματι κοιλίης καταφορὴ, κακόν.

Ex morbo diuturno alvi fluor, malum.

Hic non eſt ſermo de alvi fluxu in morbo diuturno, ubi certe ſalutaris eſſe poteſt, ut in leucophlegmatia, quam ſolvit diarrhœa; 7 *aph.* 29: ſed de alvi fluxu, ex morbo diuturno, unde intelligitur, ſub morbis diuturnis malum eſſe alvi fluxum, quando a laſſata aut fatiſcente natura, ſeu fracto fibrarum tono, non item quando vi tuentis & expedientis ſe naturæ prorumpit. Tabes exemplo eſt, quæ, ubi diarrhœa contingit, ruit in perniciem. *Hecquet.* Alvi fluor hoc loco non ſignificat ſolam evacuationem contentorum ex inteſtinis, qua tollitur cacochylia, ſed copioſiorem & continuatam dejectionem, quæ arguit non ſolum evacuari ea contenta, verum etiam omnes humores bonos in inteſtina confluentes. Omnis ergo diarrhœa, dyſenteria, cholera & lienteria, in morbis chronicis damnantur ob ſequentes rationes. Si continuo ingens copia corruptorum humorum ejicitur, ſignum eſt, magnam etiam intus eſſe malorum humorum collectionem, quod malum præbet ſignum. Si vero hujuſmodi corrupti humores ejiciuntur,

quia boni humores in inteſtina confluentes cito convertuntur in corruptelam, hoc etiam malum eſt, nam ita metuendum, ne omnes reliqui boni humores in corruptelam convertantur. Si vero boni humores continuo emittuntur, uti in lienteria, & interdum in diarrhœa, bonorum nimia evacuatione corpus debilitabitur, in cachexiam vel leucophlegmatiam incidet, vel exhauſtis humoribus emaciabitur & tabe atque febre hectica conſumetur. Conducit ergo in chronicis, ut alvus liqueſcens reddat cacochyliam, ſed fluxus non debet continuare: conducit etiam ſemel aut bis alvum ducere, ut corrupta ex cavo inteſtinorum & ventriculi eliminentur, ſed damnanda eſt ea methodus, qua contendunt continuo datis purgantibus totum corpus depurare. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 6.

Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται· ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα.

Quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet.

Quia Galenus hunc aphoriſmum non poſuit in ſuis codicibus, ubi reliquos omnes commentariis illuſtravit, propterea ab editoribus ſpuriis adnumeratur. Sed ut κατὰ τὸ ῥητὸν non ſit ab Hippocrate profectus, rem tamen ejus apprime convenire, docere nos poteſt *lib. de arte n* 13. Merito omnes aphoriſmos claudit. Nam cum tria ſint Medici inſtrumenta, ratio victus, medicamentum, & manus operatio, juxta *lib. de dec. orn. n.* 6: quæ ergo non ſanantur victus ratione, medicamento indigent; quæ non ſanantur medicamento, ferro. Manifeſtum autem eſt, quod per ferrum non intelligit cucurbitulas, aut venæ ſectionem, quanquam hæc manu adminiſtrentur. Sed ferrum dicimus, cum quod corruptum eſt, aufertur. Sectio enim venæ & cucurbitula ſunt communia auxilia, & ſæpe adhibentur ante medicamenta: ferrum autem poſterius

esse debet medicamentis. Hinc ferro dicitur curari, quod præscinditur: at hoc est extremum, cum sit periculosissimum, aut maximam adferat jacturam, aut utrumque: igitur hoc posterius esse debet medicamentis omnibus. Igne utitur Medicus, quando non solum oportet auferre quod peccat, sed circumjacentes partes emendare ac temperare: aut ob timorem effluxionis sanguinis. *Cardan. p.* 847. Est itaque extremum omnium remedium ignis seu cauterium actuale, antiquissimi certe usus, ut vel ex Hippocratis lectione discere licet. De ratione operandi cauteriorum, modo adhibendi, multiplicique utilitate, consuli possunt Scriptores Chirurgici.

[Atque hic definimus cum *Jano Cornario* & *Anutio Foesio*, qui posterior sectionis hujus octavæ aphorismos omnes *spurios* appellat atque *nothos*: neque habet reliquos, qui istis superadditi reperiuntur apud *van der Linden*: qui etiam certe non ab Hippocrate profecti videntur, nisi forte excipere velis qui extat num. 7. sed qui est idem cum 5 *aph.* 9.]



INDEX

INDEX APHORISMORUM.

[*Numerus major Sectionem, minor aphorismum indicat.*]

A.

A*Bdomen* in quovis morbo crassum præstat tenui & tabefacto. II. 35.
Abortus quo anni tempore timendus. III. 12.
- - - contingit gracilibus præter naturam. V. 44.
- - - febrientibus, quando vehementer extenuantur. V. 55. quando mammæ gracilescunt. V. 37. 38. 53. quando fiat mediocriter carnosis. V. 45. a venæ sectione. V. 31. a diarrhœa. V. 34. a tenesmo. VII. 27.
Abscessus futuri significantur, quibus in febribus lassitudinis sensus est. IV. 31. in convalescentibus, in parte dolente. IV. 32. in parte, qua ante morbum doloris sensus fuit. IV. 33. *Febribus supervenientes*, febrem non solventes, morbi longitudinem significant. IV. 51. *Nephriticis fieri*, quibus signis manifestum sit. VII 36. *Abscessu ad articulos*, qui expectatur in febribus, *liberat* urina copiosa, crassa & alba, quarto die, maxime, si etiam hæmorrhagia narium contingat. IV. 74.
Conf. *Suppuratio.*
Adolescentes optime degunt vere & prima æstate. III. 18. minime tolerant jejunium. I. 13. 14. quibus morbis maxime obnoxii. III. 27.
Adstringentia conveniunt in vomitu cruento. VII. 37.
Æstas victum pleniorem graviffime fert. I. 18. non omnibus naturis æque confert. III. 2. quæ *Veri similis* est, copiosos in febribus movet sudores. III. 6. *Sicca & aquilonia*, si eam secutus fuerit autumnus pluvius & austrinus, quos det morbos. III. 13.
Æstate per superiora purgandum. IV. 4. *æstate prima* optime

time deguut pueri & adolescentes. III. 18. *adulti*, senes. III. 18.
Æsta:e qui regnent morbi. III. 21.
Ætas prima. Vid. *Pueri*.
- - - secunda. Vid. *Adolescentes*.
- - - tertia. Vid. *Juvenes* & *Viri*.
- - - quarta. Vid. *Senes*.
- - - quæ magis apta tolerando jejunio. I. 13.
Ætatis consideratio necessaria in evacuationibus. I. 2. & in præscriptione victus. I. 17. *mutatio* liberationem adfert juvenibus comitialibus. II. 45.
Ætates aliæ ad alias anni tempestates, & loca, & victus rationes, bene, vel male habent. III. 3.
Alimentum Vid. *Victus*.
Alvus dura fit ab aquilonia tempestate. III. 5.
- - - *humida* per juventutem, exsiccatur senescentibus; & contra. II. 20. Juvenibus magis confert, quam sicca; contra in senectute II. 53. Senibus est morbus. III 31. fit ab austrina aëris constitutione. III. 17. ab hæmorrhagia copiosa in febribus. IV. 27.
Alvi fluxus a morbo diuturno, malum. VIII. 5.
- - - *perturbationes* sponte evenientes, quæ conducant. I. 2.
- - - *dejectio pauca* significatur, ubi urina multa noctu redditur. IV. 83.
- - - *dejectiones* morbos indicant fore judicatu faciles vel difficiles, breves vel longos. I. 12. Earum *mutationes* quando juvent, II. 14. *Biliosæ*, oborta surditate cessant, & iisdem exortis surditas finitur. IV. 28. 60. *Crudæ* sunt ab atra bile. VII. 68. *Sinceræ* in longo morbo, malum. VII. 6. ab iis dysenteria, malum. VII. 23. *Spumosæ* in diarrhœis, ex capite defluunt. VII. 30. *Nigræ*, pessimæ. IV. 21. Quæ habent *sedimenta* strigmatibus similia, quid indicent. VII. 67. In *dejectionibus biliosis lac* dare, malum. V. 64.
- - - *profluvium*. Vid. *Diarrhœa*.
Ambidextra non est fœmina. VII. 43.
Angina repente in febre accidens, nullo tumore se manifestans, lethalis. IV 35 intra plumones translata, in septem diebus interficit, vel fit suppuratio. V. 10.
Angina (In) tumor, bonum. VI. 37. VII. 49.
Anginæ fiunt per pluviosas anni tempestates. III. 16. regnant vere. III. 20. & autummo. III. 22.

Animi deliquium inducitur a calido frequenter usurpato. V. 16. fit a rupto intus tuberculo. VII. 8. accedens fluentibus menstruis, malum. V. 56. Crebro & vehementer contingens citra manifestam causam, subitam adfert mortem. II. 41.
Anni tempora. Vid. *Tempestates.*
Ano amicum est calidum. V. 22.
Anxietudinem solvit potio vini aqua temperati. VII. 56.
Aphonia. Vid. *Mutus.*
Aphthæ pueris familiares sunt. III. 24.
Apoplexia fit ab atra bile. VI. 56. VII. 40.
- - - - ab ictu in capite, malum. VII. 14.
Apoplexiam solvere vehementem, impossibile; debilem, non facile. II. 42.
Apoplexiæ fiunt per pluviosas tempestates. III. 16. hieme. III. 23. Senibus III. 31. maxime ea ætate, quæ est a quadragesimo ad sexagesimum. VI. 57.
Appetitus dejectus per initia morbi præstat vegeto. II. 32. sine febre, indicat vomitorium. IV. 17. in longa dysenteria, malum. VI. 3. in morbo diuturno, malum. VII. 6.
Aqua quæ levissima. V. 26.
- - - *calida.* Vid. *Calidum.*
- - - *frigida.* Vid. *Frigidum.*
- - - *inter cutem.* Vid. *Hydrops.*
Aquilonia aëris constitutio corpora densat, roborat, &c. sed habet & sua incommoda III. 17. quos inducat morbos. III. 15.
Ardoribus (Ex) vehementibus convulsio, aut tetanus, malum. VII. 13.
Ars medica *longa.* I. 1. Quid ad eam requiratur. *ibid.*
Arthritides regnant per tempestatum magnas siccitates. III. 16. Vere. III. 20. infestant Senes. III. 31.
Articulorum tumores & dolores frigida affusa levat. V. 25.
Ascarides. Vid. *Vermes.*
Asthmata gignuntur autumno. III. 22. contingunt ætati puerili III. 26. virili. III. 30.
Asthmate (Ex) gibbosi ante pubertatem, moriuntur. VI. 46.
Athletæ indigent multo alimento. I. 15. eorum valetudo est lubrica. I. 3.
Atra bilis. Vide *Bilis atra.*
Atrabilarii. Vid. *Melancholici.*

Attenuata. Vid. *Extenuata.*
Auditus deficiens in febre continua, imbecillo jam corpore, in propinquo mors est. IV. 49. *gravis* fit ab austrina aëris constitutione. III. 5. 17. ei obnoxia est ætas senilis. III. 31.
Aurium dolores regnant æstate. III. 21. *humiditates* pueris sunt familiares. III. 24.
Austrina aëris constitutio corpora exsolvit, humectat, & varios inducit morbos. III. 5. 17.
Autumnus victum pleniorem gravissime fert. I. 18. tabidis malus est. III. 10. *pluvius & austrinus*, succedens æstati siccæ & aquiloniæ quos generet morbos. III. 13. *aquilonius & sine pluviis*, commodus natura humidioribus & mulieribus, reliquis morbosus. III. 14.
Autumno qui regnent morbi III. 22. podagra fere movetur. VI. 55. morbi fiunt acutissimi & maxime exitiales. III. 9. *primo* optime degunt senes. III. 18. *adulto* juvenes & viri. *ibid.*

B.

Balbi maxime corripiuntur longis diarrhœis. VI. 32.
Balbuties subita, ab atra bile. VII. 40.
Balneum solvit oculorum dolores. VI. 31. VII. 46.
Bilis atra per morborum initia supra vel inferius prodiens, lethale. IV. 22. 23. Conf. *Melancholia.*
Borealis aëris constitutio. Vid. *Aquilonia.*
Bubonibus (Ex) febres omnes malæ, præter diarias. IV. 55.

C.

Cachexiæ incidunt in ætatem senilem. III. 31.
Cæcitas ex melancholia. VI. 56.
Calculi gignuntur in puerili ætate. III. 26.
Calculus vesicæ notatur ab urina, in qua arenosæ subsidentiæ. IV. 79.
Calefacere oportet perfrigerata &c. V. 19.
- - - - confertim, & repente, periculosum. II. 51.
Calidum quibus corporis partibus utile. V. 18.
Calidum quæ præstet corpori commoda. V. 22. frequenter usurpatum quas adferat noxas. V. 16. aqua calida capiti affusa solvit febrem. VII. 42.

Color nativus plurimus hieme & vere. I. 15 qua parte corporis sentitur, ibi morbus est. IV. 39 vehemens internorum, dum externa frigent, in febribus continuis, lethale. IV. 48. VII. 72.
Calvis non fiunt varices magni, &c. VI. 34.
Calvitio non tentantur eunuchi. VI 28.
Cancros occultos curare non oportet. VI. 38.
Capiti affusa aqua calida solvit febrem. VII. 42.
Capitis dolores gignuntur hieme. III. 23. post autumnum pluvium & austrinum, quem præcesserit æstas sicca & aquilonia III. 13. arguuntur præsentes, vel significantur futuri in febribus, prodeuntibus urinis subjugalibus. IV. 70. Sanis derepente contingentes, cum defectione vocis & stertore, intra septem dies adferunt mortem, nisi febris superveniat. VI. 51. *solvuntur* pure, aut aqua, aut sanguine, per nares. vel os, vel aures effluente. VI. 10. in iis incisa vena in fronte prodest. V. 68. lac exhibere, malum. V. 64.
Capitis gravitas ab austrina aëris constitutione. III. 5 17. a suffitu odoramentorum. V. 28. Eam solvit calidum. V. 22. Ab ictu *in capite* stupor, aut delirium, malum. VII. 14.
Cardialgia in febribus, malum. IV. 65. citra febrem, indicat vomitorium. IV. 17.
Caro livida ex osse ægrotante, malum, VII. 2.
Carnium effœminatio a calido frequenter adhibito. V. 16.
Cartilaginis vulnera non consolidantur. VI. 19. VII. 28.
Catarrhi brevi interficientes post hiemem austrinam & pluviam, cui successerit ver siccum & aquilonium. III. 12. in thorace in 20 diebus suppurantur. VII. 38.
Catarrhis tussiculosis obnoxia est senectus. III. 31.
Cathartica. Vid. *Purgantia.*
Cephalalgiæ. Vid. *Capitis dolores.*
Cerebrum concussum, vocis defectionem inducit. VII. 58. *sphacelatum*, in tribus diebus mortem adfert. VII. 50.
Cerebri vulnera sunt lethalia. VI. 18.
Cerebro vulnerato & febris & bilis vomitio supervenit. VI. 50.
Cerebro inimicum est frigidum, utile calidum. V. 18.
Choleræ incidunt in virilem ætatem. III. 30.
Cibus. Vid. *Victus.*
Cibi fastidium. Vid. *Appetitus dejectus.*
Cicatrices cavæ fiunt ab ulceribus inveteratis. VI. 45.

Cocta, non cruda, educenda sunt, &c. I. 22.
Collum repente intortum, ut deglutitio fieri nequeat, in febre, nullo existente tumore, lethale. IV. 35.
Comitialis morbus. Vid. *Epilepsia.*
Conceptus. Vid. *Gravida.*
Consuetudo facit, ut etiam deteriora minus turbent. II. 50. & ut senes, ac invalidi, facilius ferant labores, quam juvenes, & robusti, illis minus assueti. II. 50.
Consuetudini aliquid concedendum in præscribenda victus ratione. I. 17.
Contrarietas in morbis remedio est. II. 22.
Convalescentes cur vires non recipiant. II. 8. 31. qua parte dolent, in ea habebunt abscessum. IV. 32.
Convulsio ex repletione aut vacuatione oritur. VI. 39. a Veratro, IV. 16. eaque letalis, V. 1. a purgante medicamento, letale. VII. 25. ex profusa purgatione, malum. V. 4. ex vulnere, letalis. V. 2. ex hæmorrhagia, malum. V. 3. VII. 9. ex melancholia, VI. 56. ex volvulo, malum. VII. 10. ex vigilia, malum. VII. 18. ex vehementibus ardoribus, malum. VII. 13. in febribus, malum. IV. 67. in febribus acutis, malum. IV. 66. a frigido. V. 17. 20. superveniens menstruis fluentibus, malum. V. 56. quando tumores in ulceribus derepente disparent. V. 65.
Convulsionem indicat spiritus offensans (seu respiratio molesta) in febribus. IV. 68.
Convulsioni febrem advenire præstat, quam convulsionem febri. II. 26.
Convulsiones solvit superveniens febris. IV. 57. frigida affusa. V. 25. febris quartana V. 70. *mitigat* calidum. V. 22.
Convulsiones pueris familiares sunt. III. 25.
Cordis vulnera letalia sunt. VI. 18.
Coryzæ. Vid. *Gravedines.*
Coxendicum dolores. Vid. *Ischiades.*
Crassi celerius intereunt, quam graciles. II. 44.
Crassæ præter naturam *fœminæ*, quare non concipiant. V. 46.
Crisis difficilis in febribus, quibus sexto die rigores contingunt IV. 29. in febre, quæ quotidie eadem hora revertitur. IV. 30.
Crisis septimo die contingens, indicatur quarto, urina prodeunte rubra, nubeculam habente. IV. 71. per sudores

sudores in febribus, quibus diebus fiat. IV. 36.
Crisi solvuntur morbi pueriles. III. 28.
Crisin indicantes dies. Vid. *Dies.*
Crises (Ante) de ciborum accessione detrahendum I. 19.
Crisin præcedit nox gravior, sequitur levior. II. 13.
Crisi (in), & jam perfecta crisi, nihil movendum. I. 20.
Crisin (post) quæ relinquuntur, recidivas faciunt. II. 12.
Cucurbitula ad mammas apposita sistit menstrua. V. 50.
Curationes. Vid. *Remedia.*
Cutis emollitur, extenuatur, a calido. V. 22.
Cutem habentes *aridam* & *duram*, sine sudore moriuntur; contra, quibus illa est *laxa* & *rara.* V. 71.

D.

Defluxiones. Vid. *Catarrhi.*
Deglutitio abolita, collo repente intorto, in febre, letale. IV. 35.
Dejectiones. Vid. *Alvi* dejectiones.
Deliquium animi. Vid. *Animi deliquium.*
Delirium fit ab osse perfecto. VII. 24. ex multo potu, malum. VII. 7. ab hæmorrhagia, malum. VII. 9. ex volvulo, malum. VII. 10. ab ictu in capite, malum. VII. 14. ex vigilia, malum. VII. 18. in febre connua cum asthmate, letale IV. 50.
Delirium solvit tremores in febribus ardentibus. VI. 26. *solvitur* somno. II. 2.
Deliria cum risu tutiora; cum studio adhibito, periculosiora. VI. 53.
Dentibus inimicum est frigidum, calidum utile. V. 18.
- - - - adnascentes sordes glutinosæ, in febre, vehementiorem fore morbum significant. IV. 53.
Desipientia. Vid. *Delirium.*
Diæta. Vid. *Victus.*
Diaphragmatis vulnera letalia sunt. VI. 18. *dolores supra diaphragma* vomitorium indicant: *infra* illud, purgans per alvum. IV. 18.
Diarrhœa solvit leucophlegmatiam. VII. 29. in lippitudine prodest. VI. 17. in pleuritide, & peripneumonia, malum. VI. 16. succedit puris sputo. VII. 16.
tabidis

tabidis superveniens, letalis. V. 14.
Diarrhœam solvit sponte superveniens vomitus. VI. 15.
Diarrhœa (a) dysenteria. VII. 75.
Diarrhœæ regnant æstate. III. 21. pluviosis anni tempestatibus. III. 16. pueris sunt familiares. III. 25.
Diarrhœis diuturnis obnoxii sunt inprimis balbi. VI. 32. & ætas virilis. III. 30.
- - - - - (in) dejectionum mutationes juvant, nisi in pravas commutentur. II. 14. excrementa spumosa, ex capite defluunt. VII. 30.
Dies indices, seu crisin indicantes. II. 24.
Distentio nervorum. Vid. *Tetanus*.
Dolor qua parte sentitur convalescentibus, illic futurus significatur abscessus. IV. 32. qua parte ante morbum fuerit, illic futurum abscessum notatur. IV. 33. quibus non sentitur, iis mens ægrotat. II. 6.
Dolores num multum inter se *differant*, considerandum est. VI. 5. *vehementes circa viscera*, in febribus, malum. IV. 66 *ad articulos* fiunt post longas febre. IV. 44. VII. 63. & notant ægrum copiosioribus cib.s uti. IV. 45. VII. 64. *laterum acuti* fiunt, quando tumores in ulceribus derepente evanescunt. V. 65. *ad ventrem*, si sublimes, sunt leviores; non sublimes, vehementiores. VI. 7.
Dolore diuturno (a) partium circa ventrem, suppuratio. VII. 22. *a vehementi* partium ad ventrem, extremorum frigus, malum. VII. 26.
Dolorem solvit calidum, V. 22. torpor modicus, V. 25. ad hypochondrium sine inflammatione, febris superveniens. VI. 40. hepatis, febris. VII. 52.
Doloribus (in) supra septum transversum, indicantur vomitoria; infra illud, purgantia. IV. 18.
- - - - - (ex duobus), vehementior alterum obscurat. II. 46.
Dysenteria fit a diarrhœa. VII. 75. quando tumores in ulceribus derepente evanescunt. V. 65. ab atra bile ortum ducens, letalis. IV. 24. a sincera dejectione, malum. VII. 23. a mania, bonum. VII. 5. lienosis superveniens, bonum. VI. 48.
Dysenteria longa lienosorum terminatur in hydropem, aut lienteriam, & hinc in mortem. VI. 43.
Dysenteriæ regnant autumno. III. 22. post hiemen siccam & aquiloniam, cui successerit Ver pluvium & austrinum. III.

III. 11. post hiemem austrinam ac pluviam, si secutum fuerit Ver siccum & aquilonium, III. 12. in magnis siccitatibus. III. 16.

Dysenteriis obnoxia est ætas virilis. III. 30.

- - - - *longis* (in) appetitus prostratus, malum. VI. 3.

Dysenteria (a) fit lienteria. VII. 76.

Dysenterici si veluti caruncLas dejiciant, malum. IV. 26.

Dyspnœa in febre continua, letale. IV. 50.

Dyspnœæ senibus familiares sunt. III. 31.

Dysuria ab aquilonia anni tempestate. III. 5. senibus est familiaris. III. 31.

Dysuriam solvit venæ sectio. VI. 36. VII. 48. vini potio. VII. 48.

E.

Ebrius derepente mutus factus, moritur convulsus, nisi &c. V. 5.

Ecstasis a mania, bonum. VII. 5.

Efflorescentiæ. Vid. *Pustulæ*.

Elleborus albus. Vid. *Veratrum*.

Emetica. Vid. *Vomitoria*.

Epilepsiæ regnant Vere, III. 20. autumno, III. 22. per pluviosas anni tempestates III. 16. familiares sunt Juvenibus. III. 29. qui liberationem accipiunt mutatione ætatis, & regionum, & victuum. II. 45. ante pubertatem contingentes, depositionem accipiunt; commoriuntur, quibus accidunt viginti quinque annos natis. V. 7.

Erysipelas fit ab ossis denudatione. VIII. 19. intro verti, malum; contrarium, bonum. VI. 25. in utero gravidæ, letale. V. 43.

Erysipelati utile frigidum. V. 23.

Erysipelate (ab) putredo, aut suppuratio, malum. VII. 20.

Evacuatione curantur morbi ex repletione. II. 22.

Evacuationes quæ utiles. I. 2. 23. 25. ad extremum deductæ, periculosæ. I. 3. ducendæ sunt per loca convenientia, quo maxime vergunt. I. 21. ad animi defectionem quando fieri debeant. I. 23. Multæ & repentinæ, periculosæ. II. 51. Convalescentibus quando conferant. II. 8.

Eunuchi neque podagra laborant, neque calvescunt, VI. 28.
Exanthemata. Vid. *Pustulæ*.
Excrementa alvi. Vid *Alvi dejectiones*.
Excretiones per vesicam; alvum, & carnes &c. *consideranda sunt*, VII. 79. cum fauces ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur. II. 15. celeres fiunt a cibis multum & celeriter nutrientibus. II. 18. In febribus continuis quæ bonæ, quæ malæ. IV. 47.
Exercitatio Vid. *Labor*.
Experientia fallax. I. 1.
Extenuata corpora, quæ celeriter, quæ lente reficere oporteat. II. 7. In febribus magnis non extenuari, vel magis quam ratio postulat, quid significet. II. 28.
Externa frigida, dum interna uruntur, in febribus continuis, letale. IV. 48. VII. 72.
Extrema, in acutis morbis *frigida*, malum VII. 1. a vehementi dolore partium ad ventrem, malum. VII. 26.

F.

Faciei partes perversæ in febre continua, corpore jam imbecillo, mors in propinquo est. IV. 49. VII. 73.
Fæces alvinæ. Vid. *Alvi dejectiones*.
Fames exsiccat. VII. 59. Quibus conveniat. *ibid*. Nimia, non bonum. II. 4.
Fame (in) laborare non convenit. II. 16.
Famen solvit Vini potio. II. 21.
Conf. *Jejunium*.
Fastidium cibi. Vid. *Appetitus dejectus*.
Fauces exasperantur ab aquilonia tempestate. III. 5. In earum affectibus, excretiones considerandæ sunt. II. 15.
Febris cerebro vulnerato supervenit. VI. 50. fluente sudore non remittens, malum. IV. 56. Revertitur, quæ non diebus imparibus demiserit. IV. 61. prehendens ebrium, qui derepente mutus factus, solvit malum. V. 5. superveniens volvulo, ex stranguria orto, morbum tollit. VI. 44. Convulsioni, & tetano superveniens, solvit morbum. IV. 57. dolores ad hypochondrium citra inflammationem, solvit. VI. 40. Solvit capitis dolores derepente sanis contingentes. VI. 51. Solvit item hepatis dolorem. VII. 52.

Febrem

Febrem convulfioni advenire præftat, quam febri convulfionem. II. 26.
- - - - folvit aqua calida capiti affufa. VII. 42.
Febres, quibus fexto die rigores contingunt, difficilem habent judicationem. IV. 29.
- - - - quæ quotidie eadem hora revertuntur, difficilem habent judicationem. IV. 30.
- - - - quibus abfceffus fuperveniunt, fi primis judicationibus non folvantur, morbi longitudinem fignificant. IV. 51.
- - - - in quibus quotidie rigores, quotidie folvuntur. IV. 63.
- - - - pueris familiares funt. III. 25.
- - - - ex bubonibus omnes malæ, præter diarias. IV. 55.
Febribus (in) copiofos fudores expectare oportet, cum æftas Veri fimilis eft. III. 6.
- - - qui fudores boni IV. 36.
- - - laffitudinis fenfus, fignificat futuros abfceffus. IV. 31.
- - - fordes glutinofæ ad dentes, vehementiores fore febres defignant. IV. 53.
- - - icterus antè diem feptimum obortus, malum, IV. 62. bonum contra, fi die feptimo, & poftea, contingat. IV. 64.
- - - cardialgia, malum. IV. 65.
- - - pavores per fomnos, aut convulfiones, malum. IV. 67.
- - - fpiritus offenfans, malum. IV. 68. VI. 54.
- - - *Urinæ* juvantes, quales. IV. 69. quæ habent fedimenta craffiori farinæ fimilia, longum fore morbum denunciant. VII. 31. fubjugales quid notent. IV. 70.
- - - hypochondria fublata, murmurantia, quid fignificent. IV. 73.
- - - qui exfpectatur abfceffus ad articulos, non fit, fi quarto die fluit urina multa, &c. IV. 74.
Febres acutæ per fqualores fiunt. III. 7. & ab autumno aquilonio ac fine pluviis. III. 14. item poft hiemem ficcam & aquiloniam, ac Ver pluvium & auftrinum. III. 11. contingunt Juvenibus. III. 29.
Febribus acutis (in) fudores frigidi mortem fignificant; in mitioribus, diuturnitatem morbi. IV. 37.

Febribus acutis (in) convulsiones & circa viscera dolores vehementes, malum. IV. 66.
- - - lac dare, malum. V. 64.
Febris ardens a superveniente rigore solvitur. IV. 58.
Febres ardentes æstate. III. 21. iisque obnoxia ætas virilis. III. 30.
Febribus ardentibus (in) non multum sitiunt, qui patiuntur tussiculam siccam. IV. 54. contingentes tremores delirium solvit. VI. 26.
Febres continuæ regnant æstate. III. 21.
- - - tertia quaque die vehementius affligentes, periculosæ: secus, si intermiserint. IV. 43. VII. 62.
Febre continua (in) rigor frequenter incidens, ægro jam debili, letale est. IV. 46. dyspnœa, & delirium, letale. IV. 50.
- - - faciei partes spasmo affectæ, deficientibus jam visu & auditu, corpore imbecillo, mors in propinquo est. IV. 49 VII. 73.
Febribus continuis (in) quæ excretiones bonæ quæ malæ. IV. 47.
- - - Si partes externæ frigeant, internæ urantur, cum siti, letale est. IV. 48. VII. 72.
Febres diuturnæ adolescentibus familiares sunt. III. 27.
- - - *erraticæ* gignuntur autumno. III. 22.
- - - *longæ* in pluviosis anni tempestatibus accidunt. III. 16. tubercula ad articulos, vel dolores nunciant. IV. 44. VII. 63.
Febribus longis (in) lac dare convenit. V. 64.
Febris tertiana exquisita septem circuitibus judicatur. IV. 59.
Febres tertianæ regnant æstate. III. 21.
- - - *quartanæ* regnant æstate. III. 21. autumno. III. 22. æstivæ sunt breves, autumnales longæ. II. 25.
- - - *quartanæ* solvunt convulsionem. V. 70.
Febribus quartanis (in) hæmorrhagia narium, malum. VIII. 3.
Febricitantium corpora non extenuari, vel magis quam ratio postulat, malum. II. 28.
Febricitantibus lac malum. V. 64.
- - - - - cibus non dandus. VII. 65.
Flatibus non multum vexantur icterici. V. 72.
Fæcunditas. Vid. *Fœmina*.

Fœmina non eſt ambidextra. VII. 43. non tentatur podagra, niſi menſes ipſi defecerint. VI. 29.
- - - num ſterilis ſit, an fœcunda, experimentum. V. 59.
Fœminæ quæ ſint ſteriles. V. 46. 62. quæ fœcundæ. V. 62.
Fomentum ſolvit oculorum dolores. VI. 31.
Fracturæ. Vid. *Oſſa.*
Frigidum quæ inducat corpori mala. V. 17. 20. 24. quibus corporis partibus inimicum ſit. V. 18. quando utile in tetano. V. 21. quæ adferat corpori commoda. V. 23. 25.
Frigus qua parte corporis ſentitur, ibi morbus eſt. IV. 39.
- - - externorum, dum interna uruntur, in febribus continuis, letale. IV. 48. VII 72.
- - - extremorum in acutis morbis, malum. VII. 1.
- - - a vehementi partium ad ventrem dolore, malum. VII. 26.
Frigore (a) morientibus partibus calidum gratum. V. 22. Conf. *Refrigerantia.*
Furor. Vid. *Mania.*

G.

Genæ vulnus non coaleſcit. VI. 19.
Genitalium putredines gignuntur æſtate. III. 21.
Genitalibus amicum calidum. V. 22.
Genitura humidior notat morboſam ſanitatem. VI. 2.
Genuum gravitas indicat medicamentum catharticum. IV. 20.
Gibboſi ex aſthmate & tuſſi ante pubertatem, moriuntur. VI. 46.
Gingivarum pruritus, pueris familiares. III. 25.
Glandularum tumores. Vid. *Bubones.*
Glaucedines in ſenilem ætatem incidunt. III. 31.
Graciles non tam cito intereunt, quam craſſi. II. 44.
Gracilibus vomitoria conducunt. IV. 6.
- - - - - præter rationem, lac dare convenit. V. 64.
Gravedines gignuntur poſt autumnum pluvium & auſtrinum, quem præceſſerit æſtas ſicca & aquilonia. III. 13. diuturnæ ab autumno aquilonio & ſine pluviis. III, 14.

Gravedines regnant Vere. III. 20. hieme. III. 23.
- - - - in senibus non coquuntur. II. 40.
Gravida an sit fœmina, qui cognoscatur. V. 41. 61. marem, an fœminam gestet. V. 42.
Gravidæ graciles præter naturam, abortiunt. V. 44. mediocriter carnosæ quare abortiant. V. 45.
- - - non fiunt fœminæ, quæ præter naturam sunt crassæ. V. 46.
- - - febrientes, si vehementer attenuantur, difficulter pariunt, vel abortiunt. V. 55.
Gravidarum (e) mammis lac copiosum effluens, fœtum imbecillum significat. V. 52.
Gravidis purgantia medicamenta quando exhibenda. IV. 1. V. 29.
- - - morbi acuti letales sunt. V. 30.
- - - venæ sectio abortum facit. V. 31. item diarrhœa. V. 34.
- - - abortionis periculum est, quando mammæ gracilescunt. V. 37. 53.
- - - erysipelas in utero, letale. V. 43.
- - - uteri os connivet. V. 51.
- - - si prodeant menstrua, fœtus non bene valet. V. 60.
- - - superveniens tenesmus abortum facit. VII. 27.

H.

Habitus athleticus ad summum progressus solvi debet. I. 3.
Hæmoptyses Juvenibus familiares sunt. III. 29.
Hæmorrhagia in ulceribus, malum. VII. 21.
Hæmorrhagiæ regnant Vere. III. 20.
- - - - - fiunt a calido frequenter usurpato. V. 16.
Hæmorrhagiis superveniens convulsio, vel singultus, malum. V. 3. VII. 9.
- - - - - frigidum utile. V. 23. lac malum. V. 64.
Hæmorrhagias (post) in febribus, alvi humectantur. IV. 27.
Hæmorrhagia narium solvit surditatem in febribus. IV. 60. & capitis dolorem. VI. 10.
- - - - in fœminis, deficientibus menstruis, bonum. V. 33.
- - - - in quartanis, malum. VIII. 3.

Hæmorrhagiæ narium adolescentibus familiares sunt. III. 27.
Hæmorrhoïdes incidunt in ætatem virilem. III. 30.
- - - - - solvunt maniam. VI. 21.
- - - - - supervenientes melancholicis, & nephriticis, bonum. VI. 11.
Hæmorrhoïdum fluxum improvide suppressum consequi solet hydrops, vel tabes. VI. 12.
Helleborus albus Vid. *Veratrum.*
Hepar in ictericis durum, malum. VI. 42.
- - - aqua plenum, liquore in cavum abdominis effuso, æger moritur. VII. 55.
Hepatis vulnera letalia sunt. VI. 18.
- - - - dolorem febris solvit. VII. 52.
Hepate (ab) inflammato singultus. V. 58. VII. 17.
Herpetibus exedentibus calidum utile. V. 22.
Hiems non omnibus æque utilis est. III. 2.
- - - victum copiosum facillime fert. I. 15. 18.
Hiemem (post) siccam & aquiloniam, sequente vere pluvio & austrino, qui fiant morbi. III. 11.
- - - austrinam & pluviam, succedente vere sicco & aquilonio, qui gignantur morbi. III. 12.
Hieme ventres sunt calidissimi. I. 15.
- - - somni longissimi. *ibid.*
- - - qui regnent morbi. III. 23.
- - - per inferiora purgandum. IV. 4.
Horror a sudore, non bonum. VII. 4.
Horrores fiunt ab aquilonia tempestate. III. 5.
Horrorem solvit vini potio aqua temperati. VII. 56.
Humidis corporibus fames utilis. VII. 59.
Hydrops a leucophlegmatia. VII. 74.
- - - ab hæmorrhoïdibus improvide suppressis. VI. 12.
- - - lienosorum superveniens longæ dysenteriæ, mortem adfert. VI. 43.
- - - a Mania, bonum. VII. 5.
Hydropem solvit aqua ex venis in ventrem confluens. VI. 14.
Hydropes gignuntur autumno. III. 22.
Hydrops siccus quando timendus. IV. 11.
Hydropici, quibus omnis aqua simultanee educitur, omnino moriuntur. VI. 27.
Hydropicorum ulcera difficilia sanatu. VI. 8.

Hydropicis tuffis superveniens, malum. VI. 35. VII. 47.
Hypochondria sublata, murmurantia in febribus, quid futurum significent. IV. 73.
- - - - elevata & murmurantia habentibus lac dare non convenit. V. 64.
Hypochondrii dolores fine inflammatione, febris superveniens folvit. VI. 40.
Hystericæ paffioni pellendæ conducit fternutatio. V. 35.

I.

Icterus in febribus ante feptimum diem, malum. IV. 62. bonum, fi die feptimo, &c. IV. 64.
Icterici non multum flatulenti funt. V. 72.
Ictericis fi hepar durum, malum. VI. 42.
Jejunium qua ætate magis vel minus toleretur. I. 13.
Ileus. Vid. *Volvulus.*
Impetigines regnant Vere III. 20.
Impura corpora quo magis nutriuntur, eo magis læduntur. II. 10.
Infantes. Vid. *Pueri.*
Inflammationibus recentibus frigidum utile. V. 23.
Insania. Vid. *Mania.*
Inteftinorum difficultas. Vid. *Dyfenteria.*
- - - - *dolores* indicant catharticum. IV. 20.
- - - - *lævitas.* Vid. *Lienteria.*
- - - - tenuium vulnera letalia funt. VI. 18. 24.
Inteftino recto (ab) inflammato fit ftranguria. V. 58.
Ifchiades gignuntur autumno. III. 22.
Ifchiade diuturna detentis, fi caput femoris ex fuo articulo decidit & rurfus incidit, iis mucores innafcuntur. VI. 59. & fequitur tabes cruris, aut claudicatio. VI. 60.
Judicatio. Vid. *Crifis.*
Judicium difficile. I. 1.
Juvenes melius degunt cum alvo humida, quam ficca. II. 53. magis ægrotant, quam fenes. II. 39. optime degunt autumno adulto & hieme. III. 18. quibus morbis fint obnoxii. III. 29. *comitiales* liberationem accipiunt mutatione ætatis, regionis, victuum. II. 45.

Labor

L.

Labor non convenit in fame. II. 16.
Labores consueti facilius feruntur, etiam ab invalidis & senibus, quam a robustis & juvenibus, qui illis non assueti. II. 49.
Lac quibus exhibere conveniat, quibus non. V. 64.
Lac in mammis virginum a defectu menstruorum. V. 39.
--- copiosum e mammis gravidarum effluens, fœtum imbecillum significat. V. 52.
Lacrymæ voluntariæ nihil mali portendunt, contra, quæ fiunt præter voluntatem. IV. 52. VIII. 2.
Languor. Vid. *Torpor*.
Lassitudines sponte obortæ, morbos prænunciant. II. 5.
Lassitudinis a labore, quies remedium. II. 48.
- - - - sensus in febribus, significat futuros abscessus. IV. 31.
Laterum dolor. Vid. *Pleuritis*.
Lepræ regnant Vere. III. 20.
Lethargi gignuntur hieme. III. 23. iis est obnoxia ætas virilis. III. 30.
Leucophlegmatiam diarrhœa solvit. VII. 29.
Leucophlegmatia (a) hydrops. VII. 74.
Lichenes. Vid. *Impetigines*.
Lienes magni gignuntur autumno. III. 22.
Lienosi, superveniente longa dysenteria, hydropici fiunt, aut lienterici, & pereunt. VI. 43.
Lienosis superveniens dysenteria, bonum. VI. 48.
Lienteria a dysenteria. VII. 76.
- - - lienosorum superveniens longæ dysenteriæ, mortem adfert. VI. 43.
Lienteriæ gignuntur autumno. III. 22. iis obnoxia est ætas virilis. III. 30.
Lientericis hieme non dandum vomitorium. IV. 12.
- - - - superveniens ructus acidus, bonum est. V. 1.
Lingua de repente incontinens, atram bilem indicat. VII. 40.
Lipothymia. Vid. *Animi deliquium*.
Lippitudines regnant æstate. III. 21. post hiemem siccam &

& aquilonium, quam secutum fuerit Ver pluvium ac austrinum. III. 11. per magnas siccitates. III. 16.
Lippitudines aridæ, post hiemem austrinam & pluviam, cui successerit Ver siccum & aquilonium. III. 12. ab autumno aquilonio ac sine pluviis. III. 14.
Lippientibus diarrhœa prodest. VI. 17.
Lumborum dolor citra febrem, indicat medicamentum catharticum. IV. 20.
- - - - dolores gignuntur hieme. III. 23.
Lumbrici. Vid. *Vermes*.

M.

Macilenti. Vid. *Graciles*.
Mammæ in gravidis *gracilescentes*, quid portendant. V. 37. 38. 53.
Mammæ solidæ in gravidis, valentem fœtum significant. V. 52.
Mammis (ex) gravidarum lac copiosum effluens, fœtum imbecillum significat. V. 52.
- - - (in) collectus sanguis, maniam significat. V. 40.
- - - (in) virginum lac, notat menstruorum defectum. V. 39.
Mania ex melancholia. VI. 56.
- - - significatur fœminis, quibus sanguis in mammis colligitur. V. 40.
Maniæ regnant Vere, III. 20. autumno. III. 22.
- - - oriuntur, quando tumores in ulceribus derepente disparent. V. 65.
Maniam solvunt supervenientes varices, vel hæmorrhoïdes. VI. 21.
Mania (a) dysenteria, aut hydrops, aut ecstasis, bonum. VII. 5.
Mas, an fœmina, in utero gestetur, qui cognoscitur. V. 42. Mares uteri dextra parte, fœminæ sinistra magis gestantur. V. 48.
Medullæ spinali inimicum est frigidum, utile calidum. V. 18.
Melancholiæ gignuntur Vere, III. 20. autumno. III. 22. autumno aquilonio & sine pluviis. III. 14.
Melancholiam notant metus & tristitia, si diu perseverent. VI. 23.

Melancholia (ex) apoplexia, aut convulsio, aut mania, aut cæcitas. VI. 56.
Melancholici largius per inferiora purgandi sunt. IV. 9.
Melancholicis supervenientes hæmorrhoïdes, bonum. VI. 11.
Mens ægrotat iis, qui dolorem præsentem non sentiunt. II. 6.
Mentis stupor a calido frequenter usurpato. V. 16.
Mentis vehemens emotio. Vid. *Ecstasis.*
Mente constare, quovis in morbo bonum. II. 33.
Menstrua haud debite prodeuntia, & *decolorata*, purgationem indicant necessariam esse. V. 36.
- - - *sistuntur* apposita ad mammas cucurbitula. V. 50.
- - - si fluant *in gravida*, fœtus non bene valet. V. 60.
- - - *non prodeuntia*, quando notent fœminam esse gravidam. V. 61.
Menstruorum (circa) eruptionem solvuntur morbi pueriles. III. 28.
Menstruis ducendis apti sunt suffitus odoramentorum. V. 28.
- - - erumpentibus sistitur vomitus cruentus. V. 32.
- - - fluentibus accedens convulsio, & animi deliquium, malum. V. 56.
- - - fluentibus copiosioribus, & non prodeuntibus, eveniunt morbi. V. 57.
- - - deficientibus hæmorrhagiam narium contingere, bonum. V. 33.
- - - deficientibus, lac in mammis. V. 39.
Methodus medendi non temere mutanda. II. 52.
Metus perseverans melancholiam notat. VI. 23.
Mictus sanguinis significat venulam in renibus ruptam. IV. 78. cum grumis, cum stranguria, doloreque in imo ventre & interfœmineo, partium circa vesicam vitium notat. IV. 80. VII. 39.
Morbus est, qua parte corporis sudor est. IV. 38. qua parte corporis calor est, aut frigus. IV. 39.
Morbi summa vehementia tenuissimum postulat victum. I. 8.
Morbi vigorem (ante) quo victu utendum. I. 9. 10. & in ejus *exacerbationibus*, I. 11. & ante ejus *judicationem*. I. 19.

Morbi longitudo nunciatur, ubi corpus alternatim & refrigeratur & incalefcit, vel color alius ex alio oritur. IV. 40. VII. 60. quando febrientibus fluunt urinæ cum fedimentis craffiori farinæ fimilibus. VII. 31.
Morbo diuturno (in) ciborum faftidium, malum. VII. 6.
- - - *diuturno* (a) alvi fluor, malum. VIII. 5.
Morbi eveniunt a menftruis non prodeuntibus, & ab iis fluentibus copiofioribus. V. 57. a tempeftatibus anni III. 1.
- - - alii *ad* alias *anni tempeftates* bene, vel male habent. III. 3.
- - - an *futuri* judicatu *difficiles* vel faciles, *breves* vel longi, indicant urinæ, alvi excrementa & fudores. I. 12.
- - - *conftantes* & *faciles* fiunt judicatu in tempeftatibus anni tempeftivis & conftantibus; contra in inconftantibus. III. 8.
- - - *fummi* fummas poftulant curationes. I. 6.
- - - *ex repletione* curantur evacuatione. II. 22.
Morborum confideratio neceffaria in evacuationibus. I. 2.
- - - - *acceffiones* & conditiones, per quæ indicentur. I. 12.
- - - - *initia*, (per) fi quid movendum videtur, moveri debet: cum vero vigent, quiefcere præftat. II. 29. Ratio. II. 30.
- - - - bilem atram fupra, vel infra prodire, letale. IV. 22.
- - - - *initia* (circa) cibum faftidientes melius degunt, quam qui illum bene fumunt. II. 32.
- - - - *reverfiones*. Vid. *Recidivæ*.
Morbos prænunciant laffitudines fponte obortæ. II. 5.
Morbis (in) quæ præter rationem eveniunt mala, non admodum timenda, nec bonis fidendum. II. 27.
- - - minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui & anni tempeftati illi magis fuerint cognati. II. 34. VIII. 1.
Morbi acuti intra dies quatuordecim judicatione terminantur. II. 23. raro ferunt purgationes. I. 24. gravidis funt letales. V. 30.
Morbum acutum fignificant urinæ cum fedimentis biliofis, fupra tenuibus. VII. 32.
Morborum acutorum prædictiones non certæ funt. II. 19

Morbis acutis (in) quando purgandum. I. 24.
- - - extrema frigida, malum. VII. 1.
Morbus peracutus statim extremos habet labores, & extreme tenuissimum requirit victum. I. 7.
- - - *valde acutis* (in) quando purgante medicamento utendum. IV. 10.
Morbi acutissimi sunt per autumnum. III. 9.
Morbos autumnales per anni tempestates expectare convenit, quando eodem die modo calor, modo frigus fit. III. 4.
Morbus lateralis. Vid. *Pleuritis*.
Morbi pueriles judicatione solvuntur &c. III. 28.
Morbus regius. Vid. *Icterus*.
Mors subita expectat eos, qui frequenter &c. animo linquuntur. II. 41.
Motus corporis convenit a veratro sumpto. IV. 14. 15. Conf. *Labor*.
Mulier. Vid. *Fœmina*.
Mutationes paulatim inductæ securæ sunt. II. 51.
- - - - in corpore contingentes *caloris* & *frigoris*, morbi longitudinem significant. IV. 40. VII. 60.
- - - - *frigoris*, & *caloris*, in tempestatibus anni, morbos pariunt. III. 1.
Mutus fit, cui cerebrum concussum. VII. 58.
- - - *ab ebrietate*, convulsus moritur nisi eum febris prehendat, &c. V. 5.
Muti a capitis doloribus derepente in sanitate contingentibus, liberantur superveniente febre, alias intra setem dies pereunt. VI. 51.

N.

Nares natura humidiores sunt valetudinariis. VI. 2.
Narium humiditates familiares ætati senili. III. 31.
- - - *hæmorrhagia*. Vid. *Hæmorrhagia*.
Nares (per) effluens pus, aut aqua, aut sanguis, solvit capitis dolorem. VI. 10.
Naturæ aliæ ad æstatem, aliæ ad hiemen bene, vel male habent. III. 2.
Nephritides incidunt in ætatem senilem. III. 31.
Nephriticis supervenientes hæmorrhoïdes, bonum. VI. 11. abscessus fieri ad externa, vel interna loca, quibus doceatur signis. VII. 36.

Nervi vulnerati non coalescunt. VI. 19. VII. 28.
Nervorum distentio. Vid. *Tetanus.*
- - - - *impotentia* a calido frequenter usurpato. V. 16.
Nervis inimicum est frigidum, utile calidum. V. 18.
Nigredines a frigido. V. 17. 20.
Nimium omne naturæ inimicum. II. 51. 4. in victu. I. 4. II. 4. 17. in somno & vigilia. II. 3. VII. 71.
Nox crisin præcedens gravis, sequens levior. II. 13.

O.

Obesi. Vid. *Crassi.*
Occasio præceps. I. 1.
Oculi rubentes a vomitu, malum. VII. 3.
Oculorum humiditates sunt in ætate senili. III. 31.
- - - - *dolores* solvit meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum purgans VI. 31. VII. 46.
Oculis (ex) subapparens album in somno, pravum signum est. VI. 52.
Conf. *Visus.*
Omentum excidens computrescat necesse est. VI. 58.
- - - os uteri comprimens, impedit conceptum. V. 46.
Ophthalmiæ. Vid. *Lippitudines.*
Oris exulcerationes regnant æstate. III. 21.
- - - ulcera serpentia. Vid. *Aphthæ.*
Os amarulentum indicat vomitorium. IV. 17.
Ossis denudatione (ab) erysipelas. VII. 19.
Osse ægrotante (ex) caro livida, malum. VII. 2.
- - *perfecto* (ab) delirium, &c. VII. 24.
Ossium vulnera non consolidantur. VI. 19. VII. 28.
- - - *fracturis* confert calidum. V. 22.
- - - *abscessus* ab ulceribus inveteratis. VI. 45. ex sphacelismo. VII. 77.
Ossibus inimicum est frigidum, utile calidum. V. 18.
Oscitationem solvit potio vini aqua temperati. VII. 56.

P.

Palpebræ non commissæ per somnum, signum pravum est. VI. 52.

Papulæ. Vid. *Pustulæ.*
Partus difficilis expectandus est, quando gravida febriens vehementer extenuatur. V. 55.
Partu difficili (in) conducit sternutatio. V. 35.
Partus imbecilli, & morbosi, quali anni tempestate expectandi. III. 12.
Pavores pueris familiares sunt. III. 24. per somnos in febribus, malum. IV. 67.
Pectori inimica frigida. V. 24.
Pectorum dolores gignuntur hieme. III. 23.
Perfrigerata. Vid. *Refrigerata.*
Peripneumonia ex pleuritide, malum. VII. 11.
Peripneumoniæ obnoxia ætas virilis. III. 30.
- - - - - superveniens diarrhœa, malum. VI. 16.
Peripneumonia (ex) phrenitis, malum. VII. 12.
Peripneumoniæ gignuntur hieme. III. 23.
Phlegma. Vid. *Pituita.*
Phrenitis ex peripneumonia, malum. VII. 12.
- - - in ætate quadraginta annis majore, non admodum sanatur. VIII. 1.
- - - incidit in virilem ætatem III. 30.
Phreniticorum urinæ pellucidæ, albæ. IV. 72.
Phthisis. Vid. *Tabes.*
Pingues. Vid. *Crassi.*
Pituita inter diaphragma & ventrem conclusa, dolorem exhibens, per venas in vesicam versa morbum solvit. VII. 54.
Plenitudines ad extremum progressæ, graves sunt. I. 4.
Pleuritis longa, an brevis futura, quî per sputum judicetur. I. 12. nisi superne expurgetur intra quatuordecim dies, in suppurationem abit. V. 8. quando in tabem transeat. V. 15.
- - - oritur ab aquilonia tempestate. III. 5.
Pleuritides regnant hieme. III. 23.
Pleuritidi obnoxia ætas virilis. III. 30. non admodum obnoxii, qui acidum eructant. VI. 33.
- - - superveniens diarrhœa, malum. VI. 16.
Pleuritide (ex) peripneumonia, malum. VII. 11.
Podagra vere & autumno fere movetur. VI. 55.
- - - in quadraginta diebus decedit. VI. 49.
Podagram minuit affusa frigida. V. 25.
Podagra non tentantur eunuchi. VI. 28. nec mulieres, nisi cum menstrua defecerint. VI. 29. nec pueri ante Veneris usum. VI. 30.

Potus suavior, etsi pejor, meliori sed minus grato anteponendus. II. 38.
Potu repleri, quam cibo, proclivius est. II. 11.
Potu multo (ex) rigor, & delirium, malum. VII. 7.
Præcordia. Vid. *Hypochondria.*
Prægnantes. Vid. *Gravidæ.*
Præputii vulnus non coalescit. VI. 19.
Pruritus totius corporis familiaris senibus. III. 31.
